INSTITUTI
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN TERTIUM

INSTITUTUM

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN TERTIUM

REGULAE, RATIO STUDIORUM

ORDINATIONES, INSTRUCTIONES

INDUSTRIAE

EXERCITIA, DIRECTORIUM



FLORENTIAE

EX TYPOGRAPHIA A SS. CONCEPTIONE

1893

SUMMA TOTIUS VOLUMINIS.

INDEX TERTII VOLUMINIS.

ORDINATIONES
PRAEPOSITORUM GENERALIUM.

INSTRUCTIO R. P. CLAUDII AQUAVIVAE
DE SPIRITU AD SUPERIORES.

INSTRUCTIONES AD PROVINCIALES ET SUPERIORES SOCIETATIS.

R. P. CLAUDII AQUAVIVAE INDUSTRIAE.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

PRIMA HEBDOMADA.

SECUNDA HEBDOMADA.

TERTIA HEBDOMADA.

QUARTA HEBDOMADA.

VITAE D. N. IESU CHRISTI MYSTERIA.

REGULAE UTILES.

Pag.

DIRECTORIUM IN EXERCITIA.

SUMMARIUM CONSTITUTIONUM

ET

REGULAE

SUMMARIUM CONSTITUTIONUM,

QUAE AD SPIRITUALEM NOSTRORUM INSTITUTIONEM PERTINENT, ET AB OMNIBUS OBSERVANDAE SUNT.

Constitutionum necessitas. *Prooem. Const. n. 1.*

1. QUAMVIS summa sapientia et bonitas DEI Creatoris nostri ac Domini sit, quae conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem IESU, ut eam dignata est inchoare; ex parte vero nostra, interna charitatis et amoris illius lex, quam Sanctus Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet, potius quam ullae externae Constitutiones ad id adiutura sit; quia tamen suavis dispositio divinae providentiae suarum creaturarum cooperationem exigit, et quia Christi Domini nostri Vicarius ita statuit, et Sanctorum exempla et ratio ipsa nos ita docet in Domino; necessarium esse arbitramur Constitutiones conscribi, quae iuvent ad melius in via incepta divini obsequii procedendum iuxta Instituti nostri rationem.

Finis Societatis. *Exa. c. 1 n. 2.*

2. Finis huius Societatis est, non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.

Commoratio in quavis plaga. *P. 3 c. 2, G. P. 6 c. 3 n. 5.*

3. Nostrae vocationis est diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius DEI obsequium et animarum auxilium speratur.

Ratio vivendi. *Exa. c. 1 n. 6.* Poenitentiae nullae ordinariae; sed quae assumendae. *Instr. 13 cap. 6*

4. Ratio vivendi in exterioribus iustas ob causas, maius DEI obsequium semper intuendo, communis est: nec ullas ordinarias poenitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet; sed illas assumere quivis poterit, quae sibi videbuntur cum approbatione Superioris ad maiorem sui spiritus profectum convenire, et quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere.

Confessio generalis. *Exa. c. 4 n. 41.*

5. Ipso initio sui in Societatem ingressus debet quisque generalem totius vitae confessionem apud aliquem Sacerdotem a Superiore assignatum facere, et post eam sacratissimum Christi Domini nostri corpus sumere: et sic sexto quoque mense, eodem modo generaliter, ab ultima inchoando, confitebitur. Et omnes, tam Professi, quam formati Coadiutores, semel singulis annis parati esse *P. 6 c. 1 n. 2.* debebunt ad confessionem generalem, quae ab ultima generali inchoetur, ei, quem Superior sibi substituerit, faciendam.

Examen conscientiae, usus sacramentorum.

6. Utantur quotidie omnes conscientiae suae examinatione consueta. Si Sacerdotes non fuerint, confiteantur

unus omnium Confessarius. *P. 3 c. 1 n. 11. Exa c. 4 n. 25. P. 6 c. 3 n. 2.*

oportet et Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae sumant octavo quoque die: et unus omnium sit Confessarius a Superiore constitutus; quod si fieri non poterit, quisque certe suum stabilem habeat Confessarium, cui ipsius conscientia prorsus aperta sit.

Proprio Confessario aperienda conscientia, si quis alteri confessus fuerit. *P. 3 c. 1, Q.*

7. Qui autem alii, quam suo Confessario designato, confiteretur, debet postmodum, quantum recordari poterit, eidem suo Confessario totam suam conscientiam aperire, ut, nihil ignorando, quod ad eam pertineat, melius in Domino possit eumdem iuvare.

Amor parentum in spiritualem convertendus. *Exa. c. 4 n. 7.*

8. Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo: *Qui dimiserit Patrem,* etc. existimet sibi patrem, matrem, fratres et sorores, et quidquid in mundo habebat relinquendum; immo sibi dictum existimet verbum illud: *Qui non odit patrem et matrem, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et ita curandum ei est, ut omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui, mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habet.

Defectuum manifestatio. *Exa. c. 4 n. 8. C. 6 d. 32-34. Ord. Gen. c. 15.*

9. Ad maiorem in spiritu profectum, et praecipue ad maiorem submissionem et humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, ut omnes errores et defectus ipsius, et res quaecumque, quae notatae in eo et observatae fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.

Correctio mutua. *Exa. c. 4 n. 8.* *C. 6 d. 32-34. Ord. Gen. c. 15.*

10. Boni etiam omnes consulant ab aliis corrigi, et ad aliorum correctionem iuvare; ac manifestare sese invicem sint parati, debito cum amore et charitate, ad maiorem spiritus profectum; praesertim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam.

Rerum humanarum contemptus. *Exa. c. 4 n. 44.*

11. Diligenter animadvertant oportet (magni faciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere iuvet ac conferat ad vitae spiritualis profectum, omnino, et non ex parte, abhorrere ab omnibus quae mundus amat et amplectitur; et admittere et concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quae mundi sunt sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic, qui procedunt in spiritu et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardenter exoptant quae iis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia: adeo ut, si sine offensione ulla divinae maiestatis et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia et iniurias pati, ac stulti haberi et existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione), eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus et insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad eius fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi,

Contraria iis, quae mundi sunt, amplectenda.

cum vera sit via, quae ducit homines ad vitam, velimus.

Abnegatio in rebus omnibus quaerenda. *Exa c. 4 n. 46.*

12. Ut melius ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosum perveniatur, maius ac impensius studium cuiusque sit quaerere in Domino maiorem sui abnegationem, et continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.

Officia humilia promptius suscipienda. *Exa. c. 4 n. 28.*

13. In exercendis officiis abiectis et humilibus, promptius ea suscipi convenit, a quibus sensus magis abhorrebit; si quidem iniunctum fuerit ut in eis se exerceat.

Tentationes antevertendae, adhibitis contrariis. *P. 3 c. 1 n. 13.*

14. Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis: ut, cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quae ad humiliandum ipsum utiles futurae videantur: et sic de aliis pravis animae propensionibus.

In absoluta Constitutionum observatione nihil praetermittendum. *P. 6 c. 1 n. 1.*

15. Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, in absoluta omnium Constitutionum observatione nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda, praetermittamus.

Perfectionis solidarumque virtutum studium. *P. 10 n. 2.*

16. Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum et spiritualium rerum studium incumbant; ac in huiusmodi maius momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant: illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet.

Recta intentio in rebus omnibus. *P. 3 c. 1 n. 26.*

17. Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant divinae bonitati propter seipsam, et propter charitatem et eximia beneficia, quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum vel spem praemiorum, quamvis hinc etiam iuvari debeant; et in omnibus quaerant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, iuxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem.

Quid in concionibus domesticis tractandum. *P. 3 c. 1 n. 21.*

18. In concionibus domesticis de iis crebro tractent, quae ad sui abnegationem et in virtutibus profectum et omnimodam perfectionem attinent; ad ea se invicem exhortando, et praecipue ad unionem et charitatem fraternam.

Munera, in quibus magis exercentur humilitas et charitas, obeunda. *P. 3 c. 1 n. 22.*

19. Magnopere conferet devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas. Et, in universum loquendo, quanto aliquis se arctius Deo adstrinxerit, et liberaliorem erga summam maiestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda.

Cura interioris hominis spiritualis. *P. 5 c. 4 n. 5. Exa. c. 6 n. 5, 6.*

20. Postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, sed in suo perfici, et obsequio Dei et gloriae sese impendere.

Studium devotionis. *P. 3 c. 1 n. 20.*

21. Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, et devotioni quaerendae, pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae, insistant.

Ab illusionibus cavendum. *P. 3 c. 1 n. 10.*

22. Ab illusionibus daemonis in suis spiritualibus exercitationibus caveant, et se contra omnes tentationes tueantur: simul rationes sciant, quae adhiberi possint ut eas superent; et ad veras solidasque virtutes conse-

quendas insistant, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores: curent vero semper in via divini servitii progressum facere.

Paupertas diligenda et conservanda. P. 6 c. 2 n. 1.

23. Paupertas, ut murus religionis firmus, diligenda et in sua puritate conservanda est, quantum, divina gratia aspirante, fieri poterit.

Eius aliqui effectus experiendi. P. 3 c. 1 n. 7, 25. P. 6 c. 2 n. 10.

24. Diligant omnes paupertatem, ut matrem, et, iuxta mensuram sanctae discretionis, suis temporibus eius effectus aliquos experiantur, nullaque re tamquam propria utantur, paratique sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia, vel necessitas id exiget.

Vilissima optanda. Exa. c. 4 n. 26.

25. Victus, vestitus et lecti ratio erit ut pauperibus accommodata: et unusquisque sibi persuadeat, quod, quae vilissima erunt ex iis quae domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem et spiritualem profectum.

Dari mutuo vel dispensari nil potest inscio Superiore. P. 3 c. 1 n. 8.

26. Intelligant omnes, quod mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quae domi sunt, minime possunt, nisi Superior conscius consensum praestiterit.

Nihil pro ministeriis accipiendum. P. 6 c. 2 n. 7. Exa. c. 1 n. 3. C. 1 d. 37. C. 12 d. 39.

27. Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere quae gratis acceperunt, nec postulando nec admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missae, vel confessiones, vel praedicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quae Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur: ut sic maiori cum libertate possit, et proximorum aedificatione, in divino servitio procedere.

Castitas. P. 6 c. 1 n. 1.

28. Quae ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia.

Sensuum custodia. P. 3 c. 1 n. 4.

29. Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, oculorum praecipue, aurium, et linguae, ab omni inordinatione custodire; ac se in pace et vera humilitate interna conservare, et eam in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum, in circumspectione et aedificatione verborum, et modestia vultus, ac maturitate incessus motuumque omnium, sine ullo impatientiae aut superbiae signo, exhibere: in omnibus rebus procurando atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tamquam sibi superiores ducendo, et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo: atque ita fiet, ut, se mutuo considerantes, in devotione crescant, DEUMque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat.

Modestia.

DEUS in aliis agnoscendus.

In refectione corporis temperantia et decentia. P. 3 c. 1 n. 5.

30. In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia et decentia interius et exterius in omnibus observetur. Praemittatur benedictio, et sequatur actio gratiarum, quas omnes agere debent cum ea, qua par est, devotione et reverentia. Et, dum corpus edendo reficitur, sua etiam animae refectio praebeatur.

Obedientia. P. 3 c. 1 n. 23.

31. Expedit in primis ad profectum, et valde necessarium est, ut omnes perfectae obedientiae se dedant, Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prosequentes. Nec solum in executione externa eorum, quae iniungit, integre, prompte, fortiter et cum hu-

Superior loco Christi agnoscendus.

militate debita, sine excusationibus obediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia iubeat; verum etiam conentur interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere, voluntatem ac iudicium suum, cum eo quod Superior vult et sentit, in omnibus, ubi peccatum non cerneretur, omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis et iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis bonae voluntatis et iudicii, quae est aeterna bonitas et sapientia.

Abnegatio voluntatis et iudicii.

Omnia Superiori detegenda. *P. 4 c. 10 n. 5.*

32. Liberam sui ipsorum, rerumque suarum dispositionem omnes cum vera obedientia Superiori relinquant, nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam, tenendo; non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione iudicium proprium ipsius iudicio contrarium demonstrando: ut per unionem eiusdem sententiae et voluntatis atque per debitam submissionem melius in divino obsequio conserventur et progrediantur.

Obedientia perfectissime servanda. *P. 6 c. 1 n. 1.*

33. Omnes obedientiam plurimum observare et in ea excellere studeant; nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud, quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso praecepto, videretur. Versari autem debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia praestatur: et, ut in spiritu amoris, et non cum perturbatione timoris, procedatur, curandum est.

Ad Superioris vocem littera inchoata relinquenda. *P. 6 c. 1 n. 1.*

34. Ad Superioris vocem, perinde ac si a Christo Domino egrederetur, quam promptissimi simus, re quavis, atque adeo littera a nobis inchoata, necdum perfecta relicta.

Obedientia omni ex parte perfecta. *P. 6 c. 1 n. 1.*

35. Ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertamus, ut sancta obedientia, tum in exsecutione, tum in voluntate, tum in intellectu sit in nobis semper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, spirituali gaudio et perseverantia quidquid nobis iniunctum fuerit obeundo; omnia iusta esse nobis persuadendo; omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium caeca quadam obedientia abnegando.

In obediendo, ut cadaver et baculus, regi se sinant. *P. 6 c. 1 n. 1.*

36. Quisque sibi persuadeat, quod, qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi a divina providentia per Superiores suos sinere debent, perinde ac si cadaver essent, quod quoquoversus ferri et quacumque ratione tractari se sinit; vel similiter atque senis baculus, qui ubicumque et quacumque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit.

Poenitentiae implendae, *Exa c. 4 n. 33.*

etiam ob defectum non culpabilem iniunctae. *P. 8 c. 1 n. 15.*

37. Adimplere quisque debet quasvis poenitentias, quae propter defectus et negligentiam suam vel quidvis aliud fuerint iniunctae. Poenitentias vero huiusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet, cum vero emendationis et spiritualis profectus desiderio, etiam si propter defectum non culpabilem iniungerentur.

Etiam subordinatis obediendum. *Exa. c. 4 n. 29. P. 3 c. 1 n. 24.*

38. Cum aliquis ad ministeria culinae obeunda ingreditur, vel ad eum iuvandum qui coquus est, eidem obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ipsius officium pertinentibus debet. Atque valde necessarium est, ut omnes, non solum Superiori Societatis vel Domus, sed etiam subordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, obediant; et assuescant non intueri, quis ille sit, cui obediunt; sed potius quis ille sit, propter quem, et cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.

Litterae ostendendae. *P. 3 c. 1, B.* *Exa. c. 4 n. 6.*

39. Si aliquis ex iis, qui domi sunt, cuiquam scriberet, non nisi obtenta facultate, et litteris ei ostensis, quem Superior destinaverit, id faciet. Si ad eumdem litterae mitterentur, ei primo reddentur, qui a Superiore fuerit constitutus; qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad quem sunt destinatae, prout in Domino expedire ad maius ipsius bonum et Dei gloriam existimabit.

Reddenda sui ratio, et quando. *Exa. c. 4 n. 36.*

40. Quicumque hanc Societatem in Domino sequi volet, et in eadem ad maiorem Dei gloriam manere, sub sigillo confessionis vel secreti, vel quacumque ratione ei placuerit et ad maiorem ipsius consolationem fuerit, debet conscientiam suam magna cum humilitate et charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata; et totius anteactae vitae rationem integram, vel certe rerum maioris momenti, Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Praepositis vel aliis ex inferioribus ille iniungeret, prout magis convenire videretur, reddat: et sexto quoque mense rationem hanc sui, ab ultima, quam reddiderit, incipiendo, quisque reddet. Sic etiam videtur quod Coadiutores formati et Professi singulis annis, vel crebrius si Superiori videbitur, suae conscientiae rationem dicto modo ei reddant.

Exa. c. 4 n. 38. *Exa. c. 4 n. 40.* *P. 6 c. 1 n. 2.*

Tentatio nulla celanda. *P. 3 c. 1 n. 12.*

41. Nullam debent celare tentationem, quam Praefecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori non aperiant: immo vero totam animam suam illis integre manifestam esse pergratum habeant. Nec solum defectus aperiant, sed etiam poenitentias vel mortificationes, et devotiones ac virtutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent; nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum iudicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent.

Unio, et conformitas mutua. *P. 3 c. 1 n. 18.*

42. Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus publicis, nec scriptis libris; qui quidem edi non poterunt in lucem sine approbatione atque consensu Praepositi Generalis. Immo et iudiciorum de rebus agendis diversitas, quae mater esse solet discordiae et inimica unionis voluntatum, quantum fieri potest, evitari debet. Unio vero et conformitas mutua diligentissime curanda est, nec quae ei adversantur permittenda: quo, iuncti invicem fraternae charitatis vinculo, melius et efficacius possint se divino obsequio et auxilio proximorum impendere.

Libri sine approbatione et consensu Generalis non imprimendi. *C. 11 d. 18.*

Animorum propensio in partem aliquam factionis vitanda. *P. 10 n. 11.*

43. In Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quae esset fortassis inter Principes vel Dominos christianos; sed sit potius quidam universalis amor, qui partes omnes, licet sibi invicem contrariae sint, in Domino nostro amplectatur.

Otium arcendum. *P. 3 c. 1 n. 6.*

44. Omnes, quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus habeant in quo occupentur, ne otium, malorum omnium origo, quoad eius fieri possit, Domi nostrae locum habeat.

Rerum saecularium procuratione abstinendum. *P. 6 c. 3 n. 7.* *C. 7 d. 13.*

45. Ut plenius possit Societas rebus spiritualibus iuxta suum Institutum vacare, quoad eius fieri poterit, a negotiis saecularibus abstineat (qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant.

Ratio habenda valetudinis. *P. 3 c. 2 n. 1.*

46. Ut nimia sollicitudo in iis,

quae ad corpus pertinent, reprehensibilis est; ita moderata tuendae ad divinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna, et ab omnibus adhibenda est: et, ea de causa, cum animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse circa victum, vestitum, habitationem, officium aut exercitationem, et sic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit, duo interim observantes: primum, ut, antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant, et, post orationem, si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant; alterum, ut, cum verbo aut scripto brevi, ne excidat memoria, Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositae relinquant et quidquid ille statuerit optimum ducant; nec contendere aut urgere per se vel alium (sive concedatur quod petitur, sive non) pergant: quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium ac suum maius bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino visum fuerit.

Exercitia mentalia externis interrumpenda. *P. 3 c. 2 n. 4.*

47. Ut non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, ut spiritus obruatur et corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exercitatio, quae utrumque iuvet, omnibus communiter convenit, etiam illis, qui mentalibus exercitiis debent insistere, quae quidem externis interrumpi deberent, et non continuari, nec sine mensura discretionis assumi.

Corporis castigatio non sit immoderata et Confessario aperienda. *P. 3. c. 2 n. 5.*

48. Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigiliis, et abstinentiis, et aliis poenitentiis externis ac laboribus, quae, et nocumentum afferre, et maiora bona impedire solent. Ideo suo Confessario detegi ab unoquoque convenit, quidquid in hac parte faciat.

Aeger etiam medicis et infirmariis obediat. *Exa. c. 4 n. 32.*

49. Aegritudinis tempore, non solum observare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores spirituales, ut ipsius animam regant; sed cum eadem humilitate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus eius regant.

Aedificet adstantes. *Exa. c. 4 n. 32.* *P. 3 c. 1 n. 17.*

50. Qui aegrotat, humilitatem et patientiam suam prae se ferendo, non minorem aedificationem, dum morbo laborat, iis qui ipsum invisent, et cum eo versabuntur et agent, quam dum valebat corpore, ad maiorem Dei gloriam praestare curet, verbis piis et ad aedificationem facientibus utendo, quae ostendant aegritudinem acceptari, ut donum, de manu Creatoris ac Domini nostri; quandoquidem non minus donum est quam sanitas.

Poenitentiae petendae. *P. 3 c. 1 n. 28.*

51. Aliquoties singulis annis omnes a Superiore sibi poenitentias iniungi propter defectum observationis Regularum petant, ut haec cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.

Constitutiones ac Regulae observandae et legendae. *P. 10 n. 13.*

52. Omnes demum observationi Constitutionum studeant: ad quam, easdem scire, saltem quae ad quemlibet pertinent, necesse est. Quare legere vel audire easdem singulis mensibus oportebit.

REGULAE COMMUNES.

Examen conscientiae, oratio, et lectio. P. 4 c. 4 n. 3, 4.

1. SINGULI praefinitum sibi tempus suae conscientiae bis quotidie examinandae, orationi, meditationi lectionique impendant cum omni diligentia in Domino.

Sacrum et concio. P. 4 c. 4 n. 3, 4.

2. Omnes quotidie Sacro decenter intersint, et concionem lectionemve sacram, cum in templo nostro habebitur, audiant.

Confessio. P. 3 c. 1 n. 11. P. 6 c. 3 n. 2.

3. Singuli statuto die, et assignato sibi Confessario confiteantur, et non alteri sine Superioris facultate.

Quid in renovatione votorum. P. 4 c. 4 n. 5. c. 10 n. 5. P. 5 c. 4 n. 6. Exa. c. 4 n. 38, 41.

4. Omnes, qui Professi aut formati Coadiutores non sunt, bis in anno sua vota renovabunt, praemissa confessione generali; quo tempore rationem suae conscientiae reddent, et quoties etiam Superiori visum fuerit, iuxta morem Societatis.

Abstinentia.

5. In abstinentia sextae feriae, Societatis consuetudo servetur.

Mortificatio publica.

6. Nullus mortificationem publice faciat, nec concionetur, nisi Superiore approbante.

Pecunia. Exa. c. 4 n. 4.

7. Nemo pecuniam apud se habeat; apud alium vero nec pecuniam, nec quidquam aliud.

Libri. P. 4 c. 6, G.

8. Libros nemo habeat sine facultate: in iis vero, quibus uti licet, nec scribat quidquam, nec notam ullam imprimat.

Nihil usurpandum.

9. Nemo rem ullam ex Domo vel ex alterius cubiculo sibi usurpet, aut ab externo, quovis modo, sibi aut alii accipiat, sine Superioris licentia.

Lingua regionis addiscenda.

10. Ad maiorem unionem eorum, qui in Societate vivunt, maiusque auxilium eorum, apud quos habitant, singuli addiscant eius regionis linguam, in qua resident, nisi forte ipsorum nativa illic esset utilior: salva tamen latini sermonis lege in iis, qui litteris dant operam. P. 4 c. 6 n. 13.

Nihil obserandum.

11. Nullus ita cubiculum suum claudat, quin aperiri extrinsecus possit; aut arcam seu quidquam aliud habeat obseratum absque Superioris facultate.

Noctu, ut dormiendum P. 3 c. 2, E.

12. Aperta fenestra nemo noctu dormiat, nec sine indusio, aut non coopertus.

Vestitus decentia.

13. Nemo cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus.

Coadiutores ne legere addiscant. Exa. c. 6 n. 6.

14. Nemo eorum, qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discat aut scribere, aut, si aliquid scit, plus litterarum addiscat, nec quisquam eum doceat sine Praepositi Generalis facultate; sed satis ei erit sancta cum simplicitate et humilitate Christo Domino nostro servire.

Obedientiae perfectio. P. 4 c. 10 n. 9.

15. Signo campanae constitutis horis audito, omnes statim, vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant.

Bibere aut comedere

16. Ut consulatur valetudini, nemo

extra tempus non licet.

extra consueta tempora bibat, nec extra Domum cibum sumat, absque facultate Superioris.

Quid male habenti agendum. P. 3 c. 2 n. 6.

17. Qui male se habere praeter solitum senserit, id infirmario, vel Praefecto sanitatis, aut Superiori referat. Nemo vero medicinam ullam accipiat, aut medicum eligat vel consulat, nisi approbante Superiore.

Lectus componendus.

18. Singuli, etiam si Sacerdotes sint, cum primum surgunt, lectum operiant, eumque et reliqua componant hora consueta, et scopis cubiculum verrant tertio saltem quoque die, exceptis iis, qui ob occupationes maioris momenti, aut valetudinis causa, iudicio Superioris sublevandi sunt.

Verrendum cubiculum.

Munditiés.

19. Munditiés, quae ad valetudinem et ad aedificationem confert, omnibus curae sit, tam circa se ipsos, quam circa alia omnia.

Tentatio aliena aperienda.

20. Qui gravem tentationem alicuius noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipse, pro paterna in suos cura ac providentia, convenienti remedio possit occurrere.

Quae ad regimen spectant non exquirenda.

21. Quae a Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiose ab aliis exquirat, aut, coniecturam faciendo, de iis sermonem misceat; sed unusquisque, sibi ac muneri suo attendens, quidquid de se atque aliis constituendum erit, tamquam de manu Dei exspectet.

Caput quibus aperiendum.

22. Omnes caput aperiant suis Superioribus, et Sacerdotibus ii qui Sacerdotes non sunt, discipuli etiam suis Praeceptoribus. Unusquisque autem Superiores alloquatur magna cum reverentia: is vero, quem Superior alloquitur aut reprehendit, humiliter et sine interpellatione audiat.

Re a Superiore denegata, quid cum alio agendum.

23. Si cui a Superiore denegatum aliquid fuerit, alium Superiorem ne adeat super ea re, quin ei aperiat quid sibi ab alio fuerit responsum, et quas ob causas negatum.

Occupatus Superiorem moneat.

24. Cui fuerit alicuius rei cura commissa, si impedimentum aliquod intervenerit, mature admoneat aliquem ex Superioribus, ut provideat.

Nihil secum ferendum.

25. Nemo, cum ex uno loco in alium proficiscitur, quidquam secum asportet sine facultate Superioris.

Silentium ubi, et quando servandum. Instr. 13 c. 3.

26. Extra tempora recreationi assignata, hac ratione silentium servandum est, ut nemo loquatur, nisi obiter et perpaucis, aut de rebus necessariis, praesertim in ecclesia, sacristia et refectorio; in Missa vero, concione, mensa, lectionibus et disputationibus, si quid privatim dicere necesse erit, brevissime et submissa voce suggeratur.

Cum iis, qui sunt in prima probatione, non loquendum. P. 1 c. 4 n. 4, A.

27. Nemo, praeter eos qui a Superiore deputati fuerint, loquatur cum iis, qui in prima probatione versantur: excipiuntur tamen usitatae salutationes, quas, cum alii aliis obvii fiunt, charitas religiosa exigit.

Modestia in loquendo.

28. Omnes demissa voce, ut Religiosos decet, loquantur; nullusque cum alio contendat: sed, si qua in re nobis est diversa sententia, eaque videtur manifestanda, rationes modeste et cum charitate afferantur, eo animo, ut suus veritati sit locus, non ut in ea re superiores videantur.

Aegroti quomodo invisendi.

29. Qui facultate accepta aegrotos invisent, non solum demissa voce loquantur, sed tanta etiam moderatione, ut illis molesti non sint, atque de iis agant, quae et consolari aegrotos, circumstantesque aedificare in Domino possint.

Nationes omnes pari affectu amplectendae. P. 10 n. 11.

30. Caveant sibi omnes ab illo affectu, quo aliae de aliis nationibus sinistre sentire aut loqui solent: quin potius, et bene sentiant, et peculiari affectu diversas a sua nationes prose-

quantur in Domino; ac proinde nemo bella contentionesve inter christianos Principes in colloquium inducat.

Quorum sit iubere et reprehendere.

31. Nemo, praeter eos, quibus per Superiorem licet, quidquam aliis iubeat, aliosve reprehendat.

Alterius officium et locus. *P. 4 c. 10 n. 6.*

32. In alterius officium nemo se ingerat: in locum vero alieno ministerio deputatum nullus ingrediatur sine facultate Superioris, aut Praefecti illius loci in rebus necessariis.

Alterius cubiculum quomodo ingredi liceat. *P. 3 c. 1, D.*

33. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, sine generali aut speciali Superioris facultate: quod si aliquis intus sit, non prius aperiat ostium, quam post pulsum audiat: *Ingredere;* et tamdiu aperta sit ianua, quamdiu intus una fuerint.

Tactus mutuus.

34. Ut ea, quae Religiosos decet, gravitas et modestia retineatur, nemo alium, etiam ioco, tangat, praeterquam in signum charitatis amplexando, cum quis aut abit aut redit peregre.

Amplexus.

Aperire caput in mensa.

35. Nemo, dum mensae accumbit, cuiquam ex Nostris, praeterquam ei Superiori, qui praeest toti Domui aut Collegio, caput aperiat. Et cum aliquid in mensa cuiquam deest, is, qui illi assidet, admoneat eum qui ministrat.

Loqui cum externis.

36. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet sine facultate generali aut particulari Superioris.

Litterae aut mandata.

37. Nemo cuiusquam externi ad domesticum, aut domestici ad externum mandata deferat, aut litteras, inscio Superiore: saeculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temere et sine fructu narrentur.

Instr. 13 c. 9.

Res domesticae non referendae.

38. Nemo quae domi acta vel agenda sunt externis referat, nisi Superiori id probari intelligat: Constitutiones vero, aliosve huiusmodi libros aut scripta, quibus Societatis Institutum vel privilegia continentur, non nisi ex Superioris expresso consensu iis communicet.

Instructiones spirituales scriptae, etc.

39. Nemo scriptas dabit aut mittet cuiquam externo vel domestico instructiones spirituales aut meditationes; nec Exercitia Spiritualia Societatis alicui communicabit, nisi a Superiore id approbetur.

Consilium ab externis.

40. Nemo ab externis consilium petat sine facultate Superioris.

Negotia. *P. 6 c. 3 n. 7. P. 9 c. 6 n. 4.*

41. Nemo cuiusquam negotii, etiam pii, sine facultate Superioris curam suscipiat, nec ad id operam suam promittat, aut se propensum ostendat: saecularia vero negotia, ut quae sunt a nostro Instituto aliena, et vehementer a spiritualibus avocant, multo magis aversari convenit.

Proximus ad bonum promovendus. *P. 7 c. 4 n. 8. Exa. c. 6 n. 4.*

42. Omnes pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promovere, et consilio ac exhortatione ad bona opera, praesertim ad confessionem, excitare.

Cum socio egrediendum. *P. 3 c. 1 n. 3. Exa. c. 4 n. 25.*

43. Nullus Domo egrediatur, nisi quando et cum quo socio Superiori visum fuerit.

Aperiendum quo, et ad quid eundum, etc.

44. Cum quis facultatem a Superiore petit aliquo eundi, simul etiam aperiat, quo, et cuius rei causa ire velit; praesertim si Praelatus aut alius vir primarius conveniendus sit: eademque die referat eidem quid egerit, sicut ipsum velle intelliget et res postulaverit.

Tintinnabulum ianuae.

45. Ingressuri egressurive Domo tintinnabulum, nec vehementius nec crebrius pulsent, quam par est. Nemo autem nisi consueta Domus ianua egrediatur vel ingrediatur.

Nomina signanda.

46. Qui Domo egrediuntur, signabunt sua nomina, quae prope ostium Domus in tabula descripta sunt, et admonebunt ianitorem quo sint profecturi.

Quando exeundum et redeundum.

47. Omnes ante noctem, qui foris sunt, se Domum recipiant; nec egredientur ante lucem sine facultate Praepositi vel Rectoris.

Ad Nostrorum Domos divertendum.

48. Cum quis, iter faciens, transit per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis sit, ad aliud hospitium ne divertat; eiusque, qui illic praeest, obedientiae subsit in omnibus, sicut et reliqui, qui in eadem Domo vel Collegio commorantur. Quod si quis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non nisi ex eiusdem consilio ac directione tractabit.

Lectio Regularum.

49. Singuli has Regulas et officiorum suorum habeant, atque intelligant, sibique faciant familiares, ac earum memoriam, mensibus singulis eis legendis vel audiendis, renovent: qui tamen peculiaria ministeria Coadiutorum obeunt, eas, quae ad ipsorum officia pertinent, singulis hebdomadis repetant. *P. 4 c. 10, v.*

C. 20 d. 17.
C. 22 d. 44 n. 7.

REGULAE MODESTIAE.

Modestia, humilitas, et religiosa maturitas. *P. 3 c. 1 n. 4.*

1. In conversatione Nostrorum illud in universum dici potest, ut in omnibus externis actionibus appareat in Nostris modestia et humilitas coniuncta cum religiosa maturitate: speciatim autem haec observanda erunt.

Caput leviter non movendum.

2. Caput huc illuc leviter non moveatur, sed cum gravitate, ubi opus erit; et si opus non sit, teneatur rectum, cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

Oculi demissi.

3. Oculos demissos, ut plurimum, teneant; nec immoderate eos elevando, nec in hanc aut illam partem circumflectendo.

Inter loquendum quomodo oculi tenendi.

4. Inter loquendum, cum hominibus praesertim alicuius auctoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculos.

Rugae evitentur.

5. Rugae in fronte, ac multo magis in naso, evitentur, ut serenitas exterius cernatur, quae interioris sit indicium.

Labia.

6. Labia, nec nimis compressa, nec nimium diducta.

Hilaritas in facie.

7. Tota facies hilaritatem potius prae se ferat, quam tristitiam aut alium minus moderatum affectum.

Vestes compositae.

8. Vestes sint mundae, et cum religiosa decentia compositae.

Manus quietae.

9. Manus, si non in sustinenda veste occupentur, decenter quietae teneantur.

Incessus moderatus.

10. Incessus sit moderatus, sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeret, in qua tamen, quantum poterit, decori ratio habeatur.

Gestus et motus.

11. Omnes denique gestus ac motus eiusmodi sint, qui apud omnes aedificationem pariant.

Ordo simul incedendi.

12. Si plures simul erunt, ordinem praescriptum a Superiore, bini vel terni incedendo, servent.

Modestia in loquendo.

13. Si loquendum fuerit, meminerint modestiae et aedificationis, tum in verbis, tum in ratione ac modo loquendi. *P. 3 c. 1 n. 4.*

Instr. 3 et 15.

REGULAE SACERDOTUM.

Disciplina religiosa.

1. Quae de disciplina religiosa in Regulis et Instituto nostro servanda omnibus proposita sunt, ea Sacerdotes pro ratione sui gradus sibi praecipue dicta existiment, et observent.

Officium divinum ut recitandum.

2. Divinum officium nitantur attente, devote, et opportuno tempore recitare.

Quoties confitebuntur.

3. Ita vivere studeant, ut quotidie merito celebrare possint: ad idque conducet (quamvis ex Constitutione octavo, ut minimum, quoque die confiteri teneantur) saepius in hebdomada confiteri. *Exa. c. 4 n. 25.*

Caeremoniae in Missa servandae. *P. 4 c. 8 n. 2.*

4. Caeremonias Missae ex usu romano accurate unusquisque observet, in eaque celebranda pronuntiationem et quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum aedificationi, quam propriae devotioni serviat. Et ideo semihoram in faciendo Sacro, nec multum excedat, neque ita brevis sit, ut illam non expleat.

Admoniti ad Sacrum statim ibunt.

5. Qui in summo altari Sacra facturi sunt, simul atque campanae se vocantis pulsum audierint, vel admoniti fuerint, ad vestes sacerdotales induendas se conferant, ut in tempore exire ex sacristia possint.

Doctrina christiana sit illis curae. *P. 4 c. 8 n. 6, F. C. 1 d. 137, 138, can. 21. C. 2 d. 58, 65, can. 20.*

6. Salutare tradendae doctrinae christianae ministerium pueris ac rudibus, quod a sui origine nostra Societas tanto affectu complexa est, pari omnes studio promovere curent.

Exercitiorum Spiritualium usus. *P. 4 c. 8 n. 5. P. 7 c. 4 n. 8, F.*

7. Intelligant sibi ratione peculiari incumbere, ut Exercitiorum Spiritualium, quae tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, usum valde familiarem habeant; quo et alios ad ea suscipienda adducere, et in eo tam utili armorum spiritualium genere tractando dexteritatem habere possint.

Auditionem confessionum magni faciant. *P. 7 c. 4 n. 5.*

8. Omnes ii, quibus ex obedientia confessiones audiendi sanctum munus committitur, multum ad id affici studeant, et tamquam nostri Instituti valde proprium magni faciant.

Confessiones non nisi deputati audiant. *P. 7 c. 4 n. 5.*

9. Nemo ad confessiones audiendas accedat, nisi a Superiore deputatus, et qui simul intelligat, quam facultatem ad hoc munus ab eo habeat.

Modum administrandi sacramenta addiscant. *P. 4 c. 8 n. 4. P. 8 c. 1 n. 8. P. 10 n. 9.*

10. Modum ea sacramenta ministrandi, quae Sacerdotes nostrae Societatis tractare possunt, perspectum omnes habeant, in eoque uniformes

sint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen et rationem absolvendi ab excommunicatione et aliis censuris et peccatis, eamdem omnes sequantur; attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis Ordinarii et Parochi iure offendi possint.

Quae ad confessionem spectant. *P. 4 c. 8, D.*

11. In casibus conscientiae, iisque praesertim, qui ad censuras, casus reservatos et restitutiones pertinent, sese diligenter exerceant; earumque rerum compendia, et brevem interrogandi methodum, ac contra singulorum peccatorum species exempla et dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeant.

Charitas et uniformitas doctrinae. *P. 3 c. 1 n. 18. P. 8 c. 1 n. 8. P. 10 n. 9.*

12. Confessarii inter se ipsos, et in modo procedendi cum poenitentibus conformes esse curent; et quantum res tulerit, ita aliorum Confessariorum existimationi unusquisque consulat, ut omnes intelligant, mutuo charitatis et uniformis doctrinae vinculo Societatis Confessarios in Christo esse colligatos.

Parati sint cum vocantur.

13. Vocati ad ecclesiam ad confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eo se conferant; et quo maior poenitentium multitudo futura est, eo magis tempestive ab aliis occupationibus se expediant.

Confessiones tempore concionis.

14. In templo confessiones, dum concio fit vel sacra lectio, nemo audiat.

Modus in confessionibus audiendis.

15. Confessarii ita audiant poenitentes, ut mutuum aspectum fugiant; sic enim attentius et liberius audient. Quod si locus non erit eiusmodi, ut tabula Confessarium a confitente dividat, manus interposita inter faciem propriam et confitentem, qui ad latus esse debet, id praestabit. Mulierum vero confessiones non audiantur nisi ad crates, etiamsi sint puellulae.

C. 7 d. 80 n. 12. Instr. 3 n. 3.

Quales cum mulieribus.

16. In audiendis confessionibus, feminarum praesertim, severos potius se, quam familiares exhibeant; in universum tamen paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat.

Eas breviter expediant.

17. Eos, qui crebrius confitentur, maxime feminas, breviter expediant; nec de rebus ad confessionem non pertinentibus in confessione loquantur: extra confessionem vero, si oportebit eas alloqui, id fiat in loco patenti; nec longum sermonem misceant, et oculos modeste demissos habeant.

C. 7 d. 80 n. 13. Instr. 3.

Socii praesentia. *C. 6 d. 43. Instr. 3 n. 7. Instr. 15 c. 2.*

18. Quando quis a Superiore mittetur ad confessiones feminarum audiendas, vel alia de causa eas adierit, socius, quem Superior ipsi designabit, quamdiu cum feminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, sed non quae secreta esse oportet audire possit, quantum loci dispositio patietur: quod si non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus.

Nullius curam suscipiat.

19. Particularem personarum, praesertim feminarum, curam nemo suscipiat: et quamvis Confessarius pro suo munere in vita spirituali poenitentem instituat, nullius tamen obedientiam admittat.

P. 6 c. 3 n. 5.

Quid si alteri confiteri velint.

20. Si quis, uni confiteri solitus, ab eodem alium Confessarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit, id sibi gratum esse Confessarius benigne ostendat.

Tempus audiendi confessiones.

21. Ut sanitatis etiam ratio ad Dei gloriam habeatur, confessiones mane ad horam usque prandii tantum audiant; ita ut, cum signum primae mensae audietur, studeant se ita accommodare, ut ad secundam accedant: nisi forte poenitentium necessitas aliud exigat.

Nil inscio Superiore petant.

22. Nemini aut petere aut accipere quidquam liceat, sive ab iis, quorum confessiones audiverit, sive

ab aliis, quod vel in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat; nisi Superior, cum opus esset, secus faciendum iudicaret.

Neminem ad emittenda vota inducant.

23. Etsi vota ad perfectionis statum pertinentia, ut sancta, laudari debent, et circa ea Confessarii consilium, sed magna cum consideratione dare possint; quia tamen non humanam, sed divinam vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quempiam inducat; verum ad orationem tales hortetur, ut, a Deo adiuti, vocationem suam melius intelligant et exsequantur.

Quid cum propensis ad Religionem.

24. Si quos viderint ad Religionem propensos, non facile ad unam potius quam ad aliam, ad hoc quam ad illud Monasterium invitent; sed liberam illis suam electionem relinquant. Poterunt tamen petentibus consilium eas Religiones vel Monasteria proponere, quae illis magis commoda in Domino iudicaverint.

Nulli habitum certum praescribant.

25. Nullus eis, quorum audit confessiones, certum vestimenti genus, hunc aut illum habitum vel colorem praescribat: tametsi omnes ad honestum et suo statui convenientem vestitum hortari possint.

Communio saecularibus quando permittenda.

26. Ut pium est ad frequenter communicandum fideles exhortari; ita, quos ad id propensos viderint, admonere debent, ne crebrius, quam octavo quoque die accedant, praesertim si matrimonio sint coniuncti.

Communio in Paschate. *P. 7 c. 4 n. 5, D.*

27. Admoneat eos, qui sibi confitentur, a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, eo tempore, nisi aliud consuetudo loci postulaverit, debere semel in sua parochia communicare; exceptis peregrinis, et iis, qui facultatem haberent, et reliquis, quos ius excipit.

Quomodo cum moribundis se gerant. *P. 4 c. 8 n. 7, G.*

28. Qui vocantur ad iuvandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quae eo tempore, in quo tantum est momenti, usui esse possint; tamdiuque illis adsint, quamdiu sola necessitas postulabit. Caeterum, etsi, cum opus est, aegrotos ad condenda testamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non assistant.

Instr. 2.

REGULAE CONCIONATORUM.

Sacerdotum Regulas observent.

1. Regulae, quae Sacerdotibus propositae sunt, eas sibi Concionatores in primis commendatas existiment, nec minore cura, quam caeteri, observent.

Media sibi conferentia ad id muneris. *P. 10 n. 2.*

2. Memores sint vocatos se esse ad reducendas animas suo Creatori; quod cum sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeant, quae instrumentum cum Deo coniungunt: eiusmodi sunt solidae virtutes, ac praecipue charitas, pura

intentio divini servitii, familiaritas cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam divinae Maiestatis.

Sint caeteris exemplo. *P. 7 c. 4 n. 2.*

3. Enitantur cum DEI gratia esse caeteris exemplo; ut non minus vita quam doctrina ad omnem virtutem proximos alliciant.

Sacrae Scripturae et Patribus vacent. *P. 4 c. 8,* **B**, **F**

4. Lectioni Sacrae Scripturae ac Patrum praecipue incumbant. Conferet etiam, peculiari studio vidisse evangelia toto anno currentia, et in eis ea, quae usui esse possunt, adnotasse: itemque compendium fecisse explicationis rerum ad fidem et christianam vitam necessariarum; atque in communes locos redegisse omnia, quae ad virtutum commendationem, et peccatorum detestationem pertinent.

Quae ad bene concionandum iuvabunt. *P. 4 c. 8,* **C.**

5. Conferet vidisse praeceptiones, si quas de modo concionandi illi tradunt, qui bene hoc munus obierunt; bonos audisse Praedicatores, et in concionibus domi, vel in aliis locis minus frequentibus, se exercuisse.

Corrigi optent. *P. 4 c. 8,* **C.**

6. Optare debent, ut admoneantur, si quid in concione corrigendum videbitur iis, qui a Superiore ad id deputati fuerint, et humili et grato animo id accipere.

Parati sint ad pueros et rudes instruendos. *P. 5 c. 3,* **B.**

7. Ita operam suam in celebrioribus concionibus libenter impendant, ut non minus se ad docendos pueros et alios rudes instruendos, faciles et paratos exhibeant.

Alii volenti concionari cedant.

8. Si quando occasio tulerit, ut alius eodem tempore concionari velit, quantum in ipsis erit, libenter cedant.

Utilitatem auditorum curabunt. *P. 4 c. 8 n. 3,* **B.**

9. Ea populo proponant, quae ad captum et utilitatem auditorum erunt accommodata; iisque insistant, quae ad christianam institutionem, atque ad exstirpanda vitia et virtutes inserendas valent; et a rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant.

Quae commendare debeant. *In Reg. ad sentiendum cum Eccl. in lib. Exerc. reg. 2, 3.*

10. Commendare debent confessionis et Eucharistiae frequentem usum, in bonis operibus profectum et perseverantiam, ecclesiasticarum caeremoniarum observationem, et caetera, quae ad cultum divinum pertinent, eamque obedientiam, quae Principibus et Praelatis, qui DEI in terris vices gerunt, exhibenda est.

Alia item commendanda. *Ibid. reg. 3, 6, 7.*

11. Commendabunt etiam peculiari ratione poenitentiae et misericordiae opera, sanctarum precum et aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, et bonam filiorum educationem.

Neminem in particulari reprehendant. *Ibid. reg. 10.*

12. Cum experientia doceat, et sanctae memoriae P. Ignatius scriptum reliquerit, nihil utilitatis percipi ex iis concionibus, in quibus Principes et Magistratus Reipublicae, Praelati et alii ecclesiastici in particulari reprehenduntur; Concionatores nostri ab huiusmodi reprehensionibus abstineant.

Nec tacite Religiosos etc.

13. Caveant, ne Religiosos aliorum Ordinum, quos revereri et observare debent, etiam tacite videantur reprehendere. Et quamvis Nostros ad maiores in virtute progressus excitare possint, praesertim in domesticis exhortationibus; reprehensionem tamen alicuius particularis, vel ipsius Societatis, ne attingant. *P. 3 c. 1,* **S.**

A dubiis et incertis abstineant.

14. Ne rumoribus populi moveantur, ut nova et parum confirmata in publicum afferant; et multo minus ea populo proponant, quae alioqui dubia et incerta sunt.

Modus res denuntiandi, etc.

15. Curent, ut rationem et modum, quem observare debent in rebus populo denuntiandis, et certis pauperibus aliisque piis operibus commendandis, a Superiore accipiant.

Facetias et inutilia fugiant.

16. Caveant omnino, ne facetiis aut inutilium rerum narratione concionem contemptibilem faciant, iisve auditores ad risum moveant; vel contra, ut ad fletum excitent, spectanda aliqua populo proponant, a communi in Societate concionandi consuetudine aliena, nisi in aliquo peculiari casu ad communem aedificationem pertinere Superior, pro ratione loci, iudicaret.

Dicenda praemeditabuntur.

17. Ea, quae dicturi sunt, diligenti praemeditatione, et peculiari ad Deum recursu, quatenus per tempus licebit, paranda erunt.

Arrogantiam, et ostentationem fugiant.

18. Caveant arrogantiam et ostentationem in concione: humilitatemque, cui ex intimo cordis affectu studere debent, in omni actione prae se ferant. Quod si aliquid pro se aut Societate cogantur respondere, ea modestia satisfaciant, ut causam Christi, non suam agere videantur.

Motus animorum praecipue spectandus. *P. 4 c. 8 n. 8.*

19. Modus concionandi, qui a scholastico diversus esse debet, ita sit ad docendum comparatus, ut ad animorum motum praecipue dirigatur. Cumque quaestio aliqua earum, quae ad fidem aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exacte proponantur argumenta, quibus contraria pars confirmatur, nisi auditorium id postulet, ut simpliciores ipso proponendi modo offendi possint; sed eo pacto res exponatur, ut illi ex data explicatione solutionem eorum, quae sibi in mentem venerint aut ab aliis audiverint, facile colligant.

Verborum lenocinia fugiant.

20. Ne sint affectati, aut verborum lenocinia sectentur; nec studio politioris sermonis eos libros habeant familiares, ex quorum lectione detrimentum in spiritu accipiant, et saeculare aliquid redoleant.

Ab exaggerationibus, abstineant.

21. In laudibus et reprehensionibus, a nimiis exaggerationibus et ab omni specie adulationis abstineant.

Modestia vocis et gestus.

22. Gestus corporis sit modestus, et in quo gravitas quaedam religiosa praecipue eluceat, vocemque accommodent ad res, quas tractabunt: proinde eam, ubi non est opus, ne praeter modum extollant aut deprimant.

Horae spatium ne excedant.

23. In concionibus et lectionibus templi, spatium horae ne excedant.

De iis, qui foris concionantur.

24. Qui in loca etiam remotiora concionaturi mittuntur, praeter equum suum et socii, tertium pro sarcinis ne addant. Cumque extra Collegia concionantur, victum potius, quam pecuniam pro victu, accipiant; idque apud ecclesiasticum vel alium honestum civem, vel convenienti aliquo Religiosis loco. Sit vero victus tenuis et parcus, ut Religiosos decet. Viaticum porro non nisi necessarium pro solo itinere admittant.

C. 6 d. 39 n. 4. C. 7 d. 80 n. 8. C. 12 d. 40. C. 14 d. 25. Ord. Gen. c. 1 n. 14.

C. 6 d. 21, 39. Ord. Gen. c. 1 n. 18. Instr. 12.

REGULAE

EORUM, QUI IN MISSIONIBUS VERSANTUR.

Scopus Societatis. P. 4 prooem., A.

1. Cum scopus, ad quem tendit Societas, sit, varias mundi partes ex obedientia Summi Pontificis vel Superioris Societatis peragrando, verbum Dei praedicare, confessiones audire, et reliquis quibuscumque poterit mediis uti ad animas, divina aspirante gratia, iuvandas; quicumque in huiusmodi missionibus versantur, sibi persuadeant, rem maximi ponderis in Societate sibi commissam esse, atque ita se comparare studeant, ut apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possint.

Indifferentia. P. 3 c. 2, G. P. 7 c. 1 n. 1. c. 4 n. 1.

2. Quia vocationis nostrae est vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium et animarum auxilium speratur; unusquisque paratus esse debet, ut in ea vineae Christi parte atque opere se exerceat, quod ipsi commissum fuerit, sive per varia loca discurrendo, sive in quibusdam continenter residendo.

Libera sui dispositio. P. 7 c. 2 n. 1, I.

3. Unusquisque plenam in his ac liberam sui dispositionem Superiori, qui eum Christi loco dirigit, relinquat: poterit tamen motus animi aut cogitationes, quae in contrarium occurrunt, illi proponere, subiiciendo suum sentire et velle ei, quod ipse in Domino iudicaverit.

Finem missionis a Superiore intelligat. P. 7 c. 1 n. 5.

4. Ei, qui mittendus erit, plurimum conveniet, ut intelligat a Superioribus scopum suae missionis, et effectum, cuius gratia mittitur: id quod in scriptis, si fieri potest, habere curabit.

Modus servandus cum oppidatim mittuntur. P. 7 c. 2, G. C. 3 d. 37 can. 12. C. 6 d. 39 n. 3.

5. Cum oppidatim missi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, quoad fieri poterit, ut more pauperum Evangelium praedicent: proinde et pedites, vel in toto vel in parte, iter facient, si eos Superior id praestare posse iudicaverit, et ex eleemosynis, vel oblatis vel cum aedificatione emendicatis, vivent; nisi alia ipsis a Superiore sustentationis ratio sit constituta.

Ad quos divertendum.

6. Si nullum eis a Superiore designatum fuerit hospitium, intelligant sibi ad aliquod hospitale, tamquam ad hospitium pauperum, esse divertendum, si tamen honestum id sit, atque ad exercenda ex eo ministeria Societatis accommodatum; alioqui convenientius erit, ut in domum pii alicuius et exemplaris ecclesiastici, aliumve eiusmodi locum se recipiant, in quo cum aedificatione manere possint.

Ordinarium quamprimum adeant.

7. Cum ingressi fuerint loca ea, in quibus Ordinarii resident, eos quamprimum adeant, suamque operam illis submisse offerant, et facultatem ad

P. 10 n. 11, B.

exercenda Societatis ministeria modeste ac religiose petant, eosque omnes tam ecclesiasticos, praecipue Parochos, quam saeculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos sibi facere studeant.

Agnoscant qui eos iuvare possunt.

8. Cum eo pervenerint, ubi diutius immorari debent, prudenter ac mature operam dabunt, ut notitiam habeant probatorum virorum, et pietate ac rebus agendis insigniorum, quorum informatione vel auxilio iuvari possint ad ministeria Societatis maiore cum fructu animarum exercenda.

Orationes pro missionibus. *P. 7 c. 2, M. c. 4 n. 3.*

9. Qui in missione Superior erit, initio suscipiendorum operum, vel quando maior subsidii necessitas cernitur (quod res magni momenti sint, vel difficultates graves incidant), applicabit curabitque applicari Missas et orationes, ut omnia cedant ad maiorem Dei gloriam, et proximorum utilitatem.

In quibus se exercebunt. *P. 7 c. 3 n. 2, A.*

10. Si iis, qui mittuntur, non fuerit iniunctum, ut medio aliquo utantur limitato, quale esset vel legere, vel praedicare, etc., in iis tantum se exercebunt, quibus Societas uti solet iuxta Constitutiones: conferre tamen illa cum eo Superiore, qui eis propior fuerit, semper erit securius.

Quibus mediis spiritualibus utentur. *P. 4 c. 8. P. 7 c. 4.*

11. Media spiritualia, quibus iuxta Institutum Societatis et beneplacitum Superioris uti poterunt, fere sunt: ministerium verbi Dei in praedicationibus, sacris lectionibus, privatisve exhortationibus et colloquiis, sacramentorum confessionis et Eucharistiae administratio, Exercitiorum Spiritualium traditio, dissidentium reconciliatio, casuum conscientiae ad ecclesiasticos, eorumque officii magis privata explicatio, et christianae doctrinae ad pueros ac alios rudes publica declaratio.

Corporalibus pietatis operibus vacandum. *P. 7 c. 4 n. 9.*

12. Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia permittent et vires patientur, incumbere poterunt, ut infirmos, praecipue in xenodochiis, per se vel per alios iuvando, et pauperes ac in custodiis detentos, quatenus licebit, eodem modo sublevando.

Ab humilioribus ministeriis inchoandum.

13. Etsi certus ordo in nostris ministeriis exercendis praescribi non potest; plerumque tamen utilius erit et securius ab humilioribus inchoare, ut a doctrina christiana pueris explicanda, ab aegrotis hospitalium invisendis, eorumque et aliorum magis indigentium confessionibus audiendis.

Divina media praecipue adhibenda.

14. Quamquam humana media, non solum spernenda non sunt, sed etiam, cum opus est, prudenter et religiose adhibenda; divinis tamen et nostri Instituti magis propriis praecipue utendum est, in eisque magis fidendum, orandusque Deus, ut iis omnibus det eam efficaciam, quae sit proposito fine consequendo necessaria.

Omnibus omnia fiant.

15. Iuxta eam charitatis regulam, qua se Apostolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucrifaceret, expediet nonnumquam, ut ingenio eorum, cum quibus agent, initio se attemperent, quatenus ratio et virtus ferent, ita tamen, ut meminerint ad id tandem eos cum Dei gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre iudicabunt.

Animi magnitudo.

16. Eam animi magnitudinem et aequabilitatem retinere studeant, ut et prosperis successibus et adversis superiores sint; quo nullo eventu fracti, nec religiosae modestiae, nec sanctae libertatis, nec bonae de se conceptae existimationis, quae ad fructum colligendum necessaria est, quidquam amittant.

Quid cum male affectis erga

17. Si quos erga se aut Societatem

Societatem faciendum. P. 10, B.

male affectos esse intellexerint, praesertim non vulgaris auctoritatis homines, aut qui nostra ministeria impediant, non solum pro eis orabunt, sed etiam convenientem aliquam rationem inibunt, ut eos amicos aut saltem non adversarios faciant. Ad quam rem non parum conferet, si, data occasione, Instituti nostri rationem illis exponant, nullumque officii genus praetermittant, quo illos, cum opportunum fuerit, sincere ac religiose demereri et conciliare possint.

Alienis a nostro Instituto ne se implicent.

18. Si quando Praelatum aliquem in visitanda dioecesi comitabuntur, nihil se in negotiis ad visitationem spectantibus, aliisve id genus ad iurisdictionem pertinentibus immisceant, sed iis tantum ministeriis attendant, quae sunt nostri Instituti propria.

Nullam reformandi Cleri curam admittant. P. 6 c. 3 n. 5.

19. Quamvis optare debent, ut in sua quisque vocatione proficiat, aequumque est, ut pro suo munere ad eam rem omnes hortentur; nullam tamen reformandi Cleri aut Monialium aliorumve Religiosorum curae partem admittant: sic enim fiet, ut et munus suum sine impedimento exsequi, et populum ad uberiorem fructum ex visitatione percipiendum sine offensione disponere possint.

Occasiones divini servitii non omittant. P. 7 c. 1 n. 7.

20. Cum, praeter id quod eis fuerit peculiari ratione iniunctum, res aliqua divini servitii se obtulerit, in qua possint sine detrimento suae missionis suam operam ponere, opportunitatem, quam Deus ad eam dederit, quantum in eodem convenire iudicabunt, e manibus elabi non sinent.

Excursiones facere licebit. P. 7 c. 1 n. 7.

21. Si in locis designatis diutius residendum erit, locumque dederint praecipua negotia (quae numquam propter alias occasiones, licet bonas, divini obsequi posthabebunt), excursiones aliquas facere, si eas cum fructu fore iudicabunt, non erit inconveniens.

Congregationibus statuta non condent.

22. Sine facultate Superioris nulli Confraternitati Congregationive statuta condent, seu vetus illa sit, seu nova instituenda videatur. De nova autem instituenda, et quae nullibi sit in usu, non prius agent, quam Superiorem consulant.

Quomodo coepta constituant.

23. Quae Deo auctore perficient, ea quantum licebit ita constituant, ut stabilia sint, et diu durare possint. Quod facilius obtinebunt, si res convenienti ordine disponant, earumque bonum progressum iis commendent, quorum exemplo, auctoritate, studio et diligentia facile conservari et promoveri possint.

Quoties, et ad quem scribendum. P. 7 c. 2 n. 7. C. 2 d. 54 can. 28.

24. Scribent ad eum, quem designaverit ille, a quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit constitutum: et, quantum fieri potest, totius successus eum certiorem reddant, quemadmodum personae et negotia exegerint, ut consilio et aliis auxiliis iuvari possint.

Propriae perfectionis sint memores.

25. Cum, propter nullas occupationes intermittendum sit propriae perfectionis studium, diligenter animadvertant, ne, praetextu procurandae aliorum salutis, propriae perfectionis obliviscantur: ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant; sed saepe illud Domini mente revolvant: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* sibique illud D. Pauli unusquisque dictum existimet: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis: hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.*

Matth. XVI, 26.

1 Tim. IV, 16.

Spiritualia in Collegiis consueta non imminuant.

26. Hanc ob rem caveant, ne consueta in Collegiis ac Domibus orandi et examinandae conscientiae exercitia

imminuant, nisi si quando necessitas, aut in eventu aliquo charitas aliud faciendum postularet. Conversationem cum saecularibus nimiam non habeant aut incautam, aut quae saecularem sapiat; sed in omnibus se integritatis et gravitatis exemplum praebeant; atque in summa Regularum Societatis, sive earum quae omnibus communes sunt, sive quae ipsorum officii propriae, quantum locus patitur, observationem non praetermittant.

P. 7 c. 4 n. 2.

Instructiones insuper observandae. *P. 7 c. 2 n. 2.*

27. Praeter haec, si pro ratione diversarum regionum, et missionum qualitate, alia quaedam a Superioribus constituenda videbuntur; ea, in peculiaribus instructionibus addita, pari diligentia observanda erunt.

REGULAE PEREGRINORUM.

Peregrinationis finis.

1. PERSUADEANT sibi, peregrinationis finem, non tam esse corporis defatigationem, et ut multum iter conficiant, quam ut ex ea fructum aliquem spiritualem percipiant: atque ex eo fine, et iter ipsum, et caeteros preregrinationis labores moderentur.

Litaniae vel itinerarium.

2. Litanias simul omnes quotidie in ipso itineris ingressu, vel itinerarium dicant; nec orationem et consueta examina praetermittant; et alias etiam Regulas observent, quantum ratio itineris permittet.

In itinere meditatione et piis colloquiis subleventur.

3. Studeant frequenti oratione et meditatione comitem itineris sibi Christum facere, et colloquiis interdum piis et religiosis, ac lectione alicuius libri pii, molestias itineris levare poterunt. Quod si cum externis in via aut in hospitiis egerint, meminerint, pro ratione sui gradus, habita ratione temporis et personarum, sermones de rebus spiritualibus inducere, et fructum aliquem, quoad poterunt, efficere.

Eleemosynas quomodo petent. *Exa. c. 4 n. 12.*

4. Eleemosynas simpliciter pro Christi amore petant; ut, omni spe illa abiecta, quam in pecuniis et rebus creatis habere possunt, integre, vera cum fide, et ardenti amore eam in suo Creatore ac Domino constituant; memores a Christo Domino Apostolos sine sacculo et pera missos, ipsum etiam Dominum non habuisse, ubi caput reclinaret.

Indigentiam, penuriam et iniurias patienter ferant. *Exa. c. 4 n. 12, 26, 44.*

5. Indigentia et penuria rerum corpori necessariarum probari exoptent, ut ad incommoditatem cibi somnive capiendi libenter assuefiant: iniurias vero, illusiones et opprobria, quae illis in itinere inferri contigerit, patienter cum DEI gratia ferant, gaudeantque materiam praeberi sibi imitandi aliquo modo Christum Dominum, eiusque vestibus atque insignibus seipsos induendi.

Debiles ut sublevandi

6. Qui maioribus pollent ad viam

peragendam viribus, eos, qui sunt infirmiores, subsequi et non praecedere debent, et iter cuiusque diei horum debilium infirmitati commensuretur. Quod si quis viribus destitueretur, iumento aut alia ratione iuvari debet; qua in re, non qualitatis personarum, sed necessitatis et charitatis fraternae ratio est habenda.

Quid cum in morbum inciderint.

7. Si quis in morbum incideret, ita, ut ulterius progredi non posset, nec expediret reliquos ibi moram trahere, si vicinum esset Collegium aut Domus Societatis, eo esset aeger, si modo morbus patiatur, deducendus; alioqui aliquis ex Nostris illi erit socius relinquendus, ut consolationi ei sit et auxilio; aegro autem viribus restituto, coeptum iter ambo prosequentur.

Invitati, verbis et exemplo hospites aedificent.

8. Si in via ab honesto et pio amico invitarentur, posset, qui praeest, hospitalitatis beneficium admittere; tunc autem curare debent verbis et religioso exemplo hospites aedificatos in Domino relinquere.

Sobrietas, modestia et aedificatio.

9. Eiusdem aedificationis et exempli in omnibus hospitiis meminisse debent; sobrietatis etiam in mensa, et modestiae in conversatione numquam obliviscantur.

Bonum exemplum.

10. Cum in itinere ad Collegia vel Domos Societatis divertent, studeant omnes bonum aedificationis odorem exemplo vitae ac morum Nostris relinquere. De rebus vero aut personis aliorum Collegiorum aut Domorum nihil loquantur aut tractent, nisi ad aedificationem.

In locis, ubi sint Nostri, nil ab externis petendum.

11. Si transierint per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis sit, nihil ab externis, nec pro se, nec pro aliis petant aut accipiant, sine facultate Superioris eiusdem Domus vel Collegii.

Iter facientes has Regulas servent.

12. Omnes alii, qui iter faciunt, ex Nostris, equites aut pedites, has Regulas peregrinorum suo modo, quantum fieri potest, etiam servent: et tam peregrini quam reliqui, qui iter faciunt, patentes litteras sui Superioris habere curent.

Instr. 7.

REGULAE SCHOLASTICORUM

SOCIETATIS.

Recta intentio. *P. 14 c. 6 n. 1. c. 5 n. 1.*

1. ANIMI puritatem custodire, et rectam in studiis intentionem habere Scholastici nostri conentur, nihil aliud in his, quam divinam gloriam et animarum fructum quaerentes; ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur: et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant.

Diligentia.

2. Serio et constanter ad studia

P. 4 c. 6 n. 2. c. 4 n. 2.

animum adiiciant; utque cavendum sibi putent, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosae vitae amor, ita sibi vicissim persuadeant nihil gratius se Deo facturos in Collegiis, quam si cum ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant: et licet numquam ad exercenda ea, quae didicerint, perveniant; illum tamen studendi laborem ex obedientia et charitate, ut par est, susceptum, opus esse magni meriti in conspectu divinae et summae Maiestatis apud se statuant.

Indifferentia quoad Facultates. *P. 4 c. 5 n. 2. c. 6 n. 6.*

3. Iis Facultatibus singuli operam dabunt, eosque audient Praeceptores, quos Superior assignabit.

Assiduitas. *P. 4 c. 6 n. 8.* — *P. 4 c. 6 n. 8, H.*

4. Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui, et in eis praevidendis diligentes, et postquam eas audierint, repetendis: in quibus repetitionibus, si quid erit, de quo ipsi dubitent, Magistrum adeant.

Adnotanda. *P. 4 c. 6, I.*

5. Ex lectionibus, quae adnotatu digna erunt, in scripta referent, et postea, maiori cum ordine digesta, transferant in libros papyraceos, quae in posterum conservata velint.

Disputationes publicae. *P. 4 c. 6 n. 10.*

6. Intersint Scholastici communibus scholarum, etiam externarum, ad quas accedunt, disputationibus; et doctrinae specimen pariter ac modestiae praebere curent.

Quotidianae repetitiones. *P. 4 c. 6 n. 11.*

7. Quotidianis disputationibus ac repetitionibus omnes intersint; et qui disputant ei, qui praeest, religiose obediant.

Modestia eundo ad scholas. *P. 4 c. 4 n. 6.*

8. Cum ad publicas scholas eundum erit, eant et redeant invicem associati, cum ea modestia interiori et exteriori, quae ad sui et aliorum aedificationem conveniat.

Colloquia cum externis. *P. 4 c. 4 n. 6.*

9. Eorum colloquia, qui cum scholasticis externis loquendi facultatem habuerint, sint solum de rebus ad litteras vel ad profectum spiritus pertinentibus, prout ad maiorem Dei gloriam omnibus utilius fore iudicabitur.

Latina lingua. *P. 4 c. 6 n. 13.* **Memoriae et stili exercitatio.** *P. 4 c. 13 n. 3.*

10. Omnes quidem, sed praecipue Humaniorum Litterarum studiosi, latine loquantur, et memoriae quod a suis Magistris praescriptum fuerit commendent, ac stilum in compositionibus diligenter exerceant.

Interruptio studiorum. *P. 3 c. 2, D.*

11. Ultra duas horas nemo aut legendo aut scribendo labori incumbat, quin studium intermittat aliquantulo temporis intervallo. Praescriptam vero a Praefecto divisionem temporis servent diligenter universi, nec aliis quam ab eo sibi traditis utantur libris.

Temporis divisio.

Privata scriptorum relectio. *P. 4 c. 6 n. 14, M.*

12. Horis privato studio attributis, qui superioribus Facultatibus vacant, domi relegant quae scripserint in scholis, eaque curent intelligere, et intellecta sic examinent, ut ipsi sibi obiiciant, et quae obiecerint solvant; quae nequeunt, annotent ad interrogandum vel disputandum.

Quando adeundi Magistri. *Instr. 17 n. 2. C. 6 d. 40 n. 5. C. 7 d. 80 n. 18.*

13. Si Magistros studiorum causa convenire debent, horam certam a Superiore destinatam habeant, extra quam illorum cubicula sine peculiari facultate non adeant.

Ex deputat. pro Coadiut. in Congr. 6. Instr. 8.

REGULAE

COADIUTORUM TEMPORALIUM.

Qualis eorum finis. *Exa. c. 6 n. 7.* *C. 1 d. 97.*

1. INTELLIGANT omnes primariam ipsorum intentionem ad inserviendum divinae Maiestati in Societate esse debere, non solum, ut diligentiam omnem in spiritualia exercitia, orationem ac devotionem statis temporibus impendant; sed etiam se exerceant in domesticis suae vocationis ministeriis, quantumvis humilibus et abiectis, cuiuscumque generis illa sint, parati ad vitam omnem in eis exigendam; sibi persuadendo se in ea re obsequium et laudem praestare suo Creatori ac Domino, ob cuius amorem reverentiamque in iis elaborant.

Quae eorumdem cura *P. 1 c. 2 n. 2.*

2. Praecipua illorum cura sit conscientiae puritas, serioque in earum virtutum studia incumbant, quae hunc Societatis gradum in primis ornant atque perficiunt, ac sine quibus statui suae vocationis pro dignitate respondere nullo modo possent; cuiusmodi sunt: devotio, animae quies, tractabilitas, amor virtutis, desiderium perfectionis; ut domesticis et externis aedificationi sint; ut, sorte Marthae contenti, activa se vita exerceant, peculiari amore Institutum Societatis prosequentes, cuius utilia membra ad Domini gloriam esse contendant.

Recreatio et locus recreationis.

3. In quotidiana recreatione cum iis potissimum versentur, a quibus commode in rebus spiritualibus iuvari possint: neque coeant inter se soli, aut a communi recreationis loco seorsim secedant.

Otii fuga.

4. Postquam sui officii ministeriis satisfecerint, si quid vacui temporis superfuerit, id totum in alia exercitia spiritualia aut corporalia impendant; eiusque rei causa Superiorem adibunt, ut, quae de ea re sit eius voluntas, ex ipso cognoscant.

Quos comitantur solos ne deserant. *Reg. 18 Sacerd. Instr. 8 n. 7. Instr. 15 c. 2.*

5. In comitandis Nostris, cum praesertim mulieres invisunt, non solum illud diligenter servare debebunt, quod Sacerdotibus eorum Regulis praescribitur (ut, cum ad confessiones feminarum audiendas mittuntur, vel alia de causa eas adeunt, socius iis a Superiore datus, quamdiu Sacerdos cum feminis loquetur, eo in loco sit, unde eos videre possit, quantum loci natura patietur, non tamen ea, quae secreta esse oportet, audire); sed etiam, cum viros cuiuscumque conditionis aut ordinis adibunt, dabunt operam, ut nullo tempore eum solum relinquant, tum ob religiosam decentiam, tum ob communem aedificationem; nisi forte qui invisuntur tantae auctoritatis sint, ut ob urbanitatem aut negotiorum naturam ra-

tio suadeat, non esse Sacerdotis aut cuiusvis e Nostris socium ad eam tractationem admittendum. Illud praeterea noverint, debere se, cum domum redierint, ultro Superiorem admonere, etiamsi ab ipso non rogentur, si quid in eo genere contra hanc regulam commissum sit.

Superiorem moneant.

Observantia, erga Sacerdotes praesertim. *Reg. 29 Summ.*

6. Meminerint, non solum ex regula omnes in animo tamquam sibi superiores ducere, et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibere; sed etiam peculiari studio curent erga omnes illos e Nostris, qui Coadiutores non sunt, exteriori observantia et modo conversandi, eum, quem debent, respectum humilitatemque prae se ferre, idque multo etiam magis erga sacerdotalem ordinem.

De paupertate.

7. Quod ad paupertatem attinet, etsi res est omnibus communis, tamen, ob multas quas habent occasiones variarum administrationum, caveant diligenter, ne quid sibi capiant, aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam faciant in hoc genere absque expressa licentia Superioris: praesertim reliquiaria, cruces, Agnos Dei, lapides bezuarios, et id genus alia; sibique persuadeant posse in iis rebus graviter contra votum peccari.

Doctrina christiana.

8. Cum ad ipsorum spiritualem instructionem sit hebdomadis singulis christiana doctrina explicanda, prout Superior praescripserit, omnes conventui intererunt, et ex ea re fructum percipere conentur.

Ne cum proximis agendo limites excedant. *Reg. 42 Comm.*

9. Et, quamquam, ut est in Regulis communibus, * data commoda occasione eniti debent piis colloquiis proximum ad meliora promovere, et consilio atque exhortatione ad bona opera, praesertim ad confessionem, excitare; videbunt tamen, ne limites sibi a regula praescriptos excedant, in qua illud est, *pro ratione sui gradus*, ne quid in eo peccent.

Quinam libri concedendi.

10. Librum nullum neque retinere, neque legere, cuiuscumque generis, iis licebit, sine Superioris licentia, cuius erit iudicium eos illis assignare, qui magis ad ipsorum spiritualem fructum expedire videbuntur.

Eorum ministeria. *Exa c. 6 n. 3.*

11. Meminerint demum quod B. P. N. Ignatius scriptum reliquit: quemadmodum proprium est Sacerdotum et Operariorum spiritualium Societatem in confessionibus audiendis, in exhortationibus, in doctrina christiana aliisque litteris edocendis iuvare; ita proprium illorum esse in ministeriis omnibus inferioribus et humilioribus, quae illis iniungentur, exerceri; sibi persuadentes, quod, Societatem in iis rebus iuvando, (quo possit ipsa expeditius animarum saluti vacare) eidem omnium Domino serviant, siquidem propter divinum ipsius amorem et reverentiam id faciunt. Ideo prompti esse debebunt cum omni humilitate et charitate, quoad eius fieri poterit, ad ea officia, quae eis credita fuerint, exacte obeunda. Quo fiet, ut non solum mercedem integram laborum sudorumque suorum consequantur, sed una etiam participes efficiantur omnium bonorum operum, quae Deus per universam Societatem ad obsequium et laudem suam operari dignabitur: quemadmodum et omnium indulgentiarum et gratiarum, quae Professis ad suarum animarum bonum benigne a Sede Apostolica concessae fuerint.

EPISTOLA

S. P. N. IGNATII

DE VIRTUTE OBEDIENTIAE.

IGNATIUS LOIOLA FRATRIBUS SOCIETATIS IESU, QUI SUNT IN LUSITANIA, GRATIAM ET AMOREM CHRISTI DOMINI SEMPITERNUM.

1. MAGNAM animi voluptatem capio, Fratres in Christo charissimi, cum affertur ad me quam acri studio conatuque ad summam virtutis ac divini obsequii perfectionem enitamini; beneficio illius, qui vos, ut ad hoc vitae institutum vocavit, sic in eodem pro sua clementia retinet dirigitque ad beatum finem, ad quem, qui sunt ab ipso electi, perveniunt.

2. Atque ego sane, cum vos omnibus donis ornamentisque spiritualibus perfectos, tum vero, quod alias ex me cognovistis, in primis obedientiae virtute praestantissimos esse cupio: idque, non solum ob eximia quaedam ac singularia eius bona, quae tot tamque illustribus Sacrarum Litterarum testimoniis atque exemplis in Testamento aeque Novo ac Veteri comprobantur; sed etiam, quod, ut est apud S. Gregorium, *obedientia sola virtus est, quae virtutes caeteras menti inserit, insertasque custodit.* Haec dum floruerit, florebunt procul dubio reliquae, edentque fructus, quales et ego in animis vestris exopto, et suo iure postulat is, qui humanum genus, neglectae obedientiae scelere afflictum ac perditum, salutari ipsemet obedientia reparavit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Lib. 35 Moral. c. 10.

Philip. II, 8.

Obedientia maxime propria Societati.

3. Ab aliis religiosis Ordinibus facilius patiamur superari nos ieiuniis, vigiliis, et caetera victus cultusque asperitate, quam suo quique ritu ac disciplina sancte suscipiunt; vera quidem ac perfecta obedientia, abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime velim, Fratres charissimi, esse conspicuos, quicumque in hac Societate DEO Domino nostro deserviunt, eiusdemque Societatis veram germanamque sobolem hac quasi nota distingui, qui numquam intueantur personam ipsam, cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt. Siquidem Superiori, nec si prudentia, bonitate caeterisve qui-

buslibet divinis donis ornatus instructusque sit, propterea obtemperandum est; sed ob id solum, quod vices gerat Dei, eiusdemque auctoritate fungatur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit:* nec contra, sive consilio aut prudentia minus valeat, quidquam idcirco de obedientia remittendum, quatenus ille Superior est (quando illius personam refert, cuius sapientia falli non potest, supplebitque ipse quidquid ministro defuerit), sive probitate aliisque ornamentis careat. Siquidem disertis verbis Christus Dominus, cum dixisset: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei,* protinus addidit: *Omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.*

Luc. x, 16.

Matth. xxiii, 2, 3.

Causa motiva obedientiae.

4. Quocirca sedulo vos in eam curam atque exercitationem incumbere cupio, ut Christum Dominum in Superiore quolibet agnoscere studeatis, in eoque divinae Maiestati reverentiam atque obedientiam summa cum religione praestare. Quod vobis minus mirum videbitur, si animadverteritis praeceptum esse ab Apostolo, ut Superioribus, etiam saecularibus ethnicisque, pareamus, ut Christo, ex quo omnis potestas bene instituta descendit; sic enim scribit ille ad Ephesios: *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus.* Atque hinc existimare poteritis ipsi, cum se Religiosus quispiam regendum ac moderandum alteri tradidit, non solum ut Superiori, sed etiam nominatim ut Christi partes agenti, quo illum loco apud animum suum habere, utrum ut hominem, an ut Christi vicarium debeat intueri.

Ad Ephes. vi, 5, 6, 7.

Mandatorum executio: primus gradus obedientiae.

5. Iam vero illud etiam vobis clare compertum esse ac in animis vestris penitus insidere vehementer cupio, infimam et valde imperfectam esse illam obedientiae formam, quae mandata dumtaxat opere exsequitur; nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem Superioris suam efficiat, et cum ea ita concordet, ut, non solum in effectu exsecutio appareat, verum etiam in affectu consensio; sicque idem velit uterque, idem nolit. Atque propterea in Sacris Litteris legimus: *Melior est obedientia, quam victimae;* siquidem, ut S. Gregorius docet, *per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur;* quae quidem pars animi, quoniam est adeo praestans, sic fit, ut eius oblatio, Domino ac Creatori nostro per obedientiam facta, magni sit aestimanda.

Consensio in affectu: secundus gradus.

1 Reg. xv, 22.

Lib. 35, *Moral.* c. 10.

6. Quanto in errore, quamque periculoso versantur, non solum ii, qui in iis, quae ad carnem et sanguinem pertinent, sed illi etiam, qui in rebus alioquin admodum sanctis ac spiritualibus, ut ieiuniis, precationibus aliisve quibusvis pietatis operibus fas putant a praescripto Superioris ac voluntate discedere! Audiant quod sapienter adnotat Cassianus in Collatione Danielis Abbatis: *Unum sane,* inquit, *atque idem inobedientiae genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, senioris violare mandatum; tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilia, Monasterii statuta convellere: tantum denique est Abbatis transire praeceptum, ut legas, quantum, si contemnas,*

Collat. 4, c. 20.

ut dormias. Sancta fuit actio Marthae, sancta contemplatio Magdalenae, sancta poenitentia et lacrymae, quibus pedes Christi Domini rigabantur; sed haec omnia nimirum oportuit fieri in Bethania, quam vocem domum obedientiae interpretantur, ut ea re, quemadmodum ait S. Bernardus, nobis significare voluisse Dominus videatur, *nec studium bonae actionis, nec otium sanctae contemplationis, nec lacrymas poenitentis extra Bethaniam illi accepta esse* potuisse.

Serm. ad milit. templ. cap. 13.

7. Quocirca voluntates vestras, Fratres charissimi, quoad eius fieri potest, omnino deponite; libertatem Conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in eius ministris libere tradite ac dicate. Nolite exiguum vestri liberi arbitrii fructum putare, quod liceat vobis illud, a quo id accepistis, eidem per obedientiam plene reddere. Quod cum facitis, non modo non perditis ipsum, verum etiam augetis atque perficitis; quippe qui vestras omnes voluntates certissima rectitudinis regula moderamini, voluntate divina, quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine praesidet.

8. Itaque diligenter illud etiam cavendum est, ne Superioris ullo umquam tempore voluntatem, quam ducere pro divina debetis, ad vestram detorquere nitamini: id enim esset, non vestram divinae conformare, sed divinam vestrae voluntatis norma regere velle, eiusdem divinae sapientiae ordinem invertentes. Sane quam magnus est error, et quidem eorum, quos amor sui obcaecavit, obedientes existimare sese, cum Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint! Sanctum Bernardum, in hac re praeclare exercitatum, audite: *Quisquis,* inquit, *vel aperte vel occulte satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse Praelato, sed magis ei Praelatus obedit.* Quae cum ita sint, quisquis ad obedientiae virtutem velit pervenire, oportet ad hunc secundum obedientiae gradum ascendat, ut Superioris, non solum iussa exsequatur, sed etiam eius voluntatem suam faciat, seu potius suam exuat, ut divinam, a Superiore expositam, induat.

Serm. de trib. ordin. Ecclesiae.

Submissio iudicii: tertius gradus.

9. Qui vero se totum penitus immolare vult Deo, praeter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius et summus est gradus obedientiae, offerat necesse est: ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat quod Superior, eiusque iudicio subiiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quae vis animi, tametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate praedita est, atque ipsa natura fertur eius assensus in id, quod sibi veri speciem praebet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitae veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hac potius, quam in illam partem inclinari. Quae res cum incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare sese in sententiam Superioris. Etenim, cum obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo sine ulla prorsus imminutione Conditori suo ac Domino per manus ministrorum in charitatis igne immolatur; cumque sit eadem renuntiatio quaedam integra, per quam omni suo iure sponte decedit Religiosus, ut divinae providentiae Superioris ductu gubernandum ac

possidendum ultro sese addicat ac mancipet; negari non potest, quin obedientia comprehendat, non solum exsecutionem, ut imperata quis faciat, et voluntatem, ut libenter faciat; sed etiam iudicium, ut quaecumque Superior mandat ac sentit, eadem inferiori et recta et vera esse videantur; quatenus, ut dixi, vi sua potest voluntas intelligentiam flectere.

Necessitas tertii gradus obedientiae.

10. Utinam hanc mentis et iudicii obedientiam ita et intelligerent homines et exercerent, ut grata Deo est, ac omnibus, qui in Religione vivunt, necessaria! Nam, ut in corporibus globisque coelestibus, ut alius alium afficiat moveatque, requiritur, ut certa quadam convenientia et ordine inferior orbis superiori subiiciatur; sic in hominibus, cum alter alterius auctoritate movetur, quod per obedientiam fit, oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, subserviat et obsecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur et influat. Haec autem obtemperandi obsecundandique ratio constare non potest, nisi voluntas ac iudicium inferioris cum Superioris voluntate ac iudicio congruat.

11. Iam vero, si finis et causa obedientiae spectatur, quemadmodum voluntas, ita et iudicium in eo, quod nobis convenit, decipi potest. Ergo, sicuti ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur; sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. *Ne innitaris prudentiae tuae*, Sacrae Litterae monent: atque in rebus etiam humanis censent sapientes, vere prudentis esse sua ipsius prudentia minime fidere, praesertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato fere boni iudices esse non possunt. (*Prov.* III, 5.) Quod si in rebus nostris alterius, etiam non Superioris, iudicium atque consilium nostro anteponendum est, quanto magis ipsius Superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti ac divinae voluntatis interpreti, moderandos tradidimus? In causis vero personisque spiritualibus eo maior etiam cautio procul dubio est necessaria, quo gravius est spiritualis viae periculum, cum sine frenis consilii discretionisve in ea decurritur. Qua de re commode Cassianus in Collatione Abbatis Mosi ait: *Nullo alio vitio tam praecipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit definitionique confidere.* (*Col.* II, 11.)

12. Praeterea, nisi haec obedientia iudicii exsistat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel exsecutio talis sit, qualem esse oportet: natura enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quae appetitivae dicuntur, sequantur apprehensivas; et nisi adhibita vi, voluntas, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, qua censetur, perperam etiam praecipienti, parendum esse; certe id stabile ac fixum esse non potest: atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiae perfectio, quae in prompte et alacriter obediendo consistit: non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, ubi est animorum sententiarumque dissensio. Perit etiam exsequendi studium et celeritas, cum ambigitur expediat, necne, facere quod iubemur; perit celebris illa obedientiae caecae simplicitas, cum apud nos ipsos in quaestionem vocamus, rectene prae-

cipiatur, an secus; atque etiam fortasse damnamus Superiorem, quod ea mandet, quae nobis non ita iucunda sunt; perit humilitas, quoniam, etsi ex altera parte paremus, ex altera tamen nosmetipsos Superiori praeferimus; perit in rebus arduis fortitudo; perit denique, ut summatim complectar, virtutis huius vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes aliaque vitia non sane levia, quibus obedientiae pretium ac meritum prorsus exstinguitur. Itaque S. Bernardus, de iis, qui graviter ferunt imperata minus sibi suavia, sic ait: *Haec si moleste coeperis sustinere, si diiudicare Praelatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod iubetur, non est haec virtus patientiae, sed velamentum malitiae.* Quod si pax et tranquillitas animi quaeritur, certe hac non fruetur is, qui habet intra sese causam perturbationis atque tumultus, dissensionem videlicet iudicii proprii ab obedientiae lege.

Serm. 3 de Circumcisione.

13. Atque idcirco, tuendae concordiae causa, quae societatis omnis est vinculum, tantopere hortatur Apostolus, ut id ipsum omnes sapiant et dicant: nimirum, ut, consentientibus et iudiciis et voluntatibus, mutuo foveantur et conserventur. Iam si unum eumdemque oportet esse membrorum sensum et capitis; facile cernitur utrum sit aequius, caput membris, an membra capiti consentire. Atque ex his quidem, quae dicta sunt hactenus, satis apparet obedientia iudicii quam sit necessaria.

Rom. xv. 5. 1 Cor. I, 10. 2 Cor. XIII, 11. Phil. II, 2.

Excellentia tertii gradus obedientiae.

14. Quam vero sit eadem ipsa perfecta grataque Domino, inde primum ostenditur, quod per eam praestantissima pars hominis ac pretiosissima Domino consecratur. Deinde, quod obediens ita fit holocaustum vivum gratumque Maiestati divinae, cum nihil suimet omnino retineat; postremo, quod magna est huius certaminis difficultas: frangit enim sese DEI causa obediens ipsemet, resistitque naturali propensioni, quae omnibus insita est, ad suam complectendam sequendamque sententiam. Ex his igitur rebus efficitur, ut obedientia, tametsi proprie voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam ac paratam, nihilominus ad intelligentiam quoque ipsam, ut diximus, pertinere debeat, eamque inducere ad sentiendum id ipsum, quod sentit Superior: sic enim fiet, ut, omnibus connixi viribus et voluntatis et intelligentiae, ad exsecutionem celerem atque integram veniamus.

Media ad tertium obedientiae gradum acquirendum.

15. Videor mihi vos, Fratres charissimi, audire dicentes, de virtutis quidem huiusce necessitate iam non ambigere; illud vero ut cognoscatis vehementer optare, quo pacto ad eius perfectionem pervenire possitis. Huic ego quaestioni cum S. Leone ita respondeo: *Nihil arduum est humilibus, et nihil asperum mitibus:* modo non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo, non utique deerit DEO benignitas ad vos adiuvandos, ut, quae sibi promisistis, ea praestare possitis, animo non solum aequo, sed etiam libenti.

Serm. 5 de Epiphania.

16. Praeterea vobis tria nominatim propono, quae ad obedientiam iudicii comparandam multum iuvant.

Primum medium.

Primum illud est, ut, quemadmodum initio dixi, non intueamini in persona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, boni-

tas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere. Et quoniam conscii vobismet estis, vos DEI amore iugum obedientiae subiisse, ut in Superioris voluntate sequenda voluntatem divinam certius sequeremini; nolite dubitare, quin pergat fidelissima Domini charitas, eorum ministerio, quos vobis praefecit, vos deinceps gubernare, et rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem ac iussa, non secus ac Christi vocem, excipite: siquidem Apostolus etiam scribens in hanc sententiam ad Colossenses, cum ad obtemperandum Praepositis subditos adhortatur, ait: *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus; scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. Domino Christo servite.* Sanctus vero Bernardus, *Sive DEUS,* inquit, *sive homo, vicarius DEI, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen DEO contraria non praecipit homo.* Atque ita, si non hominem externis oculis, sed DEUM inspexeritis internis, haud sane grave fuerit vobis voluntates vestras atque iudicia conformare ad eam regulam actionum vestrarum, quam ipsimet elegistis.

Coloss. III, 23, 24.

Tract. de praecepto et dispensat. c. 12.

Secundum medium.

17. Altera est ratio, ut, quod Superior mandat vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiose nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipsam rem proderit, bene animatos affectosque esse ad id omne, quod ipse iusserit: sic enim fiet, non solum ut sine molestia, sed etiam ut cum voluptate laetitiaque pareatis: nam, ut est apud S. Leonem, *non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod iubetur.*

Serm. 4 de ieiunio septimi mensis.

Tertium medium.

18. Postrema subiiciendi iudicii ratio est, cum facilior tutiorque, tum etiam apud sanctos Patres in more posita; ut statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior praecipit, ipsius DEI praeceptum esse et voluntatem: atque, ut ad credenda, quae catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis; sic ad ea facienda, quaecumque Superior dixerit caeco quodam impetu voluntatis, parendi cupidae, sine ulla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham, filium Isaac immolare iussus; sic, Novi Testamenti tempore, aliqui e sanctis Patribus iis, quos commemorat Cassianus, ut Ioannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat, utilene esset, an inutile; ut cum aridum lignum tanto ac tam diuturno labore per annum irrigavit: nec utrum fieri posset, necne; ut cum conatus est tam ex animo ingens saxum solus dimovere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent. Quod obedientiae genus ipsis interdum miraculis divinitus comprobatum videmus. Nam, ut alios taceam, quos ipsi non ignoratis, Maurus, S. Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est; alius quidam, a Superiore iussus leaenam ad se ducere, illam cepit, atque perduxit. Est igitur haec ratio subiiciendi proprii iudicii, ac sine ulla quaestione sanciendi et collaudandi apud se quodcumque Superior iusserit, non solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectae obedientiae studiosis imitanda omnibus in rebus, quae cum peccato manifesto coniunctae non sunt.

Gen. XXII.

De Institutis Renuntiantium l. 4 c. 24, 26.

Greg. Dial. l. 2 c. 7.

In vitis Patrum l. 5 libel. 14 n. 4.

19. Nec tamen idcirco vetamini, si quid forte vobis occurrat a Superioris sententia diversum, idque vobis, consulto suppliciter Domino, expo-

nendum videatur, quo minus id ad Superiorem referre possitis. Verum in hac re, ne vos amor vestri iudiciumque decipiat, illa cautio est adhibenda, ut animo sitis et ante et post relationem aequissimo, non solum quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel suscipiendam vel deponendam; sed etiam ad approbandum rectiusque putandum quidquid Superiori placuerit.

Subordinatio in obedientia observanda.

20. Atque haec, quae de obedientia diximus, aeque privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus Praepositisque localibus erga Provinciales, Provincialibus erga Generalem, Generali denique erga illum, quem Deus ipsi praefecit, nempe suum in terris Vicarium, observanda sunt; sic ut et ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax retineatur et charitas, sine qua nec Societatis nostrae nec alterius cuiuslibet sodalitii posset recta gubernatio conservari. Nimirum hoc modo providentia illa divina disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet in Angelis unius hierarchiae ad aliam subordinata series; hinc ad coelestium et aliorum omnium, quae cientur, corporum certis locis ac sedibus inter sese apta connexio, quorum conversiones ac motus ab uno movente supremo gradatim omnes usque ad infimos rite proveniunt. Idem in terris cum in omni civitate bonis instituta legibus, tum vero in hierarchia ecclesiastica cernitur, cuius omnia membra et functiones ab uno generali Christi Domini nostri Vicario derivantur; et quo accuratius haec dispositio et collocatio custoditur, eo rectior est gubernatio et melior. Contra vero huius ordinis negligentia quam gravia incommoda multis hominum societatibus importentur, nemo non videt. Atque idcirco in hac, cuius mihi nonnullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri vigereque percupio, quasi in ea Societatis nostrae bonum ac salus universa consistat.

Sap. VIII, *1.*

Hortatio ad obedientiam sectandam.

21. Quae cum ita sint, ut, unde exorsa est, ibidem terminetur epistola; vos ego per Christum Dominum nostrum obtestor, qui sese nobis non modo praeceptorem, sed etiam exemplar praebuit obedientiae, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis; et, gloriosae victoriae appetentes atque avidi, vosmetipsos superare, id est excelsiorem et difficiliorem animi partem, voluntatem dico atque iudicium, expugnare et subiicere studeatis: quo Dei Domini nostri solida veraque cognitio atque amor vestros ad se animos penitus trahat, totoque vitae huius et quasi peregrinationis curriculo usque eo gubernet ac regat, dum vos demum, aliosque complures vestra opera exemploque adiutos, ad ultimum et felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam perducat. Vestris ad Deum precibus me valde commendo. Roma, septimo kal. Aprilis millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

C. 4 d. 40.

INSTRUCTIO

AD REDDENDAM CONSCIENTIAE RATIONEM

IUXTA MOREM SOCIETATIS.

Necessitas reddendi conscientiae rationem.

INTELLIGANT singuli, dum rationem conscientiae sunt reddituri, quanti momenti Pater noster sanctae memoriae Ignatius id duxerit, ad maiorem divinae bonitatis gloriam; ut subditi magis in spiritu cum gratia uberiori proficiant, ac tanto maiore cum diligentia, amore et sollicitudine iuvari, et a periculis conservari possint; ut quae in Examine et Constitutionibus toties commendantur, et § 40 Summarii Constitutionum praescribuntur de reddenda ratione conscientiae, exacte serventur. Proinde unusquisque magna cum puritate sub sigillo confessionis aut secreti, aut quacumque ratione ei placuerit, et ad maiorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integre manifestam faciat, nullam rem celando, qua Dominum universorum offenderit post ultimam rationem redditam conscientiae; vel certe aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipsius animam.

Exa. c. 4 n. 34 etc. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 2.

Instr. 13 c. 2 n. 2. C. 12 d. 15.

Capita rerum aperiendarum.

Capita vero, de quibus conscientiae ratio reddi debet, haec fere erunt; ex quibus cum ea retulerint, quae ad plenam sui manifestationem dicenda putaverint, petant a Superiore, ut eos interrogando iuvet, ac suppleat, si quid esse iudicet, quod ad maiorem DEI gloriam et suorum notitiam scire velit.

1. An vivat contentus iuxta suam vocationem. — Circa vocationem.

2. Quomodo se habeat circa obedientiam, etiam intellectus, paupertatem, castitatem, et usum aliarum virtutum; et quarum praecipue studio intentus sit. — Vota ut observet.

3. An sentiat aliquas animi perturbationes aut tentationes molestas, et de facilitate, seu difficultate, et modo eis resistendi; et ad quos affectus vel peccata sit magis propensus et incitatus. — An tentationes sentiat, et quomodo resistat.

4. An contra Constitutiones, vel regulam aliquam, vel ordinationem superiorum firmum iudicium habuerit, vel contra eam disputaverit. — An contra Constitutiones.

5. Quid sentiat de ipso Instituto Societatis, et mediis, quibus illa utitur ad suum finem consequendum; et quem experiatur in se zelum animarum. — De Instituto, et zelo animarum.

6. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus, quantum temporis orationi tribuat, et num vocali, an potius mentali iuvetur, et utri plus temporis tribuat, et quem modum in orando teneat. — Ut orationi sit affectus.

Consolatio, et desolatio. 7. Num in usu rerum spiritualium consolationem et devotionem habeat, an vero contra desolationem, ariditatem, et vagationem animi patiatur; et quomodo in iis se gerat.

Fructus communionis, examinis, etc. 8. De fructu quem ex communione, confessione, examine, praesertim particulari, et aliis exercitiis spiritualibus percipiat.

De fructu maiori vel minori. 9. Num post ultimam rationem conscientiae, quam reddidit, maiorem an minorem fructum fecerit; et quem animum experiatur ad perfectionem consequendam.

Constitutionum observatio 10. Quomodo observet quae ex Constitutionibus, et Regulis, tum communibus tum officii sui, ad eum pertinent.

Mortificationes et poenitentiae. 11. De mortificationibus, poenitentiis, et aliis exercitationibus, quae faciunt ad spiritus profectum: et in specie de praeparatione ad iniurias, et ad alia, quae ad Christi crucem pertinent, ferenda, atque eorum desiderio.

12. De sociis, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino; et an alicui plus sit familiaris, quam aliis. **De sociis.**

13. An aversionem animi sentiat ab aliquo, et an offensus sit in aliquo a Superioribus, vel Officialibus, vel quavis alia persona, et quomodo sit affectus erga Superiores. **De affectu circa Superiores.**

14. An tentationes aliquas sit passus, quas alii intellexerint, praesertim circa vocationem. **An tentationes alii intellexerint.**

CATALOGUS MISSARUM ET ORATIONUM,

QUAE NOSTRIS PRAESCRIBUNTUR.

SACRA IUXTA NOSTRUM INSTITUTUM A SACERDOTIBUS SOCIETATIS ORDINARIE FACIENDA.

Singulis annis.

P. 10 n. 1. 1. In principio cuiusque anni unusquisque Sacerdos Missam celebret pro nostra Societate.

ORATIONES IUXTA NOSTRUM INSTITUTUM AB IIS, QUI SACERDOTES NON SUNT, ORDINARIE FACIENDAE.

Singulis annis.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem integrum Rosarium Dominae nostrae, videlicet centum quinquaginta Ave Maria, et quindecim Pater noster, aut tres coronas recitent.

P. 4 c. 1 n. 2. C. 3 d. 41 can. 18. 2. Singulis annis praescripto die, in quo memoria fundationis Collegii vel Domus fit, Missa cum solemnitate pro fundatore proprii Collegii vel Domus, et benefactoribus vivis et defunctis celebretur: et reliqui Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo habitaverint, pro iisdem sua Sacrificia offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Rosarii recitent. P. 4 c. 1 n. 4.

C. 7 d. 54. 3. Die 27 Septembris Patres omnes Sacra eo die peragenda Deo offerant in gratiarum actionem confirmatae nataeque tunc primum Societatis, proque felici eiusdem successu.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem offerant Rosaria, aliasque preces, et communionem sacram.

C. 13 d. 8. 4. Primo die, qui a commemoratione omnium fidelium defunctorum occurrit non impeditus, omnes Sacerdotes Sacrum faciant paratu nigro pro omnibus in Societate defunctis.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, pro illis coronam, vel tertiam Rosarii partem recitent.

C. 20 d. 26. 5. Die 7 Augusti, qua per totum orbem restituta est Societas, omnes Sacerdotes Missam celebrent pro Societate, in gratiarum actionem.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem communionem faciant, et Rosarii tertiam partem recitent.

Singulis mensibus.

P. 10 n. 1. 6. In principio cuiusque mensis unusquisque Sacerdos Missam celebret pro nostra Societate.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem tertiam Rosarii partem, aut unam coronam recitent.

P. 4 c. 1 n. 2. 7. Initio cuiusque mensis omnes Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo fuerint, pro fundatore proprii Collegii vel Domus, et benefactoribus vivis et defunctis semel Missae sacrificium offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam Rosarii partem recitent.

Singulis hebdomadis.

C. 3 d. 40 can. 11. C. 13 d. 8. 8. Singuli Sacerdotes pro illis de Societate, qui extra Provinciam moriuntur, semel in quavis hebdomada Missae sacrificium offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem una coronam aut tertiam Rosarii partem recitent.

P. 10 n. 1. 9. Singulis hebdomadis, ubicumque fuerint decem vel pauciores Sacerdo-

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quavis hebdomada ad eam-

tes, pro nostra Societate una Missa a designato a Superiore dicatur; duae vero, si fuerint plures quam decem, tres autem, si fuerint plures quam viginti; et ita deinceps in reliquis decadibus, si numerus Sacerdotum fuerit maior.

dem intentionem septem Pater noster, et septem Ave MARIA recitent.

P. 7 c. 4 n. 4. 10. Singulis hebdomadis, pro benefactoribus vivis et defunctis propriae Domus vel Collegii, praeter eas, quae pro fundatore dicuntur, una, aut duae, aut plures Missae, pro numero Sacerdotum, offerantur, servando ordinem modo praedicto.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quavis hebdomada, ad eamdem intentionem septem Pater noster, et septem Ave MARIA recitent.

P. 4 c. 1 n. 1. 11. Singulis hebdomadis, Missa semel pro fundatore proprii Collegii vel Domus, et benefactoribus vivis et defunctis, a designato a Superiore celebretur.

Et unus ex iis, qui Sacerdotes non sunt, a Superiore designatus, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Rosarii recitet.

P. 4 c. 1, E. 12. In Domibus et Collegiis, quae saltem viginti ex Nostris alere possunt, etiamsi non habeant proprium fundatorem, fiant pro iis vivis et defunctis, qui eorum fundationem notabiliter adiuverunt, eadem Sacra, quae pro fundatoribus ordinarie fieri solent.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem pro iisdem facere debent easdem orationes, quae pro fundatoribus ordinarie fieri solent.

Sacra ab eisdem extraordinarie facienda.

Orationes ab eisdem extraordinarie faciendae.

P. 4 c. 1 n. 4. 13. Cum primum Societas in Collegii alicuius possessionem venerit, quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro superstite fundatore ipsius ac benefactoribus.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem Rosarium integrum, aut tres coronas recitent.

P. 4 c. 1 n. 4. 14. Cum ex hac vita idem fundator excesserit, singuli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illius, et benefactorum faciant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem Rosarium integrum, aut tres coronas recitent.

P. 4 c. 1 D, E. 15. Idem iudicium erit de communitatibus vel rebuspublicis, quae non moriuntur; fient enim tria Sacra pro viventibus, et tria pro defunctis earum. Sic etiam faciendum, quando plures simul fundationem constituunt.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas pro viventibus communitatibus, et totidem pro defunctis earum recitabunt. Similiter facient, quando plures simul fundationem constituunt.

C. 3. can. 18 d. 41. C. 6 d. 20.

16. Cum primum Societas in alicuius Domus Professae possessionem venerit, quilibet Sacerdos intra illam Provinciam ter Sacrum faciat pro superstite fundatore ipsius, ac benefactoribus; et quando vita functus fuerit, alia tria Sacra ab eisdem pro animabus illius et benefactorum fiant.

Et singuli eiusdem Provinciae, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas pro superstite fundatore, ac benefactoribus; et quando vita functus fuerit, alterum Rosarium integrum, aut tres coronas pro animabus illius ac benefactorum recitent.

P. 4 c. 1, **D, E.**

17. Pro communitatibus vero, et pluribus, qui simul Domus Professae fundationem constituunt, fiant intra eamdem Provinciam, quae de Collegiis dicta sunt numeris 13, 14 et 15.

Et singuli eiusdem Provinciae, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem faciant, quae de Collegiis, iisdem numeris dicta sunt.

C. 3 can. 11, d. 40.

18. In Domo vel Collegio, ubi quis de Societate decesserit, singuli Sacerdotes pro eo tria Sacra, in aliis vero Provinciae locis duo Sacra faciant.

Et singuli eiusdem Domus aut Collegii, qui Sacerdotes non sunt, pro eo tres partes Rosarii, in aliis vero eiusdem Provinciae locis duas coronas, aut duas partes Rosarii recitent.

Ord. gen. c. 2 n. 8.

19. Pro iis, qui in Europa extra Provincias suas decedunt in aliqua Domo vel Collegio, fiant ibidem (aut in proximo domicilio, si peregre obierint), tria Sacra praeter ea, quae facienda erunt more solito (ut dictum est numero 18) in eorum Provincia et Domo, cuius membra erant, ac si in illa obiissent.

Et singuli eiusdem Domus vel Collegii, qui Sacerdotes non sunt, tres coronas, aut tres Rosarii partes recitent.

C. 15 d. 10.

20. Pro Confessariis Principum, a sua Provincia longius remotis, fiant in illorum obitu suffragia solita, de quibus dictum est numero 18, in tota Provincia, in qua moriuntur.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, eadem praestabunt, quae supra dicta sunt, numero 18.

Ord. gen. c. 2 n. 3.

21. Pro iis, qui in itinere indico vita funguntur, fiant solita suffragia numero 18 exposita, tum in ea Provincia, in qua moriuntur, non secus ac si ad illam pertinerent; tum etiam in ea Indiae Provincia, ad quam tendebant, vel unde in Europam veniebant.

C. 15 d. 10. C. 18 d. 9.

Qui, si obeant in itinere maritimo, censeantur esse de illa Provincia, cui primo illorum obitus innotuerit. Si vero ex Indiis iam appulere in Europam, fruantur suffragiis Provinciae, in qua migrant ex hac vita, nisi certae

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, eadem facient cum proportione suffragia, quae numero 18 exposita sunt.

alicui Provinciae in Europa iam fuerint applicati; et praeterea fiant pro illis consueta suffragia in illa Indiae Provincia, ad quam spectant.

Offic. Vic. n. 2. C. 7 d. 5. 22. In loco, ubi Praepositus Generalis moritur, singuli Sacerdotes pro eo quinquies Sacrum faciant. Ter autem in aliis locis per universam Societatem. Praeterea in nostris ubique templis officium defunctorum dicendum est, et solemne Sacrum cum exsequiis faciendum, qua etiam die aliud Sacrum reliqui facient.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, totidem coronas recitent.

Et qui Sacerdotes non sunt, aliam coronam recitabunt. C. 12 d. 56 n. 5.

C. 9 d. 21. 23. Pro eo, qui Assistentis officio aliquando functus est, praeter suffragia ordinaria, tria Sacra faciet quisque Sacerdos in tota illius Assistentia; per reliquam vero Societatem Sacrum unum. Similiter pro Secretario Societatis per totam Societatem Sacrum unum. Denique pro Provincialibus in iis Provinciis, quas gubernarunt, Sacrum unum.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, totidem coronas recitent.

C. 8 can. 11 d. 40. 24. Cum de obitu cuiusque Nostrorum, qui extra Provinciam obiit, significatur, per universam Societatem omnes Sacerdotes in Missis, illius animam Deo commendent, pro cuiusque devotione.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in suis orationibus illius animam Deo commendent, pro cuiusque devotione.

P. 7 c. 4 n. 3, A. P. 10, B. 25. Omnes Sacerdotes curent iuxta Constitutiones frequenter orare pro universa Ecclesia, ac pro iis praesertim, qui maioris sunt momenti ad eius universale bonum, cuiusmodi sunt Principes ecclesiastici et saeculares, et alii, qui multum prodesse vel obesse bono animarum possunt; et pro amicis et benefactoribus viventibus et vita functis, et pro aliis, in quorum auxilium peculiariter ipsi et reliqui de Societate in variis locis inter fideles et infideles incumbunt; et etiam pro male affectis erga nostram Societatem.

Et omnes, qui Sacerdotes non sunt, idem iuxta Constitutiones curare debent.

Sacra ex praescripto P. N. Generalis ab unoquoque Sacerdote Societatis ordinarie facienda.

26. Singulis mensibus unusquisque Sacerdos duo Sacra faciat, alterum pro Indiis, et gentium conversione, alterum pro regionibus septemtrionalibus, et haereticorum reductione; et in aliis Sacrificiis et orationibus eadem Domino commendabit.

27. Singulis hebdomadis unusquisque Sacerdos Sacrum unum ad intentionem Rev. P. N. Generalis, vel Vicarii generalis, faciat; et in aliis Sacrificiis et orationibus eamdem Domino commendabit.

C. 10 d. 8. C. 12 d. 56 n. 4.

28. Die 12 Martii Sacrum offerant Patres omnes in perennem beneficii memoriam et gratiarum actionem pro canonizatione SS. Ignatii et Francisci Xaverii; orentque DEUM, ut Societatis filiis ad sectanda tantorum Patrum vestigia uberem gratiam largiatur.

Orationes ex praescripto P. N. Generalis a singulis, qui Sacerdotes non sunt, ordinarie faciendae.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, unam coronam, aut tertiam partem Rosarii, pro Indiis, et gentium conversione, et alteram coronam, aut tertiam Rosarii partem, pro regionibus septemtrionalibus, et haereticorum reductione recitent; et in aliis orationibus eadem Domino commendabunt.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam Rosarii partem recitent, et in aliis orationibus eamdem Domino commendabunt.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eamdem intentionem communionem sacram offerant.

Non intendimus per ea, quae superius recensentur, excludi reliqua Sacra et orationes omnes, quae pro occurrentibus necessitatibus a Superioribus imponi ad tempus solent.

C. 2 d. 16, 54. C. 3 d. 7, 88.

FORMULA SCRIBENDI.

Causa ad Superiores scribendi. P. 8 c. 1 n. 9.

1. MAGNOPERE iuverit ad animorum unionem in Societate, litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium; et crebro alios de aliis certiores fieri, et audire quae ex variis locis ad aedificationem, et eorum quae geruntur cognitionem, afferuntur.

Ad Provincialem qui et quando scribent. P. 8 c. 1, L. C. 2 can. 28 d. 54.

2. Superiores Domorum et Rectores scribant singulis hebdomadis ad suum Provincialem in Europa; in Indiis vero, ut suis Provincialibus visum fuerit commodum et opportunum.

De quibus scribendum.

3. Scribant autem ad suum Provincialem de statu personarum et rerum omnium, non solum quae inter Nostros, sed etiam quae per ministeria Societatis erga externos in Domibus suis vel Collegiis fiunt; et non tantum de his, quae recte se habent, sed etiam de his quae secus: et quoad fieri poterit, curent, ut omnia tamquam praesentia Provincialis cernat.

Ad quos de obitu Nostrorum et suffragiis scribendum. P. 6 c. 4 n. 4.

4. Primo quoque tempore ad suum Provincialem scribant Superiores Domorum et Rectores de obitu eorum, qui in suis locis decedunt. Provincialis vero reliquos de sua Provincia admonebit, ut quam primum solitis suffragiis et orationibus eorum animae iuventur: et statim Praepositum Generalem et vicinos Provinciales certiores reddat, ut simile officium praestare possint.

C. 3 can. 11 d. 40.

Ex missionibus scribent. P. 8 c. 1, L. C. 2 can. 28 d. 54. P. 7 c. 2 n. 2.

5. Missi ad fructificandum in agro Domini, scribant ad suum Provincialem, aut ad eum quem ille designaverit, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit praescriptum, ut per crebram litterarum communicationem, quantum fieri potest, totum successum suarum missionum illi declarent.

Provincialis quando et ad quos scribet. P. 8 c. 1, L. C. 2 can. 28 d. 54.

6. Provinciales Superioribus Domorum et Rectoribus, ac iis, qui in missionibus versantur, singulis mensibus; privatis autem personis, quibus et quando opus erit, scribant.

Quando Superiores in Europa ad Generalem. P. 8 c. 1, L. C. 2 can. 28 d. 54.

7. Provinciales omnium Provinciarum Europae scribant ad Generalem semel quolibet mense: Rectores autem et Superiores Domorum, et Magistri Novitiorum, tertio quoque mense.

Quando ex Indiis scribent. C. 2 can. 28 d. 54.

8. Provinciales Indiarum scribant Praeposito Generali quando se obtulerit navigationis commoditas; Rectores vero et Superiores Domorum, ac Magistri Novitiorum, ex Indiis semel, ex Brasilia et nova Hispania bis in anno, si se obtulerit occasio.

Quando extraordinarie scribendum. P. 8 c. 1, L. C. 2 can. 28 d. 54.

9. Praedicti omnes extraordinarie sibi mutuo scribant quoties necessitas urgebit.

Et quid ad Generalem scribent.

10. Superiores Domorum et Collegiorum, et Magistri Novitiorum scribant ad Generalem quae alicuius mo-

menti fuerint, etiamsi approbante Provinciali fiant. Illa vero potissimum scribant, in quibus Provincialis, admonitus, vel non providet, vel providere nequit, vel, postquam Provincialis cum illis tractaverit, ipsi ab eius iudicio dissentiunt: sed tunc quidem addant, quid Provincialis responderit, et quibus rationibus ipsi ab eo dissentiant; interim tamen ei per omnia obediant.

Provinciales ad Generalem quid scribent.

11. Cum Provinciales scribent Generali, curabunt, ut statum Domorum et Collegiorum suorum ac totius Provinciae bene explicent; et suppleant, si quid intellexerint, quod Superiores Domorum et Collegiorum minus declaraverint: et in universum ita scribere debent, ut Generalis omnium rerum omniumque personarum ac Provinciarum statum, quoad eius fieri possit, ante oculos habeat.

Generalis quando ad Superiores. *C. 2 can. 28 d. 54.*

12. Generalis ad Provinciales scribet secundo quoque mense, ad Rectores vero et Praepositos locales sexto quoque mense, nisi aliqua necessitas prius ad respondendum suadeat.

Subditorum litterae ne aperiantur, nec impediantur. *C. 21 d. 22. C. 22 d. 21.*

13. Si quis Nostrorum aliquid per litteras cum Praeposito Generali, aut cum suo aliquo alio mediato Superiore tractare velit, ne impediatur, nec ipsorum litterae ad eos scriptae aperiantur, neque mediatorum Superiorum ad ipsos.

Litterae negotiorum ad Generalem mittendae.

14. Litterae Nostrorum, quae negotia continent, solum ad Praepositum Generalem, et non ad alios qui cum ipso agant, destinentur; poterit tamen ad eos scribi, ut illa tractari et expediri curent.

Quae Procuratoris Generalis opera indigent P. notentur.

15. Litterae negotiorum, ad quorum expeditionem Procuratoris Generalis opera aut informatione opus erit, propriis litteris ad Praepositum Generalem scribantur, adiecta exterius littera *P.* sub inscriptione earum.

Quot exempla ex Indiis mittantur.

16. Negotia maioris momenti, ex utraque India et Brasilia, ternis exemplis scribantur; binis autem ex reliquis Provinciis, si sit periculum, ne litterae intercidant; vel certe in proximis litteris earum summa repetatur: et ut inveniantur, cum opus fuerit, quae scripta sunt ad Generalem, exemplum eiusmodi litterarum vel earum summam in libro aliquo, qui scribunt, apud se retineant.

Si quid secreti, quomodo adiecto *soli* scribendum. *Instr. 9 n. 8, 9.*

17. Si quid secreti scribendum, vel soli Superiori committendum sit, seorsum in propria epistola scribatur, quae cum aliis in eodem fasciculo colligata includatur, adiecto exterius *soli* sub inscriptione eiusdem epistolae: quod si eiusmodi epistola sola mitteretur, alia charta involvatur, quae absque *soli* inscriptionem habeat.

Ut res secreta scribenda.

18. In rebus, quae secretum requirunt, explicandis, iis vocabulis utendum erit, ut ea intelligi nisi a Superiore non possint: modum autem praescribet Generalis.

Quando ad Superiorem ex commissione scribi possit.

19. Nullus inferior, nisi morbo impeditus, litteras ad Superiorem ex sua commissione scribi faciat.

Consultores quoties ad Superiores scribent. *C. 7 d. 91.*

20. Consultores Rectorum et Superiorum localium litteras obsignatas ad Provincialem dabunt bis in anno, mense Ianuario et Iulio; et ad Generalem singulis annis, mense Ianuario. Consultores vero Provincialium ad Generalem, mense Ianuario et Iulio, nisi res aliqua ita urgeret, ut de illa etiam extra haec tempora scribendum iudicarent.

Quae et quomodo scribenda a Consultoribus.

21. Iis litteris sincere, et sine amplificatione, omnique privato aut humano respectu semoto, significabunt, quid sibi de Superioribus, quorum sunt

Consultores, et de eorum administratione ac rerum statu, scribendum in Domino videatur, oratione tamen praemissa, et re prius diligenter considerata.

Rector Universitatis et Cancellarius quid et quando scribent.

P. 4 c. 17, n. 7.

22. Ut Rector Universitatis de omnibus Praeceptoribus et aliis de Societate, ita etiam Cancellarius et Consiliarii Universitatis de ipso ac aliis scribent semel singulis annis, mense Ianuario, Praeposito Generali; et bis in anno, mense Ianuario et Iulio, Provinciali.

Eorum litterae obsignatae mittantur.

P. 4 c. 17, L.

23. Huiusmodi litterae Consultorum et horum Officialium Universitatis mittantur obsignatae, nec quisquam eorum sciat, quid alius scripserit.

Visitationum, et ordinationum libri.

24. Quivis Praepositus et Rector habeat librum, in quo scribantur visitationes Domus vel Collegii a Generali approbatae; in quo etiam scribantur ordinationes aliae alicuius momenti, quae a Generali mittuntur: et quae perpetuae fuerint, ab iis, quae temporariae sunt, separatim notentur: alia vero, quae Visitator et Provincialis praescripserint, in alio libro scribantur.

De rebus externorum quomodo scribendum.

25. Si quid scribendum esset de rebus, quae externorum aliquem attingerent, ita scribatur, ut, etiamsi litterae in eius manus inciderint, offendi non possit.

DE LITTERIS ANNUIS.

Res aedificationis notentur.

P. 8 c. 1, M.

C. 4 can. 12 d. 88.

26. Superiores Domorum atque Rectores curent ea observari, quae in dies in eorum Domibus Collegiisque per Nostros Dominus operari dignatur, quaeque ad Nostrorum consolationem ac proximorum aedificationem pertinent: ex quibus seligant optima quaeque, atque, in ordinem redacta, sub finem cuiusque anni ad suum Provincialem mittant. Hanc ad rem designetur aliquis in quolibet Collegio seu Domo, maturus ac diligens rerum notabilium investigator, qui et ipse in dies quae occurrunt scripto excipiat, et tertio quoque mense singulos commonefaciat, ac praecipue Praefectos ecclesiae, scholarum, rerum spiritualium, Congregationum, et alios huiusmodi, ut cogitent, et si quid dignum annuis illo trimestri observarint, ad Rectorem primo quoque tempore deferant manu sua subscriptum.

Ex Instr. 15 R. P. N. Claudii impressa anno 1594 et 1606, n. 2, 3, 4.

Annuae litterae quomodo Romam mittendae.

27. Provinciales ex omnibus Superiorum localium atque Rectorum suae Provinciae, et eorum qui in missionibus versantur, epistolis (reiectis vel additis iis, quae videbuntur), singulis annis, mense Ianuario, rerum gestarum capita latine collata, ex quibus deinde unae litterae annales Romae conficiantur, manu ipsorum subscripta, Romam ad Generalem destinent. Cavendum autem ante omnia diligenter, ut, quae ad Confessionis Sacramentum spectant, nulla ratione in his capitibus attingantur; omittanturque similiter, quae alia quavis ratione secretum postulant, et ex quorum narratione iure offendi quisquam possit. Omnium porro, quae vel a Superioribus locorum ad Provincialem, vel a Provinciali Romam mittuntur, exempla, horum quidem in Provincia, illorum vero in singulis domiciliis servanda sunt, donec annuae integrae in lucem prodierint.

Ex eadem, n. 8.

Ex eadem, n. 5.

Ordo servandus in eis conscribendis.

28. In ea compendiaria narratione hic ordo servabitur. Recensebunt initio numerum Nostrorum in universum, tum etiam singulis Domibus, Collegiis, et missionibus nominatis, quot sint in iis Sacerdotes, Praeceptores, Scholastici, et Coadiutores

Ex eadem, n. 9

temporales, seorsim de singulis ac distincte; ita ut, si qui forte inter Praeceptores ac Scholasticos sint Sacerdotes, hoc ipsum significent, ne numeri confundantur, aut iidem bis recenseantur. Itemque quot admissi sint eo anno in Societatem, quotque

Ex eadem, n. 10.

e vita decesserint. Mortuorum autem non solum nomen, cognomen, patriam, aetatem, statum, et munera in Societate obita perscribi oportebit; verum etiam virtutes, si quas habuerunt eximias, commemorari: in primis vero, si quid ab eis profectum est laude praecipua dignum, quod singularis alicuius facti narratione confirmari possit; neque deinde necesse erit ad singula Collegia aut loca redire, nisi aliquid in iis contigerit peculiari narratione dignum.

De profectu Nostrorum, et ministeriis. *P. 8 c. 1, M. Ex eadem, n. 11.*

29. Agent primo de profectu Nostrorum in Domino, et explicabunt, si quid in eo genere ad aedificationem facere possit: ut, si profectus in virtute aliqua particulari fuerit eximius, aut si ponatur novum aliquod et praeclarum medium ad eam consequendam adhibitum. Viventium etiam illa promulgari poterunt, quae in ingressu contigerunt, et non fuerint propria unius. Deinde de ministeriis Societatis erga proximos, ut de concionibus, lectionibus sacris, doctrina christiana, et Exercitiis Spiritualibus, visitatione carcerum et hospitalium, reconciliatione dissidentium, de poenitentium frequentia, et de aliis no-

Ex eadem, n. 12.

stri Instituti piis operibus; ita tamen, ut ea tantum commemorentur, quae sunt alicuius momenti; non levia quaecumque et minuta, vel quae, licet alicuius sint momenti, communia tamen sunt et quotidiana, ut quae perpetuo fieri solent: quae ideo, cum ordinaria sint, satis erit, nisi insigne aliquid habeant, breviter perstringere. Item de scholis, et discipulorum numero et profectu, praesertim in Universitatibus et Collegiis maioribus, de bona item Societatis existimatione: de contradictionibus autem et persecutionibus, si quae fuerint, ea tantum attingant, quae aedificationi fore videbuntur. Dicent etiam de piorum erga Nostros charitate et eleemosynis paulo insignioribus. Non po-

Ex eadem, n. 11.

nantur aliena, aut nobis valde leviter annexa, sed vere nostra. Nostra enim non sunt, quaecumque nostri amici, devoti fundatoresve gesserint. Quod si haec etiam ad nostra pertinere iudicentur, indicanda est causa et connexio, ut referri in annuas possint. Si quando autem, quod perraro accidet, aliquid erit tam grande tamque illustre, ut, a nobis licet remotum, per nos tamen ab oblivione vindicari conveniat, tum adhibenda praemonitio erit, ne inconsulto factum videatur.

Accurate et caute scribendum.

30. Haec omnia exponent, quam plenissime fieri poterit (semper tamen vitata nimia prolixitate) adhibitis omnibus circumstantiis, etiam nominibus eorum, qui eas res gesserunt, ut, si opus fuerit, aliquando conscribi possit historia. Qua etiam de causa,

Ex eadem, n. 14.

cum aliquid occurret dignum memoria, quod tamen propter aliquam causam non expediat omnibus vulgari, id scribent separatim integre et perfecte; in illa autem communi narratione, vel omnino reticebunt, vel ea tantum excerpent, quae aedificationi esse possunt. Et, quae ad externos pertinent, ita narrentur, ut in ea ipsa Domo aut civitate, ubi scribuntur, ac ubique publice legi citra cuiusquam offensionem possint. Viten-

Ex eadem, n. 13.

tur denique exaggerationes rerum,

amplificationesque verborum; ut simplex et religiosa veritas in omnibus eluceat: et pro miraculis non ponantur, quae miracula non sint; nec incerta, quaeque, diligenti adhibita inquisitione, comperta non sint.

Statim legantur.

31. Cum litterae annuae Romae confectae ad Provincias mittentur, legantur quamprimum in singulis Domibus et Collegiis. Et, ut Coadiutores nostri temporales ex latinis etiam litteris fructum aliquem percipiant, sit aliquis, qui illarum summam aut interpretationem aliquo modo explicet: neque ultra duas hebdomadas retineri debent, ut ad reliqua loca citius deferantur. Postquam vero ubique perlectae fuerint, in praecipua Domo vel Collegio eiusdem Provinciae asserventur, et simul consuantur.

Coadiutoribus explicentur.

In praecipua Domo vel Collegio asserventur.

DE CATALOGIS ET INFORMATIONIBUS ANNUIS.

Catalogi quomodo et quando conficiendi. *P. 8 c. 1, M. P. 9 c. 6 n. 3. C. 2 can. 28 d. 54.*

32. Ad clariorem omnium Nostrorum cognitionem, Superiores Domorum et Collegiorum duos catalogos conficiant ante id temporis, quo Procuratores Provinciarum ad Generalem veniunt, ita exacte, ac si numquam missi fuissent. In primo describantur omnes, qui in suis Domibus vel Collegiis ac missionibus sunt, in quo contineatur uniuscuiusque nomen, cognomen, patria, aetas, vires, tempus Societatis, studiorum, et ministeriorum, quae exercuit, et gradus in litteris, si quos habet, et an Professus, vel Coadiutor sit etc., et a quo tempore.

Quid in primo.

33. In secundo catalogo dotes et qualitates uniuscuiusque describantur, videlicet: ingenium, iudicium, prudentia, experientia rerum, profectus in litteris, naturalis complexio, et ad quae Societatis ministeria talentum habeat; quae omnia diligenter, re Deo prius commendata, et mature considerata, et omni privato affectu semoto, sincere et breviter perstringenda erunt. Et utrumque catalogum ad suum Provincialem mittant.

Quid in secundo.

34. Sub finem cuiusque anni interiecti, tertium etiam alium brevem catalogum ad Provincialem mittant, continentem nomina, et ministeria, in quibus unusquisque Nostrorum occupatur. Mittant etiam supplementum primi et secundi catalogi, in quo ea tantum adnotabunt, quae eo anno de novo occurrerint addenda; ut, qui in Societatem interim fuerint admissi, aut ab ea defuerint, vel quod mortui sint, vel alia quavis causa.

Quid in tertio.

35. Hunc tertium catalogum, et supplementum primi et secundi catalogi totius Provinciae, cum narratione pro annuis litteris, de qua dictum est, ad Generalem mittet Provincialis mense Ianuario: primum vero et secundum per Procuratorem Provinciae ad eumdem, sigillo suo obsignatos, perferendos curabit. Quod si quid ipsi in his catologis et informationibus notandum addendumve videretur, id seorsim ad Generalem scribat.

Quando Romam mittentur.

De catalogo rerum vide Ord. Gen. cap. 19.

FORMULAE VOTORUM VARIAE.

Formula Professionis quatuor votorum.

P. 5 c. 3 n. 3. Ego N. Professionem facio, et promitto omnipotenti Deo coram eius Virgine Matre, et universa coelesti curia, ac omnibns circumstantibus, et tibi Patri Reverendo (N.), Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis (vel, tibi Reverendo Patri (N.), vice Praepositi Generalis Societatis Iesu et Successorum eius, locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam, et, secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam vivendi in litteris apostolicis Societatis Iesu et in eius Constitutionibus contentam.

Insuper promitto specialem Obedientiam Summo Pontifici circa missiones, prout in eisdem litteris apostolicis, et Constitutionibus continetur. Romae (vel alibi), tali die, mense et anno, et in tali ecclesia.

Formula Professionis trium votorum.

P. 5 c. 3 n. 6. Ego N. Professionem facio, et promitto omnipotenti Deo coram eius Virgine Matre, et universa coelesti curia, ac omnibus circumstantibus, et tibi Reverendo Patri (N.), Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, ac Successoribus tuis (vel, tibi Reverendo Patri (N.), vice Praepositi Generalis Societatis Iesu et Successorum eius, locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam, et, secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam vivendi in litteris apostolicis Societatis Iesu, et in eius Constitutionibus contentam. Romae (vel alibi), tali die, mense et anno, et in tali ecclesia.

Formula votorum simplicium, quae Professi emittunt post Professionem. C. 1 d. 102. C. 4 d. 54.

Ego N., Professus Societatis Iesu, promitto Deo omnipotenti coram eius Virgine Matre, et tota curia coelesti, et coram R. Patre (N.), Praeposito Generali (vel coram N. locum Generalis Praepositi tenente) numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum, ut, quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur; nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis. P. 6 c. 2 n. 1, A.

Praeterea promitto, numquam me acturum vel praetensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear. P. 10 n. 6.

Promitto praeterea, numquam me P. 10 n. 6.

curaturum praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem; nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.

P. 10 n. 6. C. 8 d. 46. C. 9 d. 13. Tum, si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare vel praetendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati, vel Praeposito eius.

P. 10 n. 6, A. Insuper promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Praesidem alicuius Ecclesiae promovear; pro cura, quam de animae meae salute ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Praepositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi in mentem venerint, iudicabo; omnia intelligendo iuxta Societatis Iesu Constitutiones et Declarationes. In tali loco, tali die, mense et anno, etc.

Formula votorum
pro Coadiutoribus spiritualibus.

P. 5 c. 4 n. 2. Ego N. promitto omnipotenti Deo coram eius Virgine Matre et tota coelesti curia, et tibi R. Patri (N.), Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis (vel tibi R. Patri (N.), vice Praepositi Generalis Societatis Iesu et Successorum eius, locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam, et, secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta modum in litteris apostolicis et Constitutionibus dictae Societatis expressum. Romae (vel alibi), in tali loco, die, mense et anno, etc.

Formula votorum
pro Coadiutoribus temporalibus.

Ego N. promitto omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre et tota coelesti curia, et tibi R. Patri (N.), Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et Successoribus tuis (vel tibi R. Patri (N.), vice Praepositi Generalis Societatis Iesu et Successorum eius, locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam, iuxta modum in litteris apostolicis et Constitutionibus dictae Societatis expressum. Romae (vel alibi), in tali loco, die, mense et anno, etc. P. 5 c. 4 n. 3.

Formula votorum, quae, finita biennali probatione, emittuntur.

Omnipotens sempiterne Deus, ego N., licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, et impulsus tibi serviendi desiderio, voveo coram sacratissima Virgine Maria, et curia tua coelesti universa, divinae Maiestati tuae Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam perpetuam in Societate Iesu: et promitto eamdem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones. A tua ergo immensa bonitate et clementia per Iesu Christi sanguinem peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris; et, ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Romae (vel alibi), tali loco, die, mense et anno. P. 5 c. 4 n. 4.

d. 56 n. 7. OBSERVANDUM TAMEN IN PRIORIBUS FORMULIS VOTORUM ID, QUOD STATUIT CONGREGATIO XII GENERALIS. Ut nimirum in posterum, cum post obitum Generalis, sub Vicario Generali, Professio sive vota ad gradum emittentur, haec Formulae verba sint, ut nempe: si Vicarius ipse Generalis Professionem seu vota excipiat, dicatur: *et tibi R. Patri (N.), Vicario Generali Societatis IESU, locum DEI tenenti, et Successoribus tuis;* si vero aliquis alius excipiat, dicatur: *et tibi R. P. (N.), Rectori,* si Rector est, vel *Praeposito, vel Provinciali,* et sic de aliis; *vice R. Patris Vicarii Generalis Societatis IESU et Successorum eius, locum DEI tenenti.*

REGULAE PARTICULARES.

Vol. II pag. 211, 242.

OFFICIUM VICARII GENERALIS

PLURIUM CONGREGATIONUM GENERALIUM AUCTORITATE

PROBATUM ET AUCTUM.

Quale eius officium et quam diu duret P. 8 c. 4 n. 1.

1. VICARII officium, mortuo Praeposito Generali, durat usque ad electionem novi Praepositi Generalis, et est duplex. Alterum est, Societatem ad electionem Praepositi faciendam, praescripto tempore et loco, quo con-

P. 8 c. 5 n. 1. C. 6 d. 35 n. 21.

venire oporteat, convocare; Curia videlicet Summi Pontificis, ubi, ut plurimum, erit ipsius Generalis resi-

P. 8 c. 4, A. C. 1 d. 48.

dentia. Alterum est, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Praepositus electus fuerit.

Sacrificia pro Generali defuncto.

2. Vicarius itaque, simul atque creatus fuerit, dabit operam, ut Missae et orationes in universa Societate pro anima Praepositi mortui fiant, nempe: ut singuli Sacerdotes, qui sunt in eodem loco, ubi Generalis mortuus est, quinquies sacrificium Missae pro eo offerant, et reliqui totidem coronas recitent; in aliis autem locis per universam Societatem, singuli Sacerdotes tria Sacra faciant, et reliqui tres coronas dicant, praeter officium in templo nostro, Societatis more, de C. 7 d. 5.
defunctis dicendum, et Sacrum solemne cum exsequiis. Qua etiam die aliud C. 12 d. 56 n. 5.
Sacrum reliqui faciant, et non Sacerdotes aliam coronam recitabunt.

Tempus convocandi

3. Deinde ad convocandam Socie-

Congregationem generalem. P. 8 c. 5 n. 2, 3. C. 6 d. 85 n. 19.

tatem ad novi Praepositi electionem primo quoque tempore diligentissime incumbat; Praepositos Provinciales certiores faciat; locum Congregationis et tempus quinque aut sex mensium praescribat, diem locumque cum Assistentibus declarando; quod etiam prorogari poterit, cum necessitas postulaverit, vel initio, vel antequam Patres convenerint, arbitrio ipsius Vicarii et Assistentium, ad plura suffragia. Necessitas autem illa etiam ad id extendatur, ut duo tempora periculosa, quantum fieri poterit, evitentur: unum hiemis ad navigandum, et montes transeundos; alterum aestatis, ad ingrediendam Romam. Et in dubio de necessitate prorogandi constituti temporis, Vicarius et Assistentes potius in partem affirmativam inclinent. Exacto autem tempore praefixo, si aliqui Patres iam convenerint, illi etiam ius suffragii habebunt ad decernendum de prorogatione facienda, iuxta decretum 30 tituli secundi primae Congregationis.

C. 10 d. 4.

Hic C. 1 d. 44.

P. 8 c. 5 n. 8. Sacrificia pro felici electione.

4. Missas praeterea et orationes pro felici electione Praepositi indicat. Congregationes provinciales, ut recte fiant, admoneat. Et, si post electionem Praepositi alia negotia graviora tractanda in Congregatione sint, ad quae excutienda vel definienda aliorum opera, praeterquam duorum electorum a Congregatione provinciali, necessaria ipsi Vicario et Assistentibus ad plura suffragia videatur, Provinciales admoneat, ut eos, a Congregatione provinciali electos, secum adducant iuxta decretum 35 quartae Congregationis.

Quando alii vocandi. C. 4 can. 16 d. 85.

Reddet rationem in Congregatione.

5. Ubi autem dies constitutus et terminus praefixus venerit, ad quem conventuri sunt Patres; eos, qui iam convenerunt, convocabit, modo excedant duas tertias partes, eisque rationem eorum, quae facta sunt post mortem Generalis ad Congregationem pertinentia, reddet, et reliqua omnia, quae ad electionem rite faciendam pertinere videbuntur Congregationi, curabit: quae petenda sunt, tum ex Constitutionibus, tum ex primis quinque capitibus Formulae Congregationis generalis.

Form. Congr. gen. n. 7.

Gubernabit Societatem. P. 8 c. 4, A. C. 1 d. 43.

6. Alterum officium Vicarii est, Societatem universam gubernare; ad quam gubernandam habebit omnem potestatem et facultates, quas habent Praepositi Generales (exceptis iis, quae inferius excipiuntur), ac nominatim ad illius quoque intentionem dici debebunt Sacrum et corona, quae singulis hebdomadis offerri solent ad intentionem Praepositi Generalis: verum ita est Societatem gubernaturus, quasi Vicarius Praepositi demortui, non quasi Praepositus. Quare ita illam gubernabit, ut sibi tradita est. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriae inventionis, nullam novam regulam, nullum ritum, nullam consuetudinem aut inducet, aut inductam mutabit: sed ad spiritum et sensum Generalis demortui se componet, illius compertam voluntatem sequetur, incertam coniectabit. Itaque, quoad poterit, debebit suo ministerio, quasi vivum ac praesentem Generalem, illiusque gubernationem repraesentare.

C. 10 d. 8.

Nihil mutabit in gubernatione Societatis.

Eisdem utetur Officialibus. C. 1 d. 90. C. 20 d. 18.

7. Quocirca eisdem Assistentibus, Admonitore, Secretario, Procuratore Generali, quibus utebatur Praepositus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem; eisdem Praepositis, Rectoribus, Praefectis Probationum, et aliis Officialibus primariis, qui creantur a Generali; quos mutare ei non licet, vel novos creare, nisi

forte aliqui morerentur, et alii in illorum locum usque ad electionem Praepositi Generalis substituendi essent; vel aliquae gravissimae causae intercederent, propter quas aliquis illorum ab officii exsecutione tollendus vel suspendendus videretur, iure suffragii nihilominus ei relicto, nisi causa sit eiusmodi, ut et hanc poenam mereri videatur; et hoc quidem, re cum Assistentibus communicata, ad plura suffragia: de quorum etiam consilio et suffragiis eliget Admonitorem, si forte ipse fuerat Admonitor Praepositi Generalis demortui, qui in Vicarium electus est. Mutare tamen potest, etiam post indictam Congregationem generalem, Rectores Seminariorum externorum, Magistros Novitiorum, et Instructores Patrum tertii anni probationis, qui simul Rectores non sunt, adeoque ius non habent ad Congregationem provincialem. Quod si contigerit a defuncto Praeposito Generali nominatos fuisse aliquos Provinciales ac Superiores locales in locum eorum, qui suum, moriente Generali, triennium non expleverunt, quosque constat ipsum non voluisse ante tempus exauctorare; Vicarius Generalis in hoc casu renuntiare illos non potest, etiam post absolutum triennium aliorum. Si tamen ante obitum Praepositi Generalis missae fuerint patentes litterae pro successore eius, qui suum triennium paulo post obitum Generalis expleverit; et illarum vigore successor possessionem regiminis inierit, antequam quidquam de morte Generalis seu de indicta Congregatione innotuerit; legitima mutatio exstitit, neque ab ea recedendum.

Quando et quomodo mutare Officiales possit.

C. 16 d. 7.

C. 12 d. 30.

C. 13 d. 11.
C. 19 d. 10.

Res graves reservandae Praeposito eligendo.

8. Eadem causa res omnes graves et maioris momenti, quae differri usque ad electionem novi Praepositi poterunt (quandoquidem illa brevi futura est) quoad eius fieri poterit, differet, et ad novum Praepositum Generalem remittet.

Non admittet interim Collegia.

9. Quocirca nullam Domum, nullum Collegium, nullam Universitatem, vel Domum Probationis instituet: quae si offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut si in rem Societatis aperte futura sint, et omni difficultate careant: eos, qui fundatores esse volunt, iubeat bene sperare. Si quid vero difficile aut dubium sit, alet spe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet, rem totam ad Generalis creationem reservabit. Poterit tamen promovere ad professionem et ad gradum eos, qui, quo tempore Vicarius est, habent omnia ad id requisita, etiamsi de illis a defuncto Generali statutum nihil fuerit. Habet etiam facultatem dimittendi Professos et Coadiutores formatos ex Societate ex gravissimis causis, et ad plura suffragia cum PP. Assistentibus.

C. 12 d. 10.

C. 8 d. 46.

Contractus quales et quomodo celebrare possit.
** Hic d. 53.*
C. 4 d. 36.

10. Circa contractus, ad quos facultatem habebit, sic explicatur decretum 71 * secundae Congregationis: ut non possit vendere vel alienare bona stabilia Societatis, nisi res sit in evidentem utilitatem, et necessaria, quae moram non patiatur, et cum consensu Assistentium, ad plura suffragia.

De mutandis Professis de loco.

11. Circa missiones Professorum quatuor votorum, id observabit: ut ante electionem eorum, qui venturi sunt ad Congregationem generalem, nullos ad se vocet, nec mittat eo, unde impediantur venire ad Congregationem provincialem. Post electionem vero, electos nullo modo mittat eo, unde commode venire non possint ad Congregationem generalem. Alios vero Professos non mittat ad infide-

De mittendis in missiones ad partes remotas.

les, nec ad partes remotas, quae maiorem considerationem requirunt, nisi forte aliquid tam grave et urgens accideret, ut, ipsius iudicio et Assistentium, ad plura suffragia, res differri non possit. Mutationem autem Professorum quorumlibet ex una Provincia in aliam, ante factas Congregationes provinciales, non nisi ex urgente causa, et consultis Assistentibus, ad plura suffragia faciat. Qua etiam praevia suffragatione poterit approbare missionem ad Urbem Procuratorum extra Europam, unde illis ius sit ad Congregationem generalem.

C. 13 d. 4.

Consultabit res omnes graviores. *C. 20 d. 18.*

12. In universum cum Assistentibus consultare debet res omnes graviores, non minus, immo magis quam Praepositus Generalis; quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minus diuturnum regendae Societatis munus; sic enim plus ponderis habebunt apud illam, quae ipse constituet. Quascumque vero litteras Vicarius vel scribet vel accipiet, si negotia contineant, Assistentibus omnibus ostendet; neque cum Principibus et Magnatibus de negotiis pertractabit, nisi re cum eisdem Assistentibus communicata; sed in rebus gravissimis ad plura suffragia decernetur. Gravissimas autem (si quando dubium erit) ducere Vicarium oportebit, quas maior pars Assistentium (quamvis ipso dissentiente) gravissimas iudicabit; ideoque tales tenebitur Vicarius in consultationem ad plura suffragia decidendas adducere.

Litteras ostendet.

Quando res iudicandae gravissimae, et quomodo decidendae. *C. 7 d. 74. C. 20 d. 18.*

Habebit apud se claves litterarum Generalis.

13. Vicarius, cum primum fuerit promulgatus, accipiat ab antiquissimo Assistentium clavem scrinii, ubi litterae et scripta, quae apud se Generalis habet, reconduntur, prout in Regulis Secretarii habetur; et omnia curet manere clausa usque ad novi Generalis electionem. Quod si aliqua necessario essent accipienda, vocato Secretario et duobus Assistentibus, illa accipiet, et, cum usus fuerit, iisdem praesentibus reponet.

Reg. 85.

14. Vicarius, in eventum mortis suae, non potest nominare alium Vicarium, qui sibi succedat.

C. 9 d. 14.

REGULAE ASSISTENTIUM,

C. 4 d. 48.

IN QUARTA CONGREGATIONE GENERALI CONFECTAE

ET APPROBATAE, ET IN SEPTIMA RECOGNITAE.

Quales esse oporteat.

1. Quo Assistentes propius Generali adsunt, ut eum in universae Societatis gubernatione adiuvent, eo etiam propius eius virtutes, quae in nona parte Constitutionum declarantur, imitari debent; et omnino

P. 9 c. 2.

tales esse, quales eadem nona parte Constitutionum, capite quinto, et in Decretis primae Congregationis describuntur; caeteris omnibus, qui in Societate vivunt, omni genere virtutum praelucentes.

P. 9 c. 5 n. 2.
C. 1 d. 80.

Legant saepe Institutum.

2. Fient in dies magis idonei, si Constitutiones, Decreta generalium Congregationum, Regulas, et Ordinationes Praepositi Generalis et praedecessorum eius, praesertim illas, quae ad sibi commendatas Provincias pertinent, et maioris momenti sunt, omnia denique privilegia, et quidquid Instituto nostro inservire potest, frequenter legere et bene intelligere curaverint, ut, cum opus fuerit, in promptu habeant.

Quales erga Societatem esse debeant.

P. 9 c. 4 n. 7.
P. 9 c. 5 n. 4.
Form. Congr. gen. n. 85.

3. Societatis et communis boni amatores sint, atque illi in primis fideles, maxime vero tum, cum aliquis ex illis sex, qui nona parte Constitutionum, capite quarto, notantur (quod numquam futurum speramus), casus occurrerit. Quo tempore, et charitatis, quam Societati debent, et officii, quod ab ea acceperunt, et iuramenti, quo se initio obstrinxerunt, memores, non solum fidem, sed etiam diligentiam atque prudentiam suam toti Societati probent, necesse erit.

Affecti sint ad omnes Provincias.

4. Etsi earum Provinciarum, quae sibi commissae fuerint, maiorem eos curam habere, et peculiari ad eas propensione affici oportet; caveant tamen, ne erga suas vel nationes vel Provincias ita affici videantur, ut bonum commune Societatis in omnibus non anteponant.

Sedulo incumbant officio suo.

C. 4 d. 32.
C. 2 can. 37 d. 74.

5. Applicent omnino animum ad ea, quae muneris sui sunt. Itaque quotidie aliquid temporis earum rerum, quae suae fidei commissae fuerint, considerationi dare curent; et aliis rebus, quae ulla ex parte officii sui functionem impedire possint, se ipsi non implicent; et, si in iis a Praeposito Generali occupabuntur, impedimentum illi exponere debebunt, salva tamen obedientia, quemadmodum de eorum missionibus in prima Congregatione decretum est. Et res omnes, personas negotiaque Societatis, peculiari vero oratione, et suis in Sacrificiis recordatione, Deo partem sibi specialiter commissam commendare debent, et considerare quid in ea magis ad id consequendum, quod sibi Societas proponit, iuvare possit.

C. 1 can. 36, 37.
d. 83, 86.

Deo negotia commendent.

Aliis ministeriis occupari possunt.
P. 9 c. 6 n. 10.

6. Cum officio suo satisfecerint, si quid praeterea temporis illis liberum fuerit, praedicationi, lectioni, confessionibus audiendis, et aliis bonis ac piis operibus ad Dei gloriam et animarum auxilium vacare poterunt.

Quales erga Generalem.

P. 9 c. 4, 5.
C. 1 can. 34 d. 82.

7. Meminerint hoc officium ideo sibi a Societate datum esse, ut Praeposito Generali auxilio sint, et ut erga ipsum eam providentiam, quam Societas exercere debet, vice eius exerceant. Quae, cum in duabus versetur rebus: ut eum in gubernatione consilio, diligentia et labore adiuvent, et ut ea, quae tuendo corpori necessaria sunt, illi procurent; utramque sibi fideliter ac diligenter faciendam intelligant.

Coniuncti cum Generali; erga eum reverentes.

8. Itaque et ipsi in primis cum Praeposito Generali, tamquam cum suo totiusque Societatis capite, singulari charitate, humilitate et obedientia interna et externa coniuncti esse debent, et eius coniunctionis exemplum aliis esse verbis ac factis, eius apud omnes, et Nostros et externos, auctoritatem, et eorum erga ipsum benevolentiam, non solum conservantes, sed omnibus etiam modis, quibus poterunt, augentes.

Iudicium submittent. *P. 9 c. 6 n. 11.*

9. Caveant, ne officii sui occasione de ea interiore vel exteriore reverentia, quam Superiori debent, aliquid minuant. Quare, cum Praepositus Generalis, ipsis auditis (aut etiam, si iustis de causis aliquando illi visum fuerit, non auditis), aliquid statuerit, iudicium ipsi suum illius iudicio submittent. Neque extra consultationem, aut quod statutum fuerit sibi displicere, aut se in alia fuisse sententia significabunt; laudent potius Superioris consilium atque tueantur.

Parati ad consultationem.

10. Attendant diligenter iis rebus, quae vel a Praeposito, vel a Secretario eius nomine proponentur; et ad tempus consultationi designatum parati sint; et vocati, nulla interposita mora vel excusatione, veniant.

Notent digna consideratione et consultatione.

11. Notent in litteris, quae a mandatis sibi Provinciis missae fuerint, ea capita, quae consideratione aut consultatione indigere videbuntur; et quae sibi a Secretario vel ab aliis Assistentibus ex aliarum Provinciarum litteris consideranda dabuntur, quantum licebit, considerabunt; ut, bene de omnibus rebus instructi, cum a Praeposito rogabuntur, melius sententiam dicant.

Conferant inter se. *P. 9 c. 6 n. 10.*

12. Conferant invicem, si quid ad rem facere magnopere videatur, ut res inter se discussas Generali referre possint. Et in universum in considerandis et tractandis rebus, tam ad doctrinam, quam ad praxim pertinentibus, quae altiorem considerationem postulant, iuvare Praepositum ac sublevare debent.

Curent suo tempore consultationes fieri.

13. Quae vero de rebus ad sibi commendatas Provincias pertinentibus consultanda erunt, curent ne praemittantur, sed ut statutis temporibus in consultatione tractentur; et, si res urgebunt, Secretarium vel Praepositum admoneant, sibi de illis extraordinario tempore agendum videri, quod dilationem commode non ferant.

Videant litteras Procuratoris Generalis.

14. Litteras de negotiis suarum Provinciarum per Procuratorem Generalem agendis, ad Generalem missas sibique datas, videant, et Procuratori reddant. Negotia vero, quae per eum agenda erunt, diligenter agi curent; et, si quid Generalis commodius per eos agi posse iudicaverit, id ipsi eadem agant diligentia. Litteras rursus Procuratoris de negotiis ad suas Provincias legant, et Secretario mittendas tradant.

Sententiam libere et sincere dicant.

15. In ipsis consultationibus sinceram intentionem habeant, et a perturbatione liberam; ut fideliter, et debita cum libertate ac modestia, caritatis et obedientiae memores, sententiam dicant.

Rem consultandam bene intelligant.

16. Rem, de qua consultatur, bene intelligant; nec sint in dicendo praecipites, sed, negotio secum considerato et oratione praemissa, praesertim cum de rebus agitur difficilioribus, sententiam suam aperiant. Quod si quid ex tempore discutiendum proponeretur, et id sibi maturius considerandum iudicaverint, Superiori significabunt.

Rationes suae sententiae dent.

17. Explicare breviter debent sententiae suae rationes. Quod si, ad rem confirmandam, aliorum rationes essent dissolvendae, id etiam modeste faciant.

Etiam non interrogati, proponant, quae videntur proponenda.

18. Etiamsi non interrogentur, si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum vel alicuius loci aut personae particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is statuat, num ea de re sit deliberandum, necne.

Summo Pontifici Generalem alio mittere cogitanti

19. Si Summus Pontifex aliorum relatu adduci videretur, ut Praepositum Generalem, quo non convenit ad com-

damnum Societatis exponant. P. 7 c. 1 n. 2, D.

mune bonum Societatis et maius Dei obsequium, mittere cogitaret; Assistentium erit officium, nomine totius Societatis, quod res habet, bene illi referre, et quid incommodi ex ea missione Societas acceptura timeatur fideliter exponere, ut, ipsorum auditis rationibus, statuat quod in Domino visum fuerit.

De cura corporis Generalis. P. 9 c. 4 n. 2, 3. C. 1 can. 34 d. 82.

20. Quod ad curam corporis Praepositi Generalis, quam illis Societas tradidit, videant ne in laboribus vel rigore nimio mensuram excedat; et victum, vestitum et expensas omnes ad Praepositi personam pertinentes augere poterunt aut minuere, prout Deo gratius fore iudicabunt.

Quales inter se.

21. Inter se Assistentes omni diligentia curare debent, ut, non solum communi studio iuvandi Societatem, sed mutua etiam charitate, religiosa concordia, iudicio consilioque rerum agendarum, et ipso eas agendi modo omnino consentiant. Nemo autem se alterius negotiis ingerat, et quod de unione atque concordia tertia parte Constitutionum, capite primo, paragrapho decimo octavo, et octava parte, capite primo, paragrapho octavo, omnibus dictum est, sibi proprie dictum existiment.

Mutua concordia.

Honore se praeveniant.

22. Alter alterum honore praeveniat, et apud alios alterius existimationem verbis factisque tueatur: si vero contingat aliquem in consultationibus diversae, aut etiam singularis esse sententiae, nemo ullam ab eo alienationem vel habeat vel ostendat.

Quales erga Nostros esse debeant.

23. Erga alias personas Societatis ita munus suum exsequantur, ut nullius Superioris officium usurpare videantur. Eorum igitur gubernationem et necessariam subordinationem iuvent, non impediant.

Consultata non divulgent.

24. Neque ea, quae in consultatione quisque senserit, neque ea, quae proposita fuerint aut definita, aliis significare debent; praecipue cum res ipsae secretum exigunt. Superioris autem erit ea, quae definientur, promulgare, cum opus esse iudicaverit.

Omnia clausa habeant.

25. Idem de litteris ad se scriptis, aut a Generali, Secretario vel aliis Assistentibus sibi ostensis, et iis etiam, quas ipsi de rebus Societatis scripserint, deque omnibus secretis scriptis intelligendum est, quae omnia ita clausa habere debent, ut a nemine legi possint; et quae in illis scripta erunt, si ad personas vel ad secreta negotia Societatis pertinebunt, nemini indicabunt. Eadem denique se, qua Secretarium, servandi secreti lege teneri sciant.

Secreti lege tenentur.

Servent subordinationem.

26. Cum aliquis ex iis, qui in Societate sunt, aut per litteras aut alia ratione Assistentem aliquem consuluerit, ita respondeat, atque ita eum consoletur et iuvet, ut nec vanam illi spem iniiciat, qua Generali molestia et labor generetur, omniumque Superiorum, praesertim Generalis, simul auctoritati consulat.

REGULAE ADMONITORIS

PRAEPOSITI GENERALIS,

C. 4 d. 43. IN QUARTA CONGREGATIONE GENERALI CONFECTAE ET APPROBATAE.

Quando et quomodo monere debet. P. 9 c. 4 n. 4. C. 1 can. 34 d. 82.

1. ADMONITOR Praepositi Generalis, accedens ad DEUM in oratione, postquam divinam bonitatem consuluerit et aequum esse iudicaverit, admonere tenetur cum modestia debita ac humilitate quid sentiat in eodem Praeposito requiri ad maius obsequium et gloriam DEI.

Reverentia et modestia.

2. Ea modestia et humilitate officium suum obeat, ut subditum decet erga Superiorem totius Societatis, quem Christi loco habet; niti etiam debet, ne huius muneris occasione reverentia atque obedientia interior vel exterior in ipso debilior reddatur.

Fidelitas, et libertas.

3. Animadvertat tamen, ne reverentia haec et obedientia fidelitatem aut necessariam libertatem opprimat, quo minus Praepositum admoneat de iis, quae, praemissa oratione, proponenda in Domino iudicabit.

De quibus monere debeat.

4. Quamvis non teneatur de his Generalem admonere, quae illi proponenda duo, ut minimum, Assistentes non iudicaverint; tamen eorum etiam, quae a singulis Assistentium ei proposita fuerint, praecipuam habeat rationem. De iis vero, quae sive ipsi in mentem venerint, sive ab aliis suggerentur, tum demum Generalem admonebit, cum, praemissa oratione, ea non levis esse momenti in Domino iudicaverit; sive illa ad personam, sive ad officium Praepositi pertineant. Procedatque in his omnibus iuxta caput quartum et quintum nonae partis Constitutionum, et decretum tertium tituli sexti Congregationis primae. Hic d. 82.

Ne dicta evulget.

5. Ea, quorum Praepositum admonuerit, meminerit tacitus apud se servare; quamvis, interrogatus ab Assistentibus de iis, quae ipsi commisissent dicenda, rationem sui officii et responsionis Patris Generalis eis debebit reddere; caeteris vero satis erit significare se proposuisse.

Etiam saepe monere debet.

6. Cum Praepositus, cuiusquam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, Admonitoris erit cum debita submissione iterum et saepius eum commonefacere, et sic functus erit officio suo.

Ne minuat subditorum observantiam.

7. Caveat, ne occasione sui officii debitam submissionem et observantiam subditorum erga Superiorem totius Societatis aliqua ex parte imminuat aut debilitet.

REGULAE SECRETARII

SOCIETATIS,

C. 7 d. 101.

IN CONGREGATIONE SEPTIMA EXAMINATAE ET RECOGNITAE.

Caput I. — Quae iuvare poterunt Secretarium ad bonam officii sui administrationem.

Est minister Praepositi.

1. Cum Secretarius minister sit Praepositi Generalis, ordinarie apud ipsum manens, ut pro memoria et manibus illi sit ad omnia, quae scribenda et tractanda fuerint; dare operam debet, ut talis sit, qualem Constitutiones requirunt. P. 9 c. 6 n. 8.

Orationis tempus.

2. Ita, quoad eius fieri potest, negotia disponat, ut tempus, orationi et sanctae Missae sacrificio destinatum, vacuum habeat.

Fidelitas, et secretum.

3. Illa vero, quae ab eo Secretarii officium nomenque ipsum requirit et in eius maxime potestate sunt, inprimis habere studeat: ut quam fidelissimus Generali totique Societati sit, et adeo secreti tenax, ut si nihil omnino earum rerum sciret, quas oportet esse secretas.

Studium boni communis. P. 9 c. 6 n. 9.

4. Diligere singulari quodam affectu commune bonum Societatis debet; eiusque Instituti, Constitutionum, Decretorum, Ordinationum, rerumque omnium ad gubernationem pertinentium magnam habere cognitionem: quam, non solum rerum gerendarum usu, sed provida etiam et assidua diligentia, haec saepe legendo, comparare, augere et conservare poterit.

Lectio Instituti.

Diligentia in rebus agendis. P. 9 c. 6 n. 9.

5. In agendis rebus sollicitus, diligens, prudens et industrius sit oportet; et in his arte et auxilio aliorum, quos habebit socios, se ipsum adiuvare debet.

Quae in Archivio servanda.

6. Archivium habebit, in quo scripturas omnes Societati utiles asservabit, eo ordine dispositas, ut facile, cum opus erit, inveniri possint; authentica Domorum et Collegiorum instrumenta aliorumque contractuum, privilegia, bullas, brevia, signaturas, et vivae vocis oracula Sedis Apostolicae, libros originales Constitutionum, Exercitiorum Spiritualium, Congregationum generalium, Regularum, et Ordinationum omnium; itemque litteras omnes, quarum aliquis in futurum usus esse possit; et si quod aliud scriptum huiusmodi erit: sive ipse per se, sive per alium quempiam eius archivii curam habeat.

Varii libri.

7. Quas ad res, simulque ad alias, quas in archivio esse necesse non erit, distinctos aptosque habebit libros. Primum, in quo omnia privilegia, facultates et concessiones Sedis Apostolicae conscribantur. Secundum, in quo earum facultatum et concessionum

compendium sit. Tertium, in quo acta omnium Congregationum generalium. Quartum, in quo acta omnium Congregationum Procuratorum, addito sigillo Societatis, authentica contineantur. Quintum, libros registrorum per Provincias distinctos, in quibus omnium litterarum, quae a Generali vel ab alio eius nomine scribentur, autographa maneant. Sextum, in quo ponentur suffragia a Provincialibus missa, et ab iisdem authentice subscripta et subsignata, in approbatione alicuius Assistentis, vel etiam Admonitoris Generalis Praepositi; aut in dissolutione alicuius Domus vel Collegii, cum id fieri continget. Septimum, in quo scriptae serventur Ordinationes omnium Generalium. Octavum, in quo responsiones omnes ad dubia circa Constitutiones, Decreta et Regulas. Nonum, in quo resolutiones dubiorum in rebus litterariis, theologicis scilicet, seu casibus conscientiae describantur. Decimum, in quo catalogus sit omnium Provinciarum, Domorum, Universitatum, Collegiorum, Residentiarum, Domorumque Probationum totius Societatis, notatis cuiusque reditibus. Undecimum, in quo Catalogus describatur omnium, cuiuscumque gradus, qui in Societate vivunt, alphabetico ordine distinctus. Duodecimum, in quo catalogus sit omnium Professorum quatuor votorum, qui umquam a principio Societatis fuerunt, designatis Provincia, professionis tempore, et Generali, sub quo professionem ediderunt. Decimum tertium, in quo Professi omnes, qui fuerunt, trium votorum. Decimum quartum, in quo Coadiutores formati spirituales. Decimum quintum, in quo Coadiutores temporales formati eadem ratione describantur. Decimum sextum, in quo notentur omnes, qui vel dimissi fuerint, vel discesserint a Societate, vel in ea obierint, indicato gradu, quo in ea fuerant. Decimum septimum, in quo describantur nomina omnium, qui in Societate moriuntur, declarato loco ubi moriuntur, tempore, quo vixerint, quoque fuerint in Societate, et quo gradu in ea fuerint; adiunctisque breviter rebus ab iis factis, memoria dignis, ut hic liber quasi commentarius et historia Societatis esse possit: in quo notare Secretarius poterit, pro quibus indictae a Generali ordinariae aut extraordinariae preces sint. Decimum octavum, ubi formulas litterarum patentium missionum, officiorum, communicationis gratiarum Societatis, dimissionis a Societate, et omnium eiusmodi scripturarum, quae a Generali fieri solent, descriptas habeat. Decimum nonum, in quo tituli omnium ecclesiasticorum et saecularium Principum, Praelatorum, nobilium notati sint, et modus, quo ad eos scribetur, breviter indicatus.

Habere etiam duos alios pugillares libellos Secretarius debet: alterum, ubi omnia quae ipsi facienda a Generali praescribentur, memoriae causa notet, et promissa omnia Generalis, ut suo tempore praestentur; alterum, ubi scribat, quae litterae, unde, et a quo, et quo die receptae sint, ut suo cuique tempore respondeatur, et pecuniae, quae pro litteris solvitur, ratio constare possit. Omnium denique scripturarum, quae in archivio sunt, habebit indicem, designato loco, ubi quaeque posita sit, et ut nulla pereat, et ut omnes inveniri quam facillime possint.

Caput II. — Quae Generali in memoriam revocanda.

Quando scribendum ad Provincias.

8. Revocabit in memoriam Generali, cum iuxta canonem 28 secundae Congregationis ad singulas Provincias scribendum fuerit, ut id fiat, et ad unam prius quam ad aliam, prout cuiusque necessitas postulabit. Saepius etiam extraordinarie, si propter magna alicuius Provinciae negotia, quae moram pati non poterunt, necessarium esse iudicabit.

Ordinationes Visitatorum consultandae.

9. Curabit, ut litterae et ordinationes Visitatorum, qui a Generali ad visitandam Societatem vel aliquam eius partem missi fuerint, tamquam res magni momenti, et communi Societatis bono valde necessariae, primo quoque tempore in consultationem proponantur.

Consultationes ut habeantur suggerendum.

10. Aliis etiam de rebus curet, ut statutis a Generali temporibus consultationes Assistentium fiant; intelligatque ab eo prius, quibus de rebus agendum in illis sit. Quod si quid eiusmodi esse intelliget, ut ferre non posse commode dilationem videatur, eum interroget, num de eo extraordinario tempore agi velit.

An alius ad consultationem vocandus.

11. Cum opus esse iudicaverit, intelligat ex Generali, num Procurator Generalis, aut alius, qui de re, de qua agendum erit, experientiam aut magnam cognitionem habeat, interesse consultationi debeat.

Litterarum consultatio.

12. Meminerit ea, quae, ut postea dicetur, ex litteris ad Generalem aut alium missis, excerpserit, consultationi proponenda, suo tempore proponere, praesente semper eius Provinciae Assistente, unde litterae missae sunt. Si quid autem Generalis in ipsa consultatione longiori deliberatione indigere iudicabit, id in aliam reservabit consultationem; cavebitque, ne oblivione aut negligentia praetermittatur.

Quae expedienda.

13. Cum aliquid iudicio Generalis, aut ab aliquo Visitatore aut Provinciali, maxime vero a generali vel provinciali aliqua Congregatione relictum fuerit; si, aut propter occupationes, aut quia res non patiebatur, nondum quidquam aut potuerit aut voluerit constituere; non desinat tamen illum crebro submonere, donec aliquid statuat, ne longinquitate temporis obliviscatur.

Quando ad Principes scribendum.

14. Animadvertat, num expediat Praepositum Generalem ad aliquos externos scribere, praesertim Principes ecclesiasticos aut saeculares, Episcopos, Praelatos, aut alios magna auctoritate viros, ad conservandam eorum erga Societatem benevolentiam; idque illum admoneat.

Quando non scribitur.

15. Moneat etiam eum, si quam Provinciam, Visitatorem, Provincialem, Praepositum localem, Rectorem, Magistrum Novitiorum, Consultorem, vel alium quempiam eorum, qui scribere debent, suo tempore non scripsisse deprehenderit.

Suffragia prò defunctis.

16. Cum de morte alicuius de Societate scriptum fuerit, curet primo quoque tempore reliquis Societatis Provinciis significare, ut pro eo debitae orationes indicantur. De fundatoribus vero aut benefactoribus defunctis Praepositum Generalem admoneat, ut iuxta Constitutiones et illius mentem suffragia pro eis fiant. Idem faciet, cum alicuius gravis negotii causa (sive Societatis, sive Ecclesiae, sive regni, aut Provinciae alicuius sit) per totam Societatem, aut per aliquam eius Provinciam preces indicendas iudicabit. *P. 4 c. 1 n. 4.*

Aliae preces indicendae.

Generalis sua manu

17. Si oportere aut decere ali-

quandoque scribat.

quando iudicabit, ut ad aliquem, aut de Societate aut externum, sua manu Generalis scribat, id illi suggeret.

Creatio novi Pontificis.

P. 7 c. 1 n. 8.

18. Cum novus Christi Vicarius electus fuerit, redigat in memoriam Generali, quod Constitutiones iubent, ut intra unum annum ipsi declaret votum obedientiae, quod Professi in Societate Sedi Apostolicae faciunt: et, si opus esse iudicabitur, confirmationem gratiarum et privilegiorum Societatis ab eo petat.

Quomodo in consultatione proponendum.

19. In consultationibus rem, de qua agendum erit, fideliter et dilucide proponat; et, si quae erunt in utramque partem rationes, explicabit; ut nihil, si fieri potest, Generali et Assistentibus de facto, sed solo iure disserendum relinquatur.

Notet in libro, quae a Generali definita.

20. Quae autem in ipsa consultatione aut alibi a Generali definita fuerint, ea in commentariolo notabit, recitabitque Generali, antequam discedat, ut videat, num eius sententiam assecutus sit, et ex eius mente litteris respondeat.

Litteras Generali legat et tempestive transmittat.

21. Scriptas a se litteras Generali leget, et subscribendas tradet, atque ab eo scriptas tempestive in suum quasque locum transmittet.

Litterae *soli*.

22. Litteras *soli* inscriptas, cum a Generali acceperit, nulli omnino legendas tradet; sed illum monebit, ut primo quoque tempore respondeatur; sua autem ipse ad illas manu, non aliena rescribet.

Memoriale apud se habeat.

23. Omnium rerum, quae ad Generalium pertinent, providentiam, tam earum, quae certo tempore, quam earum, quae incerto, prout res postulat, commentariolum apud se habeat, saepeque legat, ut, earum ipse rerum ex suo commentario recordatus, memoriam Generali renovet.

Scripturae quando asservandae.

24. Scripturas omnes diligenter conservet; et litteras, quae *soli* Generali non inscribentur, quasque ille apud se non retinebit, in archivio recondet, notatis in tergo littera *S*, iis quae Generalis iudicio servandae gubernationis causa videbuntur, littera vero *AE*, quae ad aedificationem et historiam Societatis pertinebunt. Scripturas porro, in quibus personae notantur, nullo modo cuiquam ostendat sine expressa facultate Generalis.

Caput III. — Quomodo ad exsecutionem multarum rerum Generalem iuvare debeat.

25. Manus officium erga Generalem exercebit in exsequendis alacriter rebus, quas illi Generalis commendabit, sive negotia foris agenda, sive domi scribendae litterae sint: quae pars maxime propria eius officii est.

Est manus Generalis.

26. Simul ut fasciculi aut litterae aliunde venerint, eas ad Generalem deferat: et quas litteras sibi Generalis legendas tradiderit, eas diligenter legat, ac saepe etiam, si opus erit; quo melius negotia, de quibus in iis agetur, animo memoriaque comprehendat.

Leget omnes litteras.

27. In omnibus litteris ea capita, quae alicuius momenti erunt, quaeque responsione aliqua indigere videbuntur, a tergo litterarum earumdem notabit, maxime vero ea, de quibus in consultatione cum Assistentibus Generalis agendum iudicabit.

Praecipua capita a tergo notabit.

28. Quando ad aliquam Provinciam ordinatio aliqua mittitur, aut responsio ad dubium de Constitutionibus, Decretis, ac Regulis, vel de rebus litterariis, vel denique resolutio quaecumque, aut concessio apostolica; eam ad alias quoque Provincias transmitti curet, quibus ordinatio, responsio, aut concessio huiusmodi utilis vel necessaria esse posse videbitur.

Quae cum Provinciis communicanda.

Caput IV. — Fidelitas ac secretum quomodo servandum.

Fidelit as erga Generalem.

29. Fidelitas eius erga Generalem in eo potissimum observabitur, si nihil clam eo aut scribet aut aget, quod ad negotia spectet Societatis; si nullam sibi gubernationis partem usurpabit; si illi indicabit quidquid aut in tota Societate, aut in aliqua eius parte, in Assistentibus, aut in aliis personis Societatis, praesertim qui gubernant, observaverit, quod eius indigeat providentia.

Fidelitas erga Societatem.

P. 9 c. 4 n. 6, 7.

30. Erga Societatem vero fidelis erit, si in casibus, in quibus secundum Constitutiones Assistentes Congregationem generalem convocare debent, causam Societatis adiuvet; et, si quid ipse prior eiusmodi noverit, Assistentibus indicet, ut suo fungantur officio.

Secretum.

31. Secretum, quod eius maxime requirit officium, non in eo solum erit, ut nihil omnino earum rerum, quas secretas esse oportet, domi vel foris aliis indicet; sed in eo etiam, ut litteras et scripta omnia, quae secreti aliquid continent, ita recondat ac celet, ut a nemine legi possint.

De suis litteris.

32. Cavebit diligenter, ne privatis litteris suis, sive ad externos sive ad alios de Societate, aut de rebus eiusmodi secretis, aut de futuris consiliis Generalis, nondum ab eo evulgatis, quidquam significet.

Litteras nonnisi iussus aperiat.

33. Nullas litteras, nullos fasciculos, nulla scripta ad Generalem missa ipse aperiat, aut aperta ab alio legat, nisi eodem iubente Generali: iubere autem intelligitur, quoties litteras illi, aut scripta resignata reddiderit, aut aliunde accepta tradiderit.

Ex archivio scripturae quomodo tradi possint.

34. Ex archivio nullam cuiquam scripturam, neque domestico neque externo, iniussu Generalis tradat; et, cum eius iussu tradiderit, in libello notabit, quid, cui, et quando dederit. Et, si externus fuerit, singrapham ab eo accipiet, ut sciat recordeturque, ubinam sit, et possit suo tempore reposcere.

In obitu Generalis obserabit scripturas.

35. In obitu Generalis obserabit ipse tempestive ac fideliter armaria ac scriniola omnia Generalis demortui, cum scripturis ac litteris omnibus, quae apud ipsum reperiuntur, et simul cubiculum, ubi haec asservantur, et claves apud se in secretaria retinebit. Cum autem renuntiatus fuerit Vicarius, tradet claves antiquissimo Assistentium, a quo eas Vicarius accipiat iuxta rationem sui officii. *Offic. Vic. n. 13.*

Aliorum litteras destinabit.

36. Litteras ad alios de Societate missas, quae in fasciculo Generalis venerint, nisi ille retinuerit, ipse ad eorum, ad quos scribuntur, Superiores mittet, nisi ipsi Superiores fuerint. Litteras vero Procuratoris Generalis ad ipsum mittet Procuratorem, idque quam primum, ne qua occasio elabatur rerum gerendarum.

Caput V. — Quomodo se gerere debeat cum Assistentibus.

Erga Assistentes quomodo se geret.

37. Erga Assistentes ita se gerat, ut de eorum officio nihil sibi assumere velle videatur, suo se gradu continens; eosque tamquam lectos ad maius officium a Societate viros reverens. Itaque neque in consultationibus sententiam suam non rogatus dicet, nisi si quid suadebit charitas suggerendum, contentus (quod illius officium est) aliorum bene intelligere et fideliter excipere sententias.

Quaenam litterae Assistentibus dandae.

38. Lectas a se litteras illi tradet Assistenti, ad cuius Provincias negotia, de quibus agetur, pertinebunt, vel

unde litterae missae fuerint; deinde aliis, si res aliqua in eis contineatur, quae in consultationem erit adducenda, ut omnes ad dicendam sententiam parati veniant.

Res maioris momenti cum Assistentibus communicandae.

39. Res omnes scribendas maioris momenti, itemque instructiones eorum, qui huc vel illuc mittentur, antequam scribantur, cum Assistentibus conferat ex commissione Generalis, et eorum sententias fideliter Superiori referat.

Litterae communes iisdem ostendendae.

40. Si quas ordinationes aut litteras ad omnes aut ad aliquas Provincias Generalis scribi voluerit, eas, antequam mittantur, omnibus Assistentibus ostendet; reliquas vero litteras, quae ad alias aut Societatis aut externas personas privatim scribentur, satis erit illi tantum Assistenti, ad cuius Provincias scribentur, ostendere.

Caput VI. — Quomodo cum sociis.

Curam gerat suorum.

41. Substitutorum et sociorum suorum, a quibus in scribendis litteris adiuvatur, habebit curam. Primum, ut Regulas officii sui servent; deinde, ne nimio scribendi labore aut exstinguant spiritum, aut vires et valetudinem affligant. Itaque curare debet, ut tempus, orationi et aliis exercitiis spiritualibus necessarium, liberum habeant, et vacationem recreationemque tuendae valetudini convenientem.

In quibus sit eorum Superior.

42. Etsi eius Substituti et socii in iis, quae ad officium suum non pertinent, sub Praepositi aut Vice Praepositi et Ministri Domus obedientia esse debent; poterit tamen eos, cum ipsius postulabit officium, aut recreationis causa, foras mittere, et cum illis, si necesse fuerit, in ordine domestico dispensare. Caveat porro, ne vel ipse aliis in rebus illos occupet, vel ab aliis occupari permittat, cum detrimento sui officii aut valetudinis.

Benigne illos tractet.

43. Substitutos sociosque, etiam Coadiutores, tractet ut fratres, detque operam, ut semper hilares in Domino et alacres sint, ne et labore, suapte natura tristi, et ipsius parum iucunda consuetudine conficiantur.

Quae illis communicabit.

44. Ex rebus secretis tantum cum unoquoque eorum communicabit, quantum cuiusque officii ratio et rerum necessitas postulabit.

Socius aliquis ad rationes expensarum, et ad accipiendas litteras.

45. Habeat socium, qui ei sit ad manus ad omnia negotia, prout officii necessitas exegerit; quique litteras a tabellariis tempestive accipiat, et tam pro illis exigendis, quam pro aliis secretariae usibus expendat, rationemque expensi, ab ipso prius approbatam, Procuratori Generali reddat; a quo et pecunias, prout opus erit, accipiat.

Caput VII. — Quomodo cum aliis.

Quomodo cum Nostris.

46. Cum aliis ex Societate hominibus ita se gerat, ut nullam auctoritatis speciem ostendat, nullum singulari studio et favore prosequatur, spe ac promissis neminem alat, ostendat denique omnibus, se instrumentum tantummodo et manum esse Generalis.

Quomodo cum externis.

47. Externis se gratum et religiose amabilem praebeat, curetque, ut omnes, quibuscum aget, in Domino aedificet, et Societati benevolos reddat. Nullum vero cum illis negotium iniussus a Generali tractabit: et, cum eius tractabit iussu, caveat, ne quod in sermone verbum excidat, quod praeter eius sit voluntatem.

Caput VIII. — De ratione et modo litteras scribendi.

Modus scribendi religiosus.

48. Modus scribendi, sive ad Nostros sive ad externos, illud in primis habere debet, ut religiosus sit; sed aliter tamen cum ad Nostros, aliter cum ad externos, sive Religiosos sive saeculares scribitur.

Cum ad Nostros.

49. Cum ad Nostros scribet, usitatum Societatis morem servabit, de quo nihil mutabit, nisi iubente Generali; et quisnam is sit mos, scire debet, et an ab aliis in Societate servetur, animadvertere.

Cum ad alios Religiosos.

50. Cum ad alios Religiosos, eodem spiritu eademque pietatis significatione, qua ad Nostros, debet scribere; minus autem libere. Quod autem ad titulos et honorificas appellationes attinet, illis utetur, qui ab aliis Religiosis et prudentibus hominibus eisdem tribuuntur.

Cum ad externos saeculares.

51. Cum ad externos saeculares, animadvertere pariter debet, tum ut litterae ipsae religiosam Societatis pietatem semper oleant; tum ut eos illis titulos tribuat, quos cuiusque dignitati convenire ac deberi intelliget.

Nullus affectus immoderatus in litteris.

52. Caveat diligenter, ne in litteris, et maxime iis, quas Generalis nomine scribet, species ulla immoderati affectus appareat, aut ullum sit indicium non satis bonam de eo, ad quem scribitur, opinionem Generalem habere.

Induat Generalis animum.

53. Generalis animum induat, eiusque non solum sententiis, verum et verbis ingenium exprimat, ut non tantum idem, sed etiam eodem modo, quo Generalis, si scriberet, dicturus esset, dicat; non supra eius sensum et voluntatem res, quas scribet, augens, non infra diminuens.

Caput IX. — De annuarum litterarum editione.

Annuae recognoscendae.

54. Simul ac ex Provinciis allatae erunt annuae, Assistentibus recognoscendas dabit; et ab iisdem postea recipiet, ut typis mandentur.

Ubi excudendae.

55. Ubi a Patre Generali cognorit, qua in Provincia excudi eas velit, autographa mittet ad Provincialem; eique rem totam Generalis nomine commendabit, ut idoneum scilicet quempiam huic operi praeficiat; curetque edita exemplaria per alias Provincias distribui.

Litterae indicae latine vertendae.

56. Indicae litterae omnes, quae vulgari consueverunt, nisi latina lingua scriptae sint, dabit operam, ut statim latine vertantur, typisque excusae Societati quam primum communicentur. Quae vero ex Anglia, Hibernia, Scotia, vel e constantinopolitana, chiensi, aliisque eiusmodi missionibus adferentur, eodem modo ab Assistentibus recognita, litteris annuis subiici, unaque in lucem edi oportebit.

Anglicanae, hibernicae, etc.

REGULAE

SUBSTITUTORUM SECRETARII,

C. 7 d. 101.

IN CONGREGATIONE SEPTIMA EXAMINATAE ET RECOGNITAE.

Multa ex Regulis Secretarii.

1. Muneris sui momentum, diligentiam, fidemque, qua versari in eo debent, aestimare poterunt Substituti ex Regulis Secretarii, quibus uti eos oportebit, quatenus ad hanc, qua illum sublevant, officii partem referuntur.

Orationis tempus.

2. Ita negotia disponant, ut tempus, orationi et sanctae Missae sacrificio destinatum, vacuum habeant.

A quo pendeant.

3. Pendebunt proxime a Secretario, cum in omnibus iis, quae ad secretariam pertinent, tum in petenda scribendi vel accipiendi litteras, et foras exeundi facultate, sive ambulatum, sive cum a P. Secretario mittuntur. Quod si ipsis ad alia quaevis negotia exeundum erit, petita a P. Vice Praeposito facultate, Secretarium monebunt, ab eoque socium petent, nisi iam P. Vice Praepositus designarit; cui in caeteris ad disciplinam domesticam, non ad secretariam pertinentibus, parebunt subiectique erunt.

Se mutuo iuvent.

4. Etsi distinctionis causa singuli ad expedienda certarum aliquot Provinciarum negotia designati sunt, poterit tamen Secretarius eorum in his illisve opera uti, prout res et tempora postulabunt.

Litterarum summaria in tergo notent.

5. Ut litterae a PP. Assistentibus pro eorum commodo inspici possint, summaria seu excerpta litterarum mature conficient, eaque in litteris ipsis a tergo notabunt, praefixa loci, temporis, eiusque, qui scribit, nominis nota, ut omnia post referant ad Patrem nostrum. Quod si ad conficienda haec summaria ope aliqua indigere se sentiant, eam petent a Secretario.

Notent scribenda.

6. Cum a P. Generali, vel eius mandato a P. Secretario respondendi materiam accipient, eius summam, vel in litteris iisdem, vel in alia seorsim schedula paucis adnotabunt. In litteris porro, quas scribent, si quid a PP. Assistentibus (quibus ostendi omnes debent) animadversum fuerit, de eo Patrem nostrum monebunt; ac vicissim Assistentes, si quid a Patre nostro inter subscribendum adiiciatur.

Litteris quae addita, moneant.

Distinctae sint in armariis litterae.

7. Litteras, cum expeditae erunt, suis statim locis in armario distincte atque ordine reponent, designando singulis Provinciis certum aliquod spatium a litterarum cellulis seiunctum, in quo memorialia et alia id genus collocentur, ut facilius, cum res exiget, reperiri possint. Armarium

Quando purganda armaria.

autem bis saltem quotannis, praesente suarum Provinciarum Assistente aut Secretario, repurgabunt: ita ut inutiles litteras tollant et exurant; eas vero, quae ad aedificationem faciunt, aut res insignes perpetuasve (quales sunt Collegiorum fundationes, et similia) continent, Secretario tradent; eodemque modo litteras eorum, qui ad Indos vel ad alias huiusmodi missiones se offerunt. Denique cum munere suo decedent, secretas omnes, quas habent, Secretario dabunt, ne inspici possint a successoribus.

Soli Secretario tradant.

Nomina defunctorum et exeuntium e Societate; suffragia, preces. *P. 4 c. 1 n. 4.*

8. Nomina defunctorum, cum temporis et loci, quo quisque diem obiit, nota, quamprimum ei tradent, qui eius rei curam gerit. Eorum item qui e Societate discedunt. De fundatoribus vero aut benefactoribus defunctis Secretarium admoneant, ut iuxta Constitutionum et Generalis mentem suffragia pro eis fiant. Idem facient, cum pro alicuius negotii causa, sive Societatis sive alterius, per totam Societatem, aut per aliquam eorum Provinciam, preces indicendae sunt.

Abdita sint omnia in cubiculo.

9. Expedit ad declarandum studium curamque secreti et litterarum, quas tractant, ut in cubiculis suis, tum litteras ipsas, tum reliqua scripta et negotia recondita semper habeant in armario, vel alio quopiam loco, ubi oculis non pateant, nisi cum re ipsa in usu et opere versantur.

Clavi simili eius quam habet Secretarius claudantur.

10. Litteras, aut alia quaecumque ad Secretariam spectant, alia clavi non occludent, quam illa, cuius similem habeat Secretarius, eique soli suam tradent, si quando peregre abibunt, aut alia incidet occasio.

Regesta Secretario tradantur.

11. Regesta peculiaria, quae secretis quibusdam litteris inservire debent, Secretario, quando plena erunt, servanda tradent: itemque litteras (si quas habeant quas servari oporteat) ut in archivio secreto reponantur.

Nomina Superiorum, et Consultorum descripta habeantur.

12. Habeant in quaternione descripta nomina Superiorum, qui in eorum Provinciis gubernant, et nomina Consultorum, suoque tempore illos expungant, qui mutantur, ut successorum nomina substituant, tum in suo, tum in eo Superiorum indice, qui apud Patrem nostrum erit.

Qui suo tempore non scripserint deferantur.

13. Cum hisce duobus catalogis, quo tempore ad Patrem nostrum scribunt Superiores et Consultores, litteras, quas acceperint, comparabunt, ut dispiciant, an omnes praescripta in ratione scribendi tempora observarint. Et, si quos officio defuisse deprehendent, ad Patrem nostrum, aut certe ad P. Secretarium deferent, ut moneantur.

Quae ex privatis regestis excerpta, in communibus describenda sint.

14. Ordinationes et monita communia, aut alia etiam responsa, si quae per illos Provinciae cuipiam scribuntur, quae reliquis usui futura sint (qualia esse solent quae ad propositas casuum difficultates, vel circa Institutum, Regulas et privilegia rescribuntur) Secretario significabunt, ut ex ea, privatis regestis excerpta, in aliis communibus rescribenda curet.

Suos amanuenses quando iuvabunt.

15. In obsignandis litteris, fasciculisque complicandis, aderunt ope sua scriptoribus, praecipue cum inexperti adhuc erunt, aut si fasciculi ipsi propter magnitudinem id requirant, et scriptores alii, in suis similiter occupati, operam conferre nequeant.

Fideles et secreti sint.

16. Illud in primis habere studeant, ut quam fidelissimi Generali sint, et adeo secreti tenaces, ut si nihil earum rerum scirent, quas oportet esse secretas.

Moneant Secretarium de iis, qui non scripsere.

17. Moneant Secretarium, si quam Provinciam, Visitatorem, Provincialem, Praepositum localem, Rectorem, Magistrum Novitiorum, Consultorem, vel alium quempiam eorum, qui scribere debent, suo tempore non scripsisse deprehenderint.

Diligentes sint.

18. Solliciti ac diligentes sint in exsequendis alacriter rebus, quas illis Secretarius commendabit, sive negotia foris agenda, sive domi scribendae litterae sint, quae pars maxime propria eorum officii est.

Quae tradenda archivistae.

19. Scripturas omnes, ac litteras, quae *soli* Generali non inscribuntur, quasque apud se non retinebunt, in archivio recondendas tradent, notata a tergo littera *S* iis, quae Secretarii iudicio servandae gubernationis causa videbuntur; littera vero *AE* iis, quae ad aedificationem et historiam Societatis pertinebunt. Nullas vero, praesertim de negotiis, in archivio reponent, quas antea non legerint.

De suis litteris.

20. Cavebunt etiam diligenter, ne in privatis litteris suis, sive ad externos sive ad alios de Societate, aut de rebus eiusmodi secretis, aut de futuris consiliis Generalis nondum ab eo evulgatis, quidquam significent.

Quales in scribendo pro Generali.

21. Caveant item diligenter, ne in litteris, maximeque quas Generalis nomine scribent, species ulla immoderati affectus appareat, aut ullum sit indicium non satis bonam de eo, ad quem scribitur, opinionem Generalem habere.

Generalis animum induant.

22. Generalis animum induant, eiusque, non solum sententiis verum etiam verbis, exprimant ingenium; ut, non tantum idem, sed eodem etiam modo, quo Generalis, si scriberet, dicturus esset, dicant; non supra eius sensum et voluntatem res, quas scribunt, augentes, non infra diminuentes: conenturque parare sibi stilum, qui religiosam pietatem et modestiam sapiat, redoleatque veterem maiorum nostrorum simplicitatem et candorem.

(Institutum Soc. Iesu Vol. III p 63-65)

REGULAE

REVISORUM GENERALIUM

C. 8 sess. 128.
C. 10 d. 11.

EDITAE IUSSU CONGREGATIONIS VIII, RECOGNITAE IN CONGREGATIONE X.

Revisores ex variis nationibus, et eorum qualitates.

1. MUNERIS sui gravitatem ex eo metiri Revisores debent, quod Praeposito Generali operam navant in re maximi momenti, hoc est, in librorum edendorum examine et censura. Propterea enim ex variis nationibus in unum collecti sunt homines praestanti iudicio et doctrina, ut Generalis, eorum fide diligentiaque adiutus, facilius providere possit, tum caetera, quae in Nostrorum scriptis spectari debent, tum maxime, ut do-

ctrinae soliditas et uniformitas, quam Constitutiones requirunt, in Societate conservetur.

P. 3 c. 1 n. 18, O. P. 4 c. 5 n. 4.

Libri graviores a quatuor, alii a paucioribus censendi. C. 11 d. 22 n. 2. C. 12 d. 28.

2. In libris ergo, quos recognoscendos accipient, ut congruentem pro cuiusque argumento et qualitate curam adhibeant, hoc observabunt, ut eos quidem, qui in theologicis speculativis aut in controversiis versantur, morumve doctrinam tradunt, quatuor integrum librum examinent. Quod si quando pauciores forte esse contigerit, P. Generalem moneant, ut quid tunc facto opus sit ipse statuat. Sacrarum vero Litterarum commentarios, qui ex proposito controversias dogmatice non miscent (in his enim quatuor etiam esse debent) librosque, qui sacras aut ecclesiasticas historias, concionesve ad populum, aut quaestiones philosophicas complectuntur, tres omnino perlegant. Qui vero leviora continent, quam aut a singulis Censoribus omnia legi necesse sit, ut qui in Humanioribus Litteris, aut profanis versantur historiis, duo saltem integros evolvant: ac tum etiam in his reliqui Revisores partem illorum aliquam inspiciant, quantum nimirum satis sit, ut cum aliis postea conferre, et de libris ipsis iudicare una possint.

Quid observandum in ferendo iudicio.

3. Iudicium porro illorum duplex erit. Unum, ut dispiciant, an liber talis sit, qui a Societate in lucem edi iure possit. In quo si edi debere non fuerit iudicatum, non erit quod ulterius progrediantur, sed suum hoc iudicium statim referent ad P. Generalem, ut quod facto opus sit ipse consideret ac statuat. Alterum, ut, cum operae pretium esse duxerint ut edatur, tum de censuris deinceps deliberent, ac definiant, an corrigi liber debeat iuxta ea, quae vel ipsimet observarint, vel ex Provinciis missa fortasse fuerint. Quocirca, cum librum aliquem accipiunt recognoscendum, curent, ut simul cum libro tradantur censurae ex Provincia missae, si quae sint, cum responsis auctoris ad censuras.

Cavenda S. Inquisitionis offensa.

4. In rebus maioris momenti conveniens erit, ut prius adducantur rationes in utramque partem; tum vero procedatur ad ferendum ex omnibus auditis iudicium. Caveant autem in formandis censuris, ne utantur verbis, quae offendere possint Sacram Inquisitionem: quod fieret, si propositiones nulla hactenus a Sacra Inquisitione notatas graviore censura, puta haeresis, erroris, temeritatis, etc., ipsi damnarent. Simpliciter itaque censeant ac iudicent de propositionibus, an ea in scholis nostris, aut in libris, qui a Nostris eduntur, permitti debeant.

Censuris nomina subscribenda.

5. Absolutis cuiusque libri consultationibus, tum eius libri approbationem, tum censuras Patri nostro subscriptas exhibebunt, ut de his statuat, quod convenire videbitur. Suscribent quidem omnes, si in eas maior pars consenserit. Si quis vero, vel in approbatione libri, vel in aliqua censura discrepaverit, vel omissum aliquid fuerit, quod ei dignum censura videatur, separatim id ad P. Generalem cum suis rationibus, vel eodem folio vel diversis, ut placuerit, scribet, si rem dignam iudicaverit, de qua P. Generalis moneatur. Cum vero paria erunt utrimque suffragia, eae quidem censurae inter communes non ponantur, sed ad Patrem nostrum simul afferendae erunt utriusque partis rationes, ut pro re nata statuat quod expedire iudicabit.

Ratio Regularum et circumspectionis habenda.

6. Censuras librorum ad ea maxime dirigent, quae in Ratione Studiorum praecipiuntur, in Regulis communibus

videlicet Praeceptorum Facultatum superiorum 5 et 6; Professoris Scripturae 1, 2, 6, 8, 10 et 11; Professoris scholasticae Theologiae 2, 3, 4, 5; et Professoris Philosophiae 2 et 3, soliditatem uniformitatemque doctrinae iuxta Constitutiones nostras et decretum 55 quintae Congregationis semper intuendo. Neque in ea re nostrorum scriptorum, sicubi a communi via deflectant, ducantur exemplo, quidquid aliqui e Nostris ante scripserint. Unde, ut approbetur a Revisoribus opinio aliqua, non sufficit, quod idonei alicuius auctoris sit; requiritur insuper, ut non sit contra Doctorum axiomata, communemque scholarum sensum. Atque, in universum loquendo, non solum admitti nihil debet, quod fidei pietatique christianae non prorsus congruat; sed neque aliud quidpiam, quod alios merito possit offendere, vel Societatis existimationem religiosamque circumspectionem dedecere videatur.

Hic d. 41.

Quae in libris Nostrorum toleranda non sint.

7. Providebunt itaque: 1. Ne in libris Nostrorum novae, et a communi doctrina discrepantes opiniones inducantur. 2. Ne communes rationes, quibus Religionis christianae dogmata confirmant Theologi, convellantur. 3. Ne a D. Thomae doctrina, iuxta Constitutiones et Congregationum Decreta, in theologicis discedatur. 4. Ne quid contineant, quod vel ad iura Principum, immunitates, iurisdictionem, et privilegia, vel materiam Status, ut vocant, pertineat, vel alia quavis ratione nationum provinciarumque res aut personas sic attingat, ut iusta sequi possit offensio. In iis porro, qui contra haereticos scribunt, observabunt praecipue, an cum doctrinae soliditate stilum ita moderentur, ne plus aequo acerbitatis habere, aut alia ratione levior merito cuiquam videri possit.

P. 4 c. 14 n. 1. C. 5 d. 41, 56.

Quae contra requirantur.

8. Quodcumque argumentum tractetur, tale sit, ut aedificationi utilitatique futurum censeatur; et in eo ita versetur auctor, ut non mera eorum, quae ab aliis scripta sunt, repetitio videri queat, sed sua ipse propria, eaque digna luce habeat; talisque praeterea sit liber, ut mediocritatem in suo genere non mediocriter superet, hominumque de Societatis lucubrationibus iudicio et exspectationi respondeat.

Charitas, modestiaque curetur.

9. Diligenter quoque animadvertent, ut Nostri de se invicem, ut par est, honorifice loquantur, neque prae se ferant animum ex professo scriptorem ex Nostris ullum eiusque opiniones aut rationes potius impugnandi, quam suam sententiam stabiliendi. Quod si aliquando ab alicuius peculiari sententia cogantur discedere, id modeste faciant; similique etiam cautione utantur erga externos Doctores catholicos.

A solo Generali libri acceptandi.

10. Nullus librum scriptumve a quoquam recognoscendum accipiet, praeterquam a P. Generali, aut eius nomine a P. Secretario. Singula deinde recognita eidem P. Generali reddent; cum his censuras, uniuscuiusque manu, die annoque adscriptis, subnotatas et obsignatas. Quod si contingat, ut liber, qui mittitur recognoscendus, non sit emendate scriptus charactere, qui ab omnibus Revisoribus legi possit, neque sit per suos numeros et paginarum distinctiones ita digestus, ut notari possint loca animadversione digna; id significabunt P. Generali, ut moneantur censores Provinciarum aut Provinciales ipsi, quod huiusmodi Romam mitti permiserint.

Secreti tenacitas, et iudicii moderatio.

11. Nec censuras nec scripta, quae recensebunt, priusquam edantur, cui-

quam ostendent sine P. Generalis facultate, secretique maxime tenaces sint; ita ut nemini, quae in consultationibus acta sunt, aperiant, multo minus, cuius sententiae hic vel ille fuerit. Nullius libri scriptive patrocinium suscipient, ita ut evincere velle videantur, neque iudicii sui propensionem aliis ostendent; quamvis, interrogati, respondere possint, se hoc vel illud opus recognoscere.

Notitia habenda bullarum et decretorum.

12. Pro directione, necesse est, ut bullas et brevia ad doctrinam et mores pertinentia, quae a Summis Pontificibus eduntur, habeant. Item decreta, quae a Sacra Inquisitione, aliisve Congregationibus, et a Magistro Sacri Palatii prodeunt. Immo expediret, ut ea quoque habere curarent, quae alibi ab Inquisitoribus et Universitatibus in eo genere decernuntur: et haec sibi comparari curabunt a Procuratore Generali.

Censurarum exempla retinenda;

13. Censurarum exempla in libro ad id destinato apud se retinebunt. Rationes quoque, quibus moti sunt, vel in eodem, vel in alio libro, qui Acta contineat, annotabunt, maxime, si quae fuerit opinionum diversitas, ad memoriam et documentum posterorum. Quod si necesse erit eos iuvari alicuius alterius opera, id Superiori proponent.

immo et librorum.

14. Librorum, qui ab ipsis recogniti et approbati fuerint, exemplaria in Urbe retineri debent, cum censurae in Provincias mittentur; tum ad alios eventus, tum ut constare possit auctorem nihil postea mutasse, aut edidisse non approbatum. Quod si hoc servari non potuerit, saltem, loco exemplaris scripti, impressum mittatur Revisoriae, cum censura conferendum, et asservandum.

Ad eadem tenentur Revisores alii. C. 10 d. 11.

15. Qui designabuntur in Provinciis ad censendos libros, qui forte Romam non mittentur, superiores Regulas habeant, seque, perinde ac generales Romae Revisores, teneri sciant, ut, quae in iis continentur, cautiones omnes in libris examinandis observent: sed praecipuo quodam studio servare conentur ea, quae praescribuntur superioribus regulis 6, 7, 8, 9. Qui vero extra ordinem libros edendos a Provinciali accipient, ignoti debebunt esse auctoribus, auctoresque Censoribus, quo maiori cum libertate ac sinceritate iudicare de iis possint. Etiam hi servent quae aliis supra praescripta sunt, ferantque iudicium, omni seposito humano respectu, solam Dei gloriam ac Societatis bonum prae oculis habentes. Omnes autem Revisores suas censuras eidem Provinciali tradent, qui eas Romam ad Generalem mittet; et, cum responsum acceperit, non permittet libros edi, donec illi certo constiterit emendanda esse, quae Generalis emendanda iudicaverit. Quod si Provincialis ipse aliquid edere volet, id non faciet, nisi consulto prius Generali, servatoque, quem ille praescripserit, ordine. Porro a Censoribus examinari debebunt, non solum tractatus librorum, sed praeambula etiam, ac praefationes, admonitiones, epistolae liminares, atque ipsi etiam tituli, ne quidquam indiscussum edatur, omnesque offensionum causae, quantum in nobis erit, praecidantur. Iam, si post correctionem contingeret auctorem aliquid addere vel immutare, insciis Superioribus, quod esset alicuius momenti; Superiores id severe, pro gravitate delicti, punire meminerint.

C. 16 d. 15. C. 15 d. 9.

REGULAE

PROCURATORIS GENERALIS.

Quae sibi servanda.

1. In omnium negotiorum tractatione perpetuo memor sit Instituti Societatis, quae, Dei omnipotentis gloriam quaerens, profectui animarum invigilat. Ipse igitur verbo et exemplo eos omnes aedificet, quibuscum versatur; et in his, quae ad officium suum spectant, fidelitatem, prudentiam et dexteritatem habere studeat; atque eos sibi benevolos conservet, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

P. 9 c. 6 n. 12.

Negotia ad eum pertinentia. P. 9 c. 6 n. 12. P. 4 c. 2, E.

2. Ad eum pertinent negotia omnia ad expeditiones, lites, et quosvis contractus sibi a Generali commissos ineundos spectantia, quae ad universae Societatis Collegia, vel Domos eius, vel etiam ad particulares personas pertinebunt.

Quibus superintendet. P. 9 c. 6 n. 12, H. C. 7 d. 101.

3. Superintendat, non solum iis, quae a Procuratore et Sollicitatore externo curantur, sed etiam sociis, qui illi dabuntur adiutores, quod ad negotia attinet. Qui, licet in iis, quae ad suum officium non pertinent, sub Vice Praepositi et Ministri Domus obedientia esse debent quoad disciplinam domesticam, eos tamen poterit, cum ipsius postulabit officium, et recreationis etiam causa, foras mittere. Nam ad alia quaevis negotia non ad Procuratorem pertinentia, si ipsis exeundum erit, non nisi de P. Vice Praepositi licentia facient, sicut socii Secretarii: et si qui Romae fuerint Procuratores Societatis rerum particularium, vel etiam Provinciarum, ab ipso dirigentur, prout Generali videbitur.

Quae inconsulto Generali non inchoabit. P. 9 c. 3 n. 16.

4. Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut graviora negotia pertineat, incipiet agere, nisi a Praeposito Generali per se vel per alium approbatum sit, et ei commissum ut exsequatur. Quod si Generalis rem consultatione indigere iudicabit, sollicitet, ut mature de ea statuatur, praecipue si res festinatione egere videatur. Si quid autem ex iis, quae statuuntur, ipsi videretur non convenire, proponat suam sententiam et rationes quibus movetur.

Ut lites componat. C. 2 can. 26 d. 55.

5. Illud vero praecipue ante oculos habeat, ut, ante quam litem ullam intendat, res controversa, si fieri possit, concordia aut compromissione componatur: si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, ut magnam pacem interius exteriusque custodiat, et semper ad iustam concordiam se paratum esse contrariae parti innotescat.

Ut negotia expediantur.

6. Curet diligenter, ut recte et solide fiant quae expedienda vel alia ratione agenda erunt. Quod si periti iuris aut curiales consulendi sint,

maxime idonei eligantur: idem de officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur.

Generalem de statu negotiorum admoneat.

7. Conferat cum Praeposito Generali, eique reddat rationem eorum, quae facit, et quo in statu sint negotia; aut illi, qui a Praeposito designabitur. Quod si rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, eidem significet, et auxilia, quae opportuna visa erunt, petat.

Eos etiam ad quos pertinent.

8. Rationem quoque reddet status negotiorum, eorumque prosecutionis vel expeditionis iis, qui de negotiis scribunt; suas vero litteras legendas dabit illi Assistenti, ad cuius Provinciam negotia pertinebunt.

Libros habeat rationum.

9. Rationum libros conficiat, in quibus singillatim omnia, quae recepit, scribantur, et quas pecunias quibus in rebus expenderit, ut tam clara et distincta ratio dati et accepti sit, ut ipso etiam absente supputari possit, quid singulae Provinciae, Domus, Collegia, aut particulares personae dederint aut debeant Procuratori, aut quid eis a Procuratore debeatur. Quod ut commodius observetur, singulis saltem annis ad Nativitatis Dominicae festum rationum omnium summam colliget, et scribet, atque ad eos, quorum intererit, mittet. Si quid autem pecuniae supererit, eisdem significabit, ut pro ipsorum arbitrio
C. 7 d. 101. de ea disponatur. Porro tertio quoque anno rationem reddet accepti et expensi ei, quem Praepositus Generalis designarit.

Liber beneficiorum Collegiis unitorum.

10. Librum habeat, in quo scribat beneficia omnia ecclesiastica, quae singularum Provinciarum Collegiis sunt unita, et horum etiam catalogum, ubi tempus, in quo fuit facta unaquaeque unio, et valor etiam annotetur; animadvertatque, ut, antequam adveniat dies praescriptus solvendi quindennia, Rectores Collegiorum, ad quae huiusmodi uniones pertinent, diligenter admoneat, ut opportuno tempore pecunias Romam mittant.

Unde necessarii sumptus solvantur. *P. 4 c. 2, E.*

11. Curet, ut a Provinciis mittantur pecuniae, quas contribuere debent ad sumptus necessarios in Procuratores, et cum opus fuerit in Advocatos, latores litterarum, et alios similes faciendos; utque Romae sint eo tempore, quo illis sunt solvendae: eademque diligentia, quae sibi deberi ex libro rationum colliget, ut reddantur curabit.

Quando litterae bancariae mittendae.

12. Cum pecunia Procuratori ad negotia conficienda transmittetur, si tantum litterae bancariae, quae de credito dicuntur, mittantur, nihil capiat, nisi quantum, et quando pro negotio conficiendo opus erit: si vero bancariae litterae ad certam aliquam summam, quae iam alibi soluta est, capiendam missae fuerint, et ea ipsa iam iam ad negotia expedienda erit necessaria, ne tum quidem a mercatore, praesertim locuplete et spectatae fidei, educatur, donec numeranda sit: si vero non tam certo erit necessaria, vel de fide mercatoris non tam certo constaret, primo quoque tempore ab eo accepta pecunia, eam, si alicuius momenti fuerit, reponat in arca sub duplici clavi, quarum alteram ipse, et alteram diversam socius habeat.

Quas scripturas, et quando ex archivio accipiet.

13. Scripturas, bullas et brevia authentica, quae in archivio conservantur, non nisi exigente necessitate accipiet; acceptas vero, quam primum commode poterit, reddat: caeteras autem scripturas, procuratoria instrumenta, litteras negotia continen-

tes, quamdiu necessaria fuerint; et demum quaecumque ad officium eius pertinent, et quae nec perpetuo necessaria sunt, nec semper servanda erunt, ipse custodiat ordinate et distincte, facto eorum omnium inventario; cubiculumque sit clavi obseratum.

Informationibus supplicationes sint conformes, supplicationibus brevia.

14. Informationes ad se missas in omnibus expeditionibus habeat prae oculis, ut ad eas omnino supplicationes conformentur: deinde animadvertat, ut bullae et brevia, quae expediuntur, cum supplicationibus concordent.

Liber negotiorum.

15. In librum referat summam omnium negotiorum, quae ei commendantur: resque maioris momenti, quae in eorum progressu peragentur, ibidem brevi ac dilucido ordine conscribat.

Habet registra litterarum, etc.

16. Exempla litterarum, quas ad varias Provincias et loca scribit de negotiis, in librum peculiarem referat: et cum memorialia, informationes, supplicationes, vel alia scripta alicuius momenti aliis dabit, exemplum eorum apud se servet.

Regulas Cancellariae et bullas novas emat.

17. Regulas Cancellariae habeat, bullasque et brevia, quae a Summo Pontifice fiunt, emat; in eisque animadvertat, quid novi contineatur. Quod si in Coenae Domini bulla aliquid adderetur, aut mutaretur, eam statim ad omnes Provincias transmittat; motus etiam proprios universales, conscio tamen Praeposito Generali, Provincialibus mittet.

Quid post creatum Pontificem, etc. *P. 7 c. 1 n. 8.*

18. Cum Praepositus Generalis adire voluerit creatum novum Pontificem, ut, iuxta Constitutiones, Suae Sanctitati obedientiam votumque Societatis declaret; redigat illi Procurator in memoriam, ut videat, an expediat ab eo impetrare confirmationem gratiarum et privilegiorum Societatis.

In quibus subditus erit Rectori Collegii.

19. Subditus sit Superioribus Collegii, praeterquam in iis, quae ad sui officii exsecutionem spectant.

REGULAE

PROCURATORIS ASSISTENTIAE,

IUXTA DECRETUM XXIX CONGREGATIONIS XVI CONFECTAE, ET A CONGREGATIONE XVIII RECOGNITAE ET APPROBATAE DECRETO XVIII.

Qualis esse debeat.

1. GENERATIM in negotiorum tractatione verbo et exemplo eos omnes aedificet, quibuscum versatur; et in his, quae ad officium suum spectant, fidelitatem, prudentiam et dexteritatem habere studeat;

atque eos sibi benevolos conservet, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

Quae negotia ad ipsum pertinent.

2. Ad ipsum pertinent negotia omnia a Provinciis Assistentiae sibi commissa, ad expeditiones, administrationes, rationes, lites, et quosvis contractus ineundos spectantia, quae ad Assistentiae Collegia et Domos pertinebunt. Nullum vero gravioris momenti negotium, quamvis sibi commendatum a Superioribus Collegiorum aut Domorum, agere incipiat, nisi ab eorum Provinciali approbatum et commissum ipsi fuerit, vel nisi sit ex iis, quae eam moram non patiuntur, ut Provincialis responsa exspectentur: nam tunc satis erit proprium Assistentem consulere.

Negotia externorum vix attingenda.

3. Ut sit expeditior ad negotia Assistentiae, procul a se amoliri conetur negotia externorum. Si quando vero aliud videretur postulare charitas aut gratitudo Societatis, illa non attingat, nisi conscio Praeposito Generali, et ex eius iudicio.

Quomodo audiendi Superiores Collegiorum, quorum negotia gerit.

4. A Superioribus et Procuratoribus Domorum aut Collegiorum, quorum negotia gerit, non solum accurata postulet documenta, sed et consilia, rationemque tractandi negotia libenter accipiat. Ipse vero, si ab illis dissentiat in re alicuius momenti, ad Assistentem referat, ut statuat, quae ratio sit tenenda.

Devitet omnem speciem negotiationis.

5. Studiose devitet omnem speciem negotiationis aut quaesiti lucri, emptione aut venditione rerum aliunde acceptarum, vel alio mittendarum, permutatione pecuniarum, aliterque. Si tamen contingeret ex negotiorum gestione lucrum aliquod sua quasi sponte enasci, sciat, non licere ipsi de eo disponere, et illud omne deducendum esse in rationes, haud secus ac caetera accepta et expensa.

Quid possit circa eleemosynas, donationes, mutuum.

6. An, et quantum possit circa eleemosynas aut donationes honorarias, itemque mutuam pecuniam dandam et accipiendam, intelliget ex Praeposito Generali, cuius erit eam facultatem, si qua generalis concedenda videbitur, definire; uti et Procuratoris deducere in rationes Provinciis reddendas.

Solide, et quam potest cautissime, negotia gerat.

7. Curet diligenter, ut recte ac solide fiant quae expedienda, et alia ratione agenda erunt. Quod si periti iuris aut curiales consulendi sint, maxime idonei eligantur. Idem de officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur. Porro haec electio non fiat, nisi approbante proprio Assistente, cuius est invigilare communi suae Assistentiae bono, et eos nosse, quorum opera uti Procurator debeat.

Lites studeat componere.

8. Illud ante oculos habeat, ut, antequam litem ullam suscipiat, res controversa, si fieri possit, concordia aut compromissione componatur. Si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, ut magnam pacem internam externamque custodire studeat. Neque per se, sed per externos Procuratores in publicis iudiciis negotia peragat.

Cum suo Assistente conferat de negotiis.

9. Catalogum negotiorum suae curae commissorum sibi conficiat, et saepe cum suo Assistente conferat, exponatque negotia, quae tractat, et quo in statu sint. Quod si rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, etiam Praeposito Generali id significet, et auxilia, quae opportuna visa erunt, petat.

Deposita non admittat sine expressa

10. Nulla admittat deposita externorum, seu pecuniaria seu alia, sine

facultate Generalis.

expressa facultate Praepositi Generalis. Si qua vero hoc modo admiserit, ea distincte adnotet cum conditionibus, quibus sunt accepta, et perseverant: ut si quid humanitus ipsi contingeret, singulorum notitiae et rationes sint in promptu.

Fasciculi litterarum fideliter et circumspecte tractandi.

11. Fasciculos litterarum e Provinciis acceptos, vel ad eas mittendos, magna sedulitate et fide tractet, non solum habita ratione citae distributionis vel expeditionis, et expensarum repetendarum, sed etiam secreti, quod debetur litteris, quae ex Provinciis vel ad Praepositum Generalem, vel ad Assistentes, vel ad Secretarium Societatis mittuntur.

Libri rationum sint accurati.

12. Rationum libros conficiat, in quibus tam clara dati et accepti ratio sit, ut, ipso etiam absente, supputari possit, quid singulae Domus, Collegia, aut etiam peculiares personae dederint, aut debeant Procuratori, aut quid eis a Procuratore debeatur.

Quot libri praesto esse debent.

13. Ad hunc finem praesto ipsi sint saltem libri tres. Primus quidem quasi memorialis, seu adversaria confuse continentia notitias, non solum rationibus conficiendis utiles futuras, sed et rerum omnis generis in exercitio muneris occurrentium. Secundus liber diarius, seu diurnalis, qui ex adversariis distincte et clare descriptas habeat omnes eas partes, quae sunt utiles concludendis rationibus, sitque veluti fundamentum et anima quaedam libri tertii. Liber tertius, seu principalis, contineat distincte digestas per sua capita rationes Domorum, Collegiorum, Procuratoris Generalis, et aliorum partem habentium in negotiis, quae tractantur.

Quotannis statum conficiat, seu bilancem rationum.

14. Quotannis, saltem mense Decembri, item quando officio defungetur, statum conficiat generalem, seu aequationem et bilancem rationum anni superioris: ac deinde, subscripto nomine proprio, una cum libris rationum exhibeat proprio Assistenti, uti et successori suo, si officio defungatur, ad examen et approbationem, subscriptis pariter illorum nominibus. *C. 18 d. 18.*

Similiter rationum summae particulares quotannis mittendae.

15. Similiter circa idem tempus rationum summas particulares mittet ad Procuratores Provinciarum Assistentiae, et alios, quorum negotia gerit; et si quid pecuniae ad negotia destinatae sibi supererit, eisdem significabit, ut pro ipsorum arbitrio de ea disponatur.

Custodiat et ordinet diligenter scripturas, et reliqua ad suum officium pertinentia.

16. Scripturas, instrumenta, registra litterarum negotia continentium, et quaecumque ad officium suum pertinent, custodiat ordinate; separetque ea, quae perpetuo servanda non sunt, ab iis, quae perpetuo servari convenit. Conficiet autem, si confectum non erit, inventarium omnium scripturarum maioris momenti; prout etiam catalogum librorum impressorum, qui in ipsius vel socii cubiculo exstant; addetque pro tempore inventario et catalogo quae deinceps ad eius manus pervenire contigerit. Inventarium vero simul cum scripturis caute custodiendum erit; et cubiculum ipsum erit clave obseratum.

Aliis etiam ministeriis vacet.

17. Cum officio suo satisfecerit, si quid praeterea temporis ipsi liberum fuerit, confessionibus audiendis, et aliis ministeriis ad Dei gloriam et animarum auxilium vacare poterit, quibus se commodabit magis quam tradet; neque sinet iisdem ita distrahi animum, ut ad negotia muneris sui propria languescat.

Quibus in rebus subsit Superiori locali.

18. Subditus erit Superioribus Domus in qua degit, ad universam Domus observantiam religiosam; non tamen in iis, quae ad sui officii executionem pertinent.

REGULAE PROVINCIALIS.

Caput I. — De iis, quae ad eius personam, et communem totius Provinciae administrationem spectant.

Quae a Provinciali servanda.

1. Quae Praepositis Domorum ac Rectoribus, quod ad eorum personas attinet, in Regulis praescribuntur, eo diligentius servare enitatur Provincialis, quo pluribus, pro ratione officii sui, vitae spiritualis studio praeire debet.

Finis eius officii.

2. Finem officii sui (quem ante oculos habebit) in eo positum esse intelligat, ut Provinciam sibi commissam in acquirenda perfectione, iuxta proprii Instituti rationem et Regulas ipsi datas, promoveat.

Mansuetudo in regendo.

In bulla Pauli III, Regimini, pag. 5.

3. Imitetur in gubernatione charitatem, mansuetudinem et gubernationem Christi Domini nostri, ut iuxta eam normam, quam tradiderunt Apostoli, non dominans, sed forma factus gregis ex animo, exemplo, magis quam verbo, subditos ad perfectionem dirigat.

Severitas cum benignitate coniungenda.

4. Severitatem suo tempore cum benignitate misceat, suamque auctoritatem per solidas virtutes tueatur, ac dilectionem et curam suorum prae se ferendo, modeste et circumspecte praecipiendo, ita amabilem se reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrere possint.

Ita incumbat gubernationi, ut in spiritu non tepescat.

5. Sollicite animum ad gubernationem applicet, neque tamen in ea ita distrahatur, ut in studio orationis et sanctis desideriis, quibus totam sustentare debet Provinciam, intepescat. Quamvis autem ordinarie concionari non debet, si quando tamen per occupationes officii sui commode licebit, et hoc et alia Societatis ministeria exercere poterit.

A ministeriis, quantum per officium licet, non prohibetur.

Regulas, etc. nullas abroget, nec novas inducat.

6. Nullas Regulas, aut Ordinationes, aut consuetudines toti Provinciae communes abroget, vel novas inducat, inconsulto Generali: sed secundum eas, quas habet, gubernet Provinciam.

Dispensare potest in Regulis etc. cum dependentia a Generali. P. 9 c. 3 n. 8, D. P. 4 c. 10, B.

7. Sicut Provincialis, quando necesse est, in Regulis, Ordinationibus, Decretis, et in ipsis etiam Constitutionibus cum particularibus dispensare potest; sic, cum dispensaverit in rebus maioris momenti, quae videantur urgere, et in quibus sine gravi incommodo Generalis responsum exspectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione et eius causa admonere.

Facultates Provincialis.

8. Praeter facultates, quae in his Regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quae in compendio facultatum Societatis Provincialibus concessae sunt, quas ex compendio ipso intelliget.

Facultates Superiorum.

9. Omnes facultates eorum Supe-

C. 8 d. 54. riorum, qui Provinciali subordinati sunt, ad ipsum quoque pertinent, ab ipsoque etiam suspendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur.

Vice Provincialem nominare potest et quando. C. 4 can. 22 d. 56.

10. Potest Provincialis in absentia, vel in periculo vitae, aut in graviore et longiore morbo constitutus, nominare Vice Provincialem, si Generalis neminem designasset: quocumque autem modo constituatur, easdem omnino facultates habeat, quas Provincialis, nisi a Generali vel Provinciali limitentur; rationem tamen administrationis non immutabit.

Caput II. — De iis, quae illum ad bonam Provinciae administrationem iuvabunt.

Quot, et ubi Consultores habebit. P. 9 c. 6 n. 14. P. 9 c. 4 n. 4.

11. Consultores quatuor habebit a Generali designatos in iis locis, ubi frequentius residet, quoad fieri poterit, cum quibus res graviores communicabit; quod si absentes sint, per transmissas litteras: quorum unus, ab eodem Generali constitutus, erit eius Admonitur et Socius. In quavis autem Domo vel Collegio opera Superioris, et eius Consultorum, quos ad consultationem adhibendos iudicaverit, utatur in rebus iis, de quibus ordinarie consultandum erit.

Quos alios ad consultationem adhibere potest.

12. Si expediret, praeter Consultores, alios etiam nonnumquam ad consultationem vocare poterit, et eos quidem, quos de rebus propositis melius iudicare posse existimaverit; vel si absentes sint, iubere, ut de rebus iisdem sententiam suam ad se transmittant.

Quae Consultoribus ostendet.

13. Litteras et scripta, quae pertinent ad rem, de qua consultatio habenda est, ostendat Consultoribus (nisi quid obstet), ut, bene informati, sententiam suam melius dicere possint.

Ordinationes communes communicandae, etc.

14. Cum Ordinationes aliquas communes a Generali acceperit, illas Superioribus suae Provinciae et Consultoribus manifestari faciat. Et quae alicuius momenti fuerint, ad gubernationem vel instructionem pertinentes, in libro ad id designato describendas curet.

In re consultanda indifferentem se praebeat.

15. In proponenda re, de qua deliberandum est, in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne Consultoribus declinandi in eam partem detur occasio, sed quisque liberius in Domino suam sententiam aperiat.

Quomodo deliberabit, de quo non licet cum Consultoribus.

16. Quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Consultoribus agere, poterit, iuxta primum et secundum modum in Exercitiis ad electionem faciendam traditum, quid agendum sit deliberare.

Libenter admoneri se patiatur. P. 9 c. 4 n. 4.

17. Libenter ab aliis admoneri patiatur de iis, quae ad officium et personam suam pertinent, et eum praecipue qui Admonitoris officio fungitur benigne audiat.

Constitutiones, Decreta etc. secum habeat.

18. Habeat secum litteras apostolicas authenticas, et compendium facultatum Societatis, Constitutiones, Decreta, Regulas omnes et quae a Generali ordinantur, eaque bene intelligat et observari faciat.

Archivium.

19. In loco, in quo diutius ei residendum est, habebit archivium, in quo asservabit instrumenta authentica, libros et caetera, quae ad officium Provincialis et communem usum Provinciae pertinent, quae omnia ex catalogo a se subscripto successori tradet.

Libellus memorialis.

20. Habeat libellum, in quem referat ea, quae consultanda, vel providenda, vel ad Generalem scribenda sunt, ne memoria excidant.

Orationes indicere potest.

21. Orationes et Missas ad tempus

P. 2 c. 3 n. 2. P. 7 c. 2, M. P. 7 c. 4 n. 3. P. 10, B.

indicere poterit, etiam in tota Provincia, pro causis, quae videbuntur id exigere, modum tamen in ea re non excedat.

Caput III. — De Superioribus ei subordinatis, et eorum Officialibus.

Quando Superiorem constituere potest. *P. 9 c. 3 n. 3, 14. C. 8 d. 3.*

22. Etsi Praepositos Domorum, et Rectores Collegiorum et Domorum Probationis suae Provinciae constituere non potest; si tamen necesse esset aliquando mutationem facere Superioris alicuius, et periculum esset in mora, vel si is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere, donec Generalis admonitus provideat. Ministros autem, Procuratores et Praefectos studiorum ipse designabit, atque etiam Subministros et Praefectos sanitatis, ubi opus esse iudicaverit.

Magistros Novitiorum. *P. 3 c. 1 n. 12.*

23. Constituat Magistros Novitiorum in locis Probationum non separatis, a Generali tamen confirmandos, et eos quidem, qui in rebus spiritualibus exercitati sint, et in modo procedendi Societatis nostrae bene probati.

Praefectos rerum spiritualium, et Confessarios Nostrorum. *P. 4 c. 10 n. 7.*

24. Designabit Praefectos rerum spiritualium in omnibus Collegiis et Domibus Professis, quales in prima regula officii illorum praescribuntur; itemque ordinarios Nostrorum Confessarios; ex quibus fere conveniret Praefectos rerum spiritualium deligere.

Consultores et Admonitores.

25. Deligere poterit Consultores et Admonitores eorum, qui praesunt in Provincia, ita ut statim suo officio fungi possint: scribet tamen de iis ad Generalem, ut ab eo confirmentur.

Praedicatores, et Confessarios. *C. 2 can. 27 d. 62.*

26. Praedicatores et Confessarios ipse constituet, praemisso tamen domestico examine, et approbatione Ordinariorum, iuxta formam Concilii Tridentini.

Lectores, et Officiales Universitatum. *P. 4 c. 6, F. P. 4 c. 17, A. P. 4 c. 7, A. P. 4 c. 12, C. C. 20 d. 21.*

27. Lectores ordinarios in omnibus classibus, et primarios Officiales, praeter Rectorem et Cancellarium in Universitatibus, deligat; novas tamen lectiones non addat, nec scholas usquam ullas, et praesertim eas, in quibus pueri legendo et scribendo instituantur (quod nec privatim licebit) sine facultate Generalis aperiat.

Auctoritas Superiorum immediatorum tuenda. *P. 4 c. 10 n. 4. P. 8 c. 1 n. 4, 6. P. 9 c. 6 n. 2.*

28. Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorum in subditos, ita tamen, ut constet posse omnes ad mediatos recurrere: ideo, quidquid agendum vel immutandum erit, quod ad immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit.

De idoneis ad gubernandum.

29. Si quos ad gubernationem idoneos iudicabit, curet de illis paulatim et negotiis tractandis, et domesticis ministeriis obeundis experimentum sumere, ut et ipsi talenti accepti specimen dare, et Societatis officia eis tuto committi possint.

De aptioribus ad alia ministeria.

30. Observet, si qui detineantur in ministeriis aliquibus, qui magis idonei essent ad alia: eam tamen habeat cuiusque rationem, ut universale bonum semper praeferatur.

Neminem eximat ab obedientia Superiorum. *P. 8 c. 1, E.*

31. Neminem ab obedientia Superiorum immediatorum, inconsulto Generali, eximat, nisi periculum esset in mora, et tunc certiorem faciat Generalem de persona, et de causis, propter quas eam exemerit.

Caput IV. — De admittendis.

Qui admittendi ad Societatem. *P. 1 c. 1.*

32. Eos ad probationem per se vel per alios admittere poterit, quos ad Institutum nostrum idoneos in Domino iudicaverit: cavebit tamen, ne cuiusquam admissio iustam aliquam externorum offensionem aut Societatis nocumentum pariat; quod cum iis potissimum observandum erit, qui in scholis nostris instituuntur.

Quomodo ad eam alliciendi.

33. Attendat, ne nimii sint Nostri in hominibus ad Societatem alliciendis, sed per virtutes et bonae vitae odorem omnes ad Christum trahere studiose curent.

Inepti non admittendi. *P. 10 n. 7.*

34. Meminerit, quod inepta turba ad Institutum nostrum admitti non debet, et observari faciat in hoc diligenter Regulas officii Examinatoris.

Quid agendum cum impeditis. *Exa. c. 2 n. 6,* D. *P. 1 c. 3,* G.

35. Quod ad prima quinque impedimenta attinet, etsi Societas in nullo eorum dispensare potest; si tamen in eo, qui admitti petit, dona aliqua Dei illustriora cernerentur, Generalem admoneat: quod si de eiusmodi impedimentis dubitaret, ad eumdem recurrat.

Quando dispensare potest cum illis. *P. 1 c. 3,* H.

36. In secundariis impedimentis, dispensandi facultatem habebit, praeterquam in deformitate magna, aut defectu insigni, qualem habent eunuchi, et in aetate infra 15 et ultra 50 expletos annos, et in coniugatis, etiam in casu, in quo non est impedimentum essentiale.

Quomodo Novitii probandi. *Exa. c. 4 n. 9. C. 2 can. 1 d. 14. Exa. c. 4 n. 43.*

37. Poterit in casu aliquo anteponere et postponere aliqua ex sex experimentis, eaque moderari, et alia in alia permutare, dummodo biennio, et bene probentur Novitii: quod etiam tempus prorogare poterit, si opus esse iudicaverit.

Qua ratione Novitios ad studia possit admittere. *C. 2 can. 1 d. 14.*

38. Poterit etiam ex commissione Generalis cum Novitiis in secundo anno probationis circa studia dispensare, habita ratione personarum, locorum et temporum, prout expedire in Domino iudicabit. Ii vero cum quibus dispensaverit, extra Domum Probationis, et seorsum a collegialibus esse debebunt, sub cura alicuius Sacerdotis ab ipso constituti, qui vicem Magistri Novitiorum gerat, eiusque Regulas et Examinatoris habeat; ex quibus ea servabuntur, quae commode servari possunt. Cuiusmodi erit, ut per dimidiam horam vesperi orent, sed iis tantum diebus quibus a studiis vacaverint.

Coadiutorum numerus. *P. 1 c. 2 n. 2,* A. *P. 4 c. 3 n. 2. C. 1 d. 103.*

39. Coadiutores temporales plures esse non debent, quam qui necessarii sint ad sublevandas Domos vel Collegia in rebus, quibus occupari Sacerdotes et Scholastici non possunt sine detrimento maioris boni.

Caput V. — De dimittendis.

Quando dimittere Novitios possit. *P. 2 c. 1,* C.

40. Facultatem habet dimittendi eos, qui in prima et secunda probatione ante et post emissa vota versantur; nisi a Praeposito Generali in illius Provinciam destinati, vel de Societate ipsi tam bene meriti essent, ut eorum esset particularis ratio habenda. In his enim casibus, inconsulto Generali, dimittere non debet, nisi causae admodum urgentes et graves essent, ita ut minime dubitaretur Generalis mentem huiusmodi futuram esse.

Quando Scholasticos et Coadiutores. *P. 2 c. 1,* C.

41. Scholasticos vero approbatos, et Coadiutores non formatos, qui probationem absolverunt, inconsulto Generali, non dimittat, nisi in gravibus et urgentibus casibus, et qui eiusmodi sint, ut sine gravi periculo Generalis responsum exspectari nequeat; quem tamen post dimissionem certiorem faciat, adiunctis causis dimissionis. Et in universum diligenter Provinciali dispiciendum est, ut, qui minus idonei ad nostrum Institutum, et tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipse intra biennium probationis dimittat. Quod si, peracto etiam probationis tempore, aliqui huiusmodi deprehendantur, tempestive Generalis moneatur, ne cum Societatis iactura diutius, quam par est, retineantur.

Quid agendum cum minus idoneis ad Institutum.

Iudicabit de causis dimissionis.

42. Provincialis erit, iuxta commissam sibi facultatem, auditis suis Consultoribus, vel, si necessitas urgeat, Superiore et Consultoribus eius loci, ubi tunc erit, qui ipsi videbuntur, adhibitis, iudicare de causis sufficientibus ad dimissionem : curabit tamen, ne ad haec extrema, nisi quam consultissime, et aliis tentatis remediis, veniatur.

Coadiutores formatos, et Professos nullo modo dimittet. P. 2 c. 1, C.

43. Coadiutores formatos, sive spirituales sive temporales, et Professos nullo modo dimittet.

Modus dimittendi. P. 2 c. 3. P. 2 c. 3, B.

44. Circa modum dimittendi observet ea, quae in secunda parte Constitutionum, capite tertio dicuntur; et intelligat, an is qui dimittitur, aliquid Societati dederit, et si quid ei reddi oporteat iuxta eiusdem capitis declarationem; scripta vero an secum asportare debeat, consideret ipse diligenter.

Dimissi liberi manent a votis. P. 2 c. 4 n. 3.

45. Declaretur iis, qui dimittuntur, quod liberi maneant a votis simplicibus, si ea iuxta formulam Societatis consuetam emiserint.

Dimissi, si redeant ad Societatem, iterum probandi, etc. P. 2 c. 4. C. 1 d. 24.

46. Circa dimissos aut egressos e Societate, et postea reductos, vel sponte redeuntes, observentur ea, quae in Constitutionibus et Decretis dicuntur: et, si admittantur, denuo examinentur, prout ipsi videbitur: si quis autem semel egressus erit, poterit quidem iterum admitti; sed advertatur, huiusmodi homines raro idoneos ad Instituti nostri disciplinam inveniri.

Caput VI. — De litterarum studiis.

Idoneos Professores constituat. P. 4 c. 12, 13. P. 4 c. 6 n. 6. P. 4 c. 13, C.

47. In Universitatibus et Collegiis, in quibus Nostri litteras profitentur, idoneos et eruditos Professores pro ratione loci et debiti constituat. Si aliquis Lector extraordinarius adiiciendus videretur, Generalem consulat.

Inspiciat res ad scholas pertinentes.

48. Peculiari cura videat, num lectiones in scholis nostris et scholasticae exercitationes diligenter, assidue atque ordine habeantur, num Magistri et discipuli suum in Domino officium faciant: et, si quid opus esse iudicaverit, provideat iuxta ea quae in quarta parte Constitutionum et Regulis habentur.

Quid cuique addiscendum. P. 4 c. 5 n. 2. P. 4 c. 6 n. 5.

49. Ipsius prudentiae relinquitur, quid hi aut illi addiscere debeant, iuxta aetatem et ingenium uniuscuiusque, ad maiorem gloriam Dei; eos autem, quos non esse aptos ad studia inveniet, ab illis removere poterit.

Ordo in addiscendis disciplinis. P. 4 c. 6 n. 4. P. 4 c. 13 n. 4, E.

50. In addiscendis disciplinis ordinem servari faciat: efficietque, ut prius Scholastici in lingua latina solidum iaciant fundamentum, quam ad alia maiora studia transeant: curabit vero Humaniorum Litterarum studia magni fieri, et eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi; et ne in his Professores idonei desint, illorum Seminaria et instituet et conservabit.

Linguarum studium. P. 4 c. 6 n. 5, D. P. 4 c. 13 n. 4.

51. Aliarum linguarum studium valde commendatum habeat; hebraicae vero iis tantum concedat, qui in Theologiae Facultate mediocriter eruditi iam sint, aut certe tam humiles, ut sperandum merito sit, hoc studium sine illorum detrimento utile valde futurum.

Quales ad studia repetenda destinandi. P. 4 c. 6 n. 14, 16, 17. P. 4 c. 15 n. 3.

52. Designet aliquos, qui et probatae virtutis in primis sint, et ingenio polleant, ut, absolutis studiis Philosophiae et Theologiae, ad ea repetenda privatum et quietum studium habeant, et Positivae, ac Sacrae Scripturae se dedant: quo etiam tempore in disputationibus publicis rationem suorum studiorum reddant, ut eas Facultates privatim vel publice, ad suam vel aliorum utilitatem, P. 4 c. 6 n. 18.

C. 7 d. 80 n. 10. Instr. 14.

profiteri possint. Iis etiam, qui concionandi talentum habent, duo itidem, vel unus saltem annus concedatur, ut privato studio Sacrae Scripturae, legendisque Patribus, ac sanctae meditationi vacent.

Quinam Philosophiae interpretes cum delectu legendi. *C. 8 can. 8 d. 47.*

53. Diligenter studeat, ut Praeceptores Philosophiae cum magno delectu eos Aristotelis interpretes legant, qui contra christiana dogmata impie scripserunt, et ita Philosophiam interpretentur, ut Theologiae scholasticae, quam nobis commendant Constitutiones, subservire faciant.

Opinionum novitas et diversitas coercenda. *P. 3 c. 1 n. 18, O. P. 4 c. 5 n. 4. P. 8 c. 1 n. 8, K. C. 16 d. 86. C. 17 d. 18. C. 18 d. 20.*

54. Cum opinionum novitas vel diversitas, non modo finem ipsum, quem Societas ad Dei gloriam propositum habet, impedire possit, sed etiam ipsum Societatis statum maxime labefactare; necesse est ingeniorum licentiam in opinionibus vel introducendis vel sectandis, omnibus modis certa aliqua lege coercere. Quare diligentissime curent Provinciales, iuxta mentem Constitutionum, ea exacte ab omnibus Nostris, et praecipue a Professoribus observari, quae in Ratione Studiorum praecipiuntur.

Propensi ad aliquam Facultatem in ea exerceantur. *P. 4 c. 5, C.*

55. Curet, ut ii, qui propensum animum habent ad aliquam Facultatem, in qua possunt insignes evadere, in ea diutius versentur, habita tamen spiritualis profectus ratione, et de talibus Generalem admoneat.

Qui casibus studebunt. *P. 4 c. 5, D. P. 4 c. 18 n. 4, E. C. 2 can. 17 d. 69.*

56. Qui propter aetatem provectiorem, aut alias causas, in Facultatibus et scholasticis studiis progressum facere non possunt, curabit, ne in illis tempus insumant, sed casibus conscientiae discendis dent operam; sintque semper aliqui ex Nostris, qui huic studio diligenter incumbant, ut Societas copiam habere possit Operariorum, qui confessionibus audiendis sint idonei.

Sit domi qui casibus conscientiae satisfaciat.

57. In singulis Domibus et Collegiis aliquem constituat, qui in casibus conscientiae bene versatus sit, ut difficultatibus domi et foris occurrentibus satisfacere possit.

Comoediae, et tragoediae rarissimae permittentur.

58. Comoedias et tragoedias rarissime agi permittat, et non nisi latinas ac decentes, et prius aut ipse eas examinet, aut aliis examinandas committat: eas vero, atque alias id genus actiones, in ecclesia fieri omnino prohibeat.

Generalis de talentis admonendus. *P. 4 c. 9 n. 3.*

59. Sub finem studiorum Generalem de uniuscuiusque talento admoneat, et quantum singuli profecerint ei referat.

Translatio libri in aliam linguam ne fiat sine venia. *C. 5 d. 9.*

60. Curet, ut nullus ex Nostris librum aliquem ex una in alteram linguam transferat, aut imprimat, absque Praepositi Generalis facultate.

Caput VII. — De promovendis ad Ordines, et gradus litterarios.

Quos ad Ordines praesentabit. *Ord. Gen. c. 7.*

61. Potest per se vel per alios praesentare ex Nostris eos, quos idoneos iuxta instructionem a Generali traditam censuerit, ad Ordines ecclesiasticos recipiendos.

Nullus promovendus ad gradum litterarium inscio Generali. *P. 4 c. 6 n. 10, 17. P. 4 c. 15 n. 3.*

62. Quamvis in actibus Scholasticorum communibus exercendi sunt Nostri, iuxta Constitutiones; nullus tamen ad Philosophiae vel Theologiae gradus, etiam si idoneus sit, promoveatur, sine Praepositi Generalis facultate.

De dispensatione ad eam rem monendus Generalis.

63. Cum Nostri de Generalis facultate in Universitatibus Societatis promovendi sunt ad gradus litterarios, si qua in re necessaria ad promotionem erit dispensandum (quod rarissime faciendum est, ne huiusmodi gradus veniant in contemptum), ubi id fecerit, tam de persona, quam

de causa dispensandi admoneat Generalem.

Nomine Doctoris vel Magistri non utantur.

64. Etsi doctoratus et magisterii gradus iuxta Constitutiones praedicto modo Nostri accipere possunt, nomine tamen Doctoris vel Magistri, ratione gradus, inter se non utantur.

Caput VIII. — *De promovendis in Professos, et Coadiutores formatos, ac Scholares.*

Qui ad vota simplicia admittendi. *P. 4 c. 3 n. 3. P. 5 c. 4 n. 3, 6.*

65. Potest admittere post biennium ad vota simplicia Scholasticorum approbatorum, et Coadiutorum non formatorum, quos in Domino idoneos iudicaverit, iuxta Regulas et Constitutiones.

Quomodo ea vota post biennium emittenda. *Exa. c. 4 n. 27, 41. P. 5 c. 4 n. 3, 4. Ord. Gen. c. 1 n. 12.*

66. Curet autem, ut quam primum aliquis biennium novitiatus expleverit (nisi iusta de causa differendus videretur) peractis iis, quae in Examine habentur, haec vota in Sacro, antequam communicet, emittat, coram aliquibus domesticis tantum, non tamen inter eos, qui tunc forte vota renovarent, etiam si ea prius ex devotione edidisset.

Indifferentes ad gradum applicandi. *Exa. c. 1 n. 11.* *C. 4 can. 2 d. 52.*

67. Si quos ut Indifferentes admiserit (quod raro fieri debet), potest eos applicare ad gradum Coadiutorum, vel Scholasticorum, sicut magis in Domino convenire iudicabit. In hac vero classe Indifferentium ultra tempus biennii probationis nemo maneat.

Tertia probatio Scholasticorum. *Exa. c. 4 n. 16. P. 5 c. 1 n. 3. P. 5 c. 2 n. 1. C. 16 d. 34. C. 20 d. 12 n. 5, 7. C. 22 d. 44 n. 1.*

68. Scholastici, simul atque Superiorum arbitrio studia absolverint, tertium Probationis annum in Domibus Probationum peragant: quod si commode fieri non possit, in Domibus Professorum vel in Collegiis probari eos faciat iuxta Regulas Novitiatus.

De promovendis ad gradus Societatis. *P. 5 c. 2 n. 1.*

69. Finita visitatione consideret, qui sint idonei in sua Provincia, ut in Coadiutores formatos spirituales vel temporales, aut in Professos, iuxta Constitutiones et Instructionem a Generali traditam, admitti possint, et secundum eamdem accurate Generalem informari curet.

Servanda antequam admittantur ad gradus. *Exa. c. 1 n. 8. Exa. c. 4 n. 2, 27, 38, 41. Exa. c. 6 n. 8. P. 5. P. 6 c. 2 n. 12. C. 2 can. 3 d. 23.* *P. 5 c. 3. P. 5 c. 4 n. 1, 2.*

70. Antequam admittat eos, qui cum Generalis facultate professionem vel vota Coadiutorum formatorum emissuri sunt, ea servari curet, quae ab ipsis erunt facienda: eiusmodi sunt dispositio bonorum temporalium, si quae adhuc habuerint; Exercitia Spiritualia, confessio generalis, et alia, quae in Constitutionibus et Decretis Congregationum dicuntur; in professione etiam, et iis votis emittendis, curet, ut publice fiant, et caetera omnia serventur, quae Constitutiones praescribunt.

Vota simplicia post professionem emittenda. *P. 6 c. 2 n. 1. P. 10 n. 6. C. 1 d. 102. C. 2 can. 20 d. 58. C. 3 d. 46. C. 4 d. 54.*

71. Qui professionem fecerint, etiam trium votorum, emittant vota illa simplicia, quae post professionem emittenda sunt, idque iuxta Formulam primae Congregationis, ut a tertia recognita est; et doctrinam christianam tam ipsi, quam Coadiutores formati spirituales, per quadraginta dies intra annum doceant.

Notentur vota solemnia emittentes. *P. 5 c. 3 n. 4. P. 5 c. 4, G.*

72. Habeat librum, in quo eorum nomina scribantur, qui vota solemnia vel simplicia post biennium in Domibus vel Collegiis suae Provinciae emittunt, iuxta ordinem Praepositis Domorum et Rectoribus traditum.

Quaenam subscripta ad Generalem mittenda.

73. Cum aliqui professionem vel vota Coadiutorum formatorum fecerint, exempla huiusmodi votorum, et aliorum quinque, quae Professi post emissam professionem faciunt, nomine ipsorum subscripta, ad Generalem quamprimum transmittat.

Qui in Domibus Professis commorabuntur. *P. 6 c. 2 n. 3, 4.*

74. Constituat iuxta Constitutiones, ut Professi et Coadiutores spirituales formati suae Provinciae in

Domibus Professis, quantum fieri potest, commorentur.

Caput IX. — De rebus Collegiorum et Domorum.

Aedificia curabit. *C. 1 can. 11 d. 113. C. 2 can. 9 d. 84.*

75. Aedificia conservari, et, si opus erit, instaurari curet: quod si quae aedificanda maioris momenti fuerint, ut esset templum, dormitorium vel aliquid huiusmodi, nisi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet formam et modum nostrorum aedificiorum praescribere.

Reditus, bona stabilia et donationes.

76. Reditus et reliqua stabilia conservari curet, et an crescant vel minuantur, intelligat; si quis autem huiusmodi bona augere vellet, vel aliquid donare, poterit id admittere: si tamen conditiones aliquae exigerentur, non nisi approbante Generali ullam admittat; et eodem modo quae dantur Domui Professae, accipere, et si quid stabile donatum fuerit, etiam vendere poterit. Si tamen Domui necessarium pretium non esset, et trecentorum ducatorum valorem excederet, consulat Generalem, ut de eo iuxta ipsius praescriptum disponat.

Lites devitandae. *C. 2 can. 26 d. 55.*

77. Cum lites, pro rebus praesertim temporalibus, diligenter Nostris fugiendae sint, non intendat quisquam e Nostris omnino litem aliquam absque consensu Generalis, aut eius, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit; nisi in re adeo necessaria, ut eius responsum exspectari nequeat, de quo tamen postea ipsum admoneat. Quocirca nitatur Provincialis primum rem compromissione componere. Nostris autem si lis intendatur, curandum etiam diligenter, nisi de iure nostro manifeste constaret, ut aliqua transactione vel concordia res tota componatur: id si commode fieri non valet, poterunt in iudicio se defendere, cum Provincialis potestatem habeat conservandi et defendendi res Collegiorum, etiam in iudicio, cum facultate alios substituendi, si id necessarium vel conveniens aliquando fuerit. *P. 4 c. 2, C.*

Exempla authentica contractuum ad Generalem mittat. *C. 1 d. 103.*

78. Intelligat, an exempla authentica contractuum maioris momenti, praesertim rerum perpetuarum, ad archivium, quod est in Urbe penes Praepositum Generalem, missa sint, alioqui mittenda curabit.

Computa Collegiorum exigat.

79. Videat computa inter Superiorem et Procuratorem transacta, rationemque exigat accepti et expensi, et resolutionem ultimi sui computi summatim scribi faciat, quam ipse subscribet in libro designato: in hoc autem scripto simul constet, tam de summa accepti et expensi ab ultima visitatione, quam de eo, quod residuum fuerit, vel etiam si quid debiti maneat.

Visitet bona stabilia.

80. Visitet bona stabilia extra Domum, quae sine magno incommodo visitari possint, ut videat, num qua instauratione vel cultura egeant, et quid ad eorum conservationem opus sit.

Oblatas fundationes ad Generalem referat. *P. 4 c. 2 n. 1. P. 9 c. 3 n. 17.*

81. Si Domus vel Collegia cum commoda fundatione offerentur, expendat, quid ad commune bonum ex iis speretur, et an aliquae conditiones exigantur, et an locus sit salubris, et omnia ad Generalem referat, nihil interim certi promittendo.

Aes alienum vitet. *C. 7 d. 82. C. 8 d. 60. C. 2 can. 12 d. 27.*

82. Magnum aes alienum Collegia vel Domos conflare non sinat, si solvendo fore probabiliter non speret, habita ratione redituum, et eleemosynarum, quae ordinarie dari solent; nec in iis plures habitare permittat, quam ali possint.

Contributiones ad sumptus

83. Quando contribuendum erit ad sumptus communes Provinciae,

communnes statuat. P. 4 c. 3, E.

statuat ipse, quid cuique Collegio vel Domui, servata proportione debita, imponi debeat.

Observanda circa vestitum. P. 6 c. 2 n. 15.

84. In vestitus ratione tria observari faciat: primum, ut honestus ille sit; alterum, ut ad usum communem et approbatum honestorum Sacerdotum eius loci, in quo vivitur, accommodatus; tertium, ut professioni paupertatis non repugnet.

Res domesticae inspiciendae.

85. Habitationem, officinas, vestes, et reliquam supellectilem, omnia denique diligenter inspiciat, nec necessaria deesse, aut superflua expendi permittat, et rerum mobilium inventarium conferri faciat cum inventario in praecedenti visitatione a Visitatore vel Provinciali subscripto. Observet etiam, quae teneatur oeconomiae ratio.

Caput X. — De iis, qui bonis suis nondum se abdicarunt.

Quos permittet abdicare se possessione bonorum.

86. Non permittat Nostros abdicare se possessione bonorum suorum, nisi quos constantes et stabiles in sua vocatione cognoverit, atque in ea re maturo semper consilio procedat.

Pactiones cum parentibus quomodo permittet. C. 3 can. 4 d. 39.

87. Non sinat pactiones inire Nostros cum parentibus suis et quibuscumque aliis, de legitima parte et aliis bonis ad se pertinentibus, nisi illi prius admoneantur, Societatem ipsam ad ea bona nullum ius habere, et Generalis de tota re prius informetur.

De dispositione Nostrorum in auxilium Societatis. C. 2 can. 3 d. 23. C. 3 can. 3 d. 16.

88. Cum quis ex Nostris est dispositurus de bonis suis in auxilium Societatis, admoneatur Generalis de eorum valore, et de animo relinquentis, et necessitate etiam Domorum et Collegiorum Provinciae, si in ea huiusmodi bona sint.

Quid, cum bona applicabuntur Societati.

89. Si aliqua bona applicabuntur Societati cum facultate Generalis, magnopere curet Provincialis, ut cum aedificatione et charitate, et non cum rigore exigantur, potiusque per Procuratores externos, quam per nostros; expediet quoque, ut ex his eleemosynae aliquae in pauperes eius oppidi, ubi sunt bona, distribuantur: et ratio dati et accepti talium bonorum scripto constet, ut ipse, aut Superior illius Domus vel Collegii, cui applicata fuerunt, eam reddere possit ei, qui a Generali fuerit designatus.

Nostri ne petant a parentibus, etc. Exa. c. 4 n. 4. P. 4 c. 4, E.

90. Non ferat Nostros quidquam petere a parentibus, cognatis vel amicis, sed omnia eis necessaria a Societate provideantur; intelligatque, etiamsi quibusdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittitur, usum tamen eorum ad propriam utilitatem nulli esse concedendum.

Caput XI. — De modo, quo cum Generali et aliis Provinciis, ac externis se habere debeat.

Quomodo se gerat erga Generalem.

91. Obedientem, reverentem, ac fidelem se Praeposito Generali exhibeat, et hac re subditis in primis exemplum praebeat: idque potissimum curet, ut omnes de suis Superioribus bene sentiant, eisque peculiari devotione afficiantur.

Quomodo res suae Provinciae Generali manifestari curet. C. 8 d. 56. C. 16 d. 86.

92. Perspecta Generali esse cupiat omnia, quae ad suam Provinciam pertinent, eaque per se et Superiores Domorum et Collegiorum, et Consultores suae Provinciae, iuxta Formulam Scribendi, manifestari diligenter curet.

Congregationes provinciales cogat.

93. Cogitet de communi bono Societatis, illudque iuvet: Congregationes provinciales suo tempore iuxta Formulam traditam cogat: si quid annotaverit circa Decreta et Constitutiones, vel quid aliud, quod Congre-

gationem generalem exposcat, Praeposito Generali scribat, vel Procuratori tertio quoque anno ad eumdem venturo tradat.

Occasio iuvandi alias Provincias.

94. Si occasio se obtulerit iuvandi alias Provincias, non desit charitatis officio, et litterarum communicatione, iuxta Formulam Scribendi, mutuam concordiam et charitatem foveat.

Benevolos conservet, adversarios reconciliet. *P. 10 n. 11, B.*

95. Benevolos et devotos conservet, curetque, ut benefactoribus se gratos nostri exhibeant; si qui autem adversantur Societati, studeat ut melius informati reconcilientur.

Eleemosynae pro externis praescribendae.

96. Quae eleemosynae externis pauperibus, sive ordinariae sive extraordinariae, dari debeant, ipse Superioribus praescribet, auditis Consultoribus, pro Collegii vel Domus facultate. Ubi vero habentur bona ecclesiastica, eleemosynas aliquas fieri providebit, in locis praecipue, ubi huiusmodi reditus percipiuntur.

Caput XII. — De communi ratione iuvandi proximos.

Intelligat qui ex Nostris se communicare debeant externis. *P. 4 c. 10 n. 10. P. 4 c. 6 n. 8, C. C. 2 can. 27 d. 62.*

97. Intelligat, praesertim sub finem studiorum, qui ex Nostris, et quousque, quibusque rationibus, domi et foris, externis se communicare debeant: quod tamen non nisi probatis, et in vocatione stabilibus, discretis, et bene instructis, quique alios aedificare possint, concedendum erit.

Missae et sacramentorum ritus. *P. 4 c. 8 n. 2. P. 10 n. 9.*

98. Consideret, num Missae celebrentur et sacramenta alia ministrentur, iuxta usum romanae Ecclesiae: concionandi etiam, et doctrinae christianae docendae modum observet: curetque, ut in his omnibus Nostri uniformes sint, et ut finem, quem Societas intendit, assequantur. Praecipue vero circa Concionatores invigilet; ut, si quis ex iis ad suas se Regulas forte non accommodaverit, a concionandi munere amoveatur, et in aliis Societatis nostrae ministeriis occupetur.

Confessarii et Concionatores idonei. *C. 2 can. 27 d. 62.*

99. Videat, num in Domibus et Collegiis Concionatores et Confessarii ad sua munera idonei sint, et statuat pro ratione Instituti et loci, quam frequenter domi vel foris concionandum, vel publice legendum sit, vel doctrina christiana tradenda; et tempore pestis aliqui ab eo designentur, qui, separati ab aliis, proximis iuvandis vacent.

Designet qui peste infectis assistant.

Quales Confessarii. *C. 7 d. 80 n. 11.*

100. Det operam, ut Confessarii maturi sint aetate, quantum fieri potest, ac multo magis spiritu et moribus, praesertim qui ad confessiones mulierum audiendas mittuntur; curetque, ut Nostri gratiis et privilegiis apostolicis prudenter et moderate utantur.

P. 10 n. 12.

Quid cum simul fuerint Domus Professorum, et Collegium. *P. 4 c. 8 n. 1. P. 7 c. 4 n. 10.*

101. In iis locis, in quibus simul Domus Professorum et Collegium fuerint, Societatis ministeria in Domo exercenda curabit; in Collegiis vero ea, quae ad studia litterarum et auxilium spirituale Scholasticorum pertinent, tractanda sunt.

Ornatus in festis.

102. Efficiet, ut in festis, quae a Nostris praecipue celebrari solent, ornatus nostrarum ecclesiarum sit moderatus ac religiosus, et, quoad fieri potest, sine nimia distractione Nostrorum, et molestia externorum.

Externorum Confraternitates. *P. 7 c. 4, G.*

103. Non permittat, ut cum Congregationibus externorum, quae Confraternitates dicuntur, Nostri misceantur, nec in Domibus vel Collegiis ulli earum conventus agantur, nisi qui ad finem earumdem Domorum et Collegiorum in divino obsequio fient.

Iudicium de admittendis externis ad Ordines. *C. 2 can. 19 d 72. C. 4 can. 7 d. 63.*

104. Si examinandi ministerium ab Ordinario iniunctum effugere Nostri nulla ratione possint, quamvis de doctrinae sufficientia iudicium ferre

valeant, illud tamen retineant, ne de admittendis vel non admittendis ferant, sed illud omnino Praelatis relinquatur.

Caput XIII. — De missionibus et mutationibus Nostrorum.

Qua facultate alio proficisci quis possit. C. 2 can. 32 d. 12.

105. Provincialis non abeat a sua Provincia sine Generalis, nec Praepositus aut Rector a sua Domo vel Collegio absque Provincialis facultate, nisi locus esset vicinus, aut sine gravi incommodo Superioris responsum expectari non possit. Reliquorum vero mutationes intra Provinciam Provincialis ipse ne faciat sine causa alicuius momenti.

Observanda circa missiones. P. 7 c. 1 n. 5. P. 7 c. 2 n. 2. C. 2 can. 27 d. 62.

106. In mittendis Operariis per Provinciam extra Domos et Collegia, ut in vinea Domini laborent, observet, quae in Constitutionibus et Regulis missionum dicuntur: videat tamen, ne Domus et Collegia necessariis ministris destituantur.

Missi instituendi. P. 7 c. 1 n. 5. P. 7 c. 2 n. 2.

107. Quocumque mittat aliquem, eum per se vel alium plene instruat, et ordinarie in scriptis, tam de modo procedendi, quam de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet.

Quomodo adiuvandi. P. 7 c. 2 n. 2.

108. Per crebram litterarum communicationem, iuxta Formulam Scribendi, totius successus certior factus, ex eo loco, ubi ipse commoratur, consilio et orationibus et aliis rationibus eum iuvabit, ut persona et negotium postulaverit.

Maturiores mittendi. P. 8 c. 1 n. 4. Cui subiiciendi.

109. Optimi quique et maturiores ad proximos iuvandos, quantum commode fieri poterit, mittantur: et si ei videbitur expedire, alicui Superiori vicinioris Domus vel Collegii subiiciantur.

Quomodo revocandi. P. 7 c. 2, H.

110. Cum mutari aliquem oportebit, animadvertat, ut ad eum revocandum, quoad fieri poterit, iis mediis utatur, ut ii, a quibus evocatur, potius benevoli omnino maneant, quam offensi vel male affecti.

Quid si inutiliter occupentur. In bulla Pauli III, Licet debitum, pag. 14.

111. Si missum a Superiore vel a Summo Pontifice minus utiliter occupari videret, Generalem admoneat.

De missionibus et transmutationibus extra Provinciam. C. 7 d. 60. C. 23 d. 35.

112. Extra Provinciam suam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vinea Domini, negotii alicuius aut peregrinationis causa, aut nisi ei constaret de Generalis voluntate, vel conveniret cum Provinciali illius Provinciae, ad quam mittere aliquem ad tempus voluerit: ad Provincias tamen extra Europam, et inter ipsasmet hae transmutationes sine facultate Generalis ne fiant.

Cognita morte Generalis, non mittendi extra Provinciam qui ius suffragii habent. C. 14 d. 24.

113. Post cognitam Generalis mortem, Provincialis neminem ex iis, qui ius suffragii habent, ex sua Provincia in aliam mittat ante Congregationem provincialem, nisi causa sit adeo urgens, ut ipse et maior pars Consultorum ipsius existimet esse mittendum.

Superior in itinere.

114. Cum peregre erit Nostris proficiscendum, aliquem, cui maxime confidat, praeficiet, cui toto itineris tempore caeteri tamquam Superiori in omnibus obediant.

Quomodo iter faciendum. C. 3 can. 12 d. 37.

115. Ad retinendam religiosam disciplinam et paupertatis rationem, det operam, ut Nostri in profectionibus, quos ipsorum Superiores id praestare posse iudicaverint, in toto vel in parte pedestri itinere utantur; et in equitando solius necessitatis, sive personae sive negotiorum, ratio habeatur.

Itinerum expensae. C. 2 can. 10 d. 82.

116. Expensas itinerum solvere eius erit Provinciae, aut Collegii, aut Domus, in cuius bonum et utilitatem cedit profectio; quod si in ea re dubium esset, arbitrio ipsius, auditis

Consultoribus, statuendum relinquitur; si aliquando tamen inter aliquos Provinciales non conveniret, recurrant ad Generalem.

Superior informandus, quando ex uno loco ad alium quis transmittitur. *C. 7 d. 80 n. 2.*

117. Quando quis ab uno loco ad alium transfertur, Superior, ad quem talis mittitur, informandus est, quantum ad cognoscendum et iuvandum eum sit satis. Neminem autem ex uno in alium locum ire permittat sine litteris patentibus. Qui vero in aliquo Collegio aut Domo male se gerit, non mittatur, si fieri potest, ad aliud, nisi iuvetur ubi deliquit.

Caput XIV. — De visitatione.

Singulis annis Provincia visitanda. *C. 1 can. 29 d. 111. P. 8 c. 1, 1.*

118. Singulis annis per se ipsum singula loca suae Provinciae visitet, cum hoc sit valde proprium sui officii; et ibi diutius immoretur, ubi magis erit opus, praesertim in loco ad communicationem cum inferioribus et Generali Praeposito magis commodo.

Quando per alium visitabit.

119. Si quando ob causas graviores visitare omnia loca suae Provinciae ipse non possit, re cum suis Consultoribus collata, ad ea, quae non potest, sibi alium substituat; quamvis omnino curandum sit, ut Domos Probationis et Scholasticorum Seminaria peculiari cura, et per se visitet.

Quid cum ad locum visitandum pervenerit.

120. Cum ad Domum vel Collegium aliquod pervenerit, Superiorem interroget, num aliquid urgeat, cui statim necessario sit remedium adhibendum; et visitationes praeteritas petat. Deinde omnes simul benigne alloquatur, eosque ad renovationem in spiritu et studium perfectionis hortetur.

Visitatio inchoanda a templo.

121. Incipiat visitationem a templo, cuius ostio clauso videat quomodo custodiatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum: mox visitet sacrum infirmorum oleum, et Sanctorum reliquias, ex quibus nihil ulla ratione auferatur, altaria, sedesque Confessariorum, atque alia, quae tam in templo, quam in sacristia ad divinum cultum pertinent.

Tum ad personas progrediendum.

122. Postea ad visitationem personarum accedat, et curet, ut omnibus benevolum se exhibeat, ne alicuius mentem subeat suspicio, quod ob sinistras aliquas informationes minus hilarem vultum ipsis ostendat.

Informatio de statu Collegii vel Domus, et de personis.

123. Petat a Superiore, et consequenter a Consultoribus, et ab aliquibus Patribus antiquioribus, vel praecipuis Officialibus, ut ea, quae sciunt alicuius momenti de statu Collegii vel Domus, aut de personis, referant: quod si iudicaverit expedire, iubere poterit, ut informationes huiusmodi, vel partem earum, breviter scribant, et sibi tradant: scripta autem, quae secretum continent, clausa ipse diligentissime servet, caveatque, ne minimo quidem indicio eos, qui sibi aliquid referunt, prodat.

Tum de singulis personis.

124. Huiusmodi informationibus acceptis et consideratis, percurrat cum Superiore catalogum personarum Domus vel Collegii, brevemque de singulis ab eo capiat informationem.

Singuli seorsum interrogandi.

125. Deinde vocet singillatim omnes eo ordine, qui ei magis convenire videbitur, et singulos seorsum, iuxta instructionem sequenti capite positam, memoriter, potius quam ex scripto, interroget, et quae advertenda iudicaverit, sibi memoriae causa scribat. Quid vero a quoque interrogandum sit, illius prudentiae relinquitur.

Ad veritatem hortandi.

126. Hortetur omnes ad veritatem sincere dicendam, ne ipsis imputetur, si morbi, propter eorum silen-

tium incogniti et latentes, curari non possint: admoneatque teneri eos servare sub secreto, quidquid cum eo, quod secretum requirit, transegerint, licet a quovis alio, qui ipso sit inferior, de ea re interrogentur.

Non facile credat quae contra alios, praesertim Superiores.

127. Non facile credat, si quae forsan contra alios, praesertim Superiores, dicentur: sed ea notet et expendat, ut veritatem assequatur. Caveatque, ne dum subditos consolari studet, illi debiliores in obedientia et reverentia erga suos immediatos Superiores reddantur.

Dissensionis auctor. *P. 8 c. 1 n. 5.*

128. Si quis divisionis aut dissensionis eorum, qui una vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse inveniretur, diligentissime ab ea Congregatione, velut pestis, quae eam potest inficere, si praesens remedium non adhibeatur, separandus est.

Examinandae Regulae Officialium.

129. Visitatio rerum aut partium, iuxta ea, quae in praecedentibus Regulis, praesertim in nono capite huius officii dicta sunt, fieri debet; in qua simul examinandae sunt Regulae Officialium, qui eiusmodi rerum curam habent: si quid autem non solum informationem, sed inspectionem requirat, ipse per se aut socium id praestabit.

Quae Regulae, et cum quibus.

130. Summarium Constitutionum et Regulas Communes coram Superiore, Consultoribus et Ministro examinabit: et si quas non observari intellexerit, consideratis causis remedia adhibebit, ut observari possint. Regulas autem Ministri, Consultorum, et Admonitoris, Concionatorum, et Sacerdotum, itemque praecipuorum Officialium ipse per se cum ipsismet examinabit: reliquas vero aliorum Officialium poterit Socio, aut alteri, coram singulis eorum examinandas committere.

Conscientiae rationem a quibus, et quando exigat. *Exa. c. 4 n. 36, 39.* *C. 12 d. 15.*

131. Provincialis integram rationem totius anteactae vitae, iuxta Constitutiones, ab iis exigat, qui Societatem ingrediuntur; et ab eo tempore, quo ad studia missi sunt ab iis, qui illis absolutis ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quod si id aliquando per se praestare non poterit, substituat ad id ordinarie Superiorem Domus vel Collegii. Singulis vero annis in quacumque Domo vel Collegio suae Provinciae, absoluta rerum domesticarum visitatione, aut in ipso visitationis decursu (si id opportunius in aliquibus fore iudicaret) rationem conscientiae ab omnibus accipiat ab ultima, quam reddiderunt, iuxta modum inferius praescriptum. Quod si visitatio circa renovationem votorum inciderit (quam extra statutum tempus ratione sui adventus in Domum aliquam vel Collegium, praesertim magnum, per unum aut alterum mensem praemittere aut differre poterit), ipse ad excipiendas confessiones generales Nostrorum aliquos Patres probatos et maturiores designabit; eosque, qui sibi confiteri volent, benigne audiet.

Quando renovatio votorum praemitti aut differri possit. *C. 12 d. 16.*

Superior postremus omnium visitandus.

132. Postremum omnium visitet Superiorem Domus vel Collegii circa ea, quae ad personam et officium eius attinent, iuxta officii eius Regulas, et ea, quae ex acceptis informationibus collegerit.

Recognoscenda post visitationem absolutam.

133. Visitatione cuiusque Domus vel Collegii absoluta, et rebus omnibus perspectis, ut laboris sui fructum capiat, denuo omnia, quae accepit in visitatione, consideret, et ea, quae maioris momenti sunt, diligentius expendat; quid item clarum, quidque tantum probabile videatur, et de quibus Generalis consulendus est, et quae cum solo Superiore Domus vel Col-

legii, quae etiam cum Consultoribus, et quae cum aliis particularibus sint transigenda, diligenter discernat.

Ordinanda ad gubernationem spectantia, expendenda Deoque commendanda. C. 6 d. 36 n, 3, 37 n. 7.

134. Quae ad gubernationem spectantia ipsi ordinanda videbuntur, haec vel illa iis etiam expendenda tradat, quos de unaquaque re melius iudicare posse confidat. Et antequam ultimam exsecutionis manum rebus imponat, omnia in orationibus et Missarum sacrificiis Deo commendet, ut iuxta ipsius divinum beneplacitum dirigantur.

Quaenam expungenda ex praeterita visitatione.

135. Postquam autem apud se omnia constituerit, ex praeteritae visitationis memoriali, ubi rerum, quae temporariae sunt, ordinationes scribuntur, eas, quae exsecutioni mandatae fuerint, expungat. In libro vero, in quo non nisi maioris momenti ordinationes scribendae erunt, ipse ea tantum scribet, suaque manu subscribet, quae cum Generali communicaverit, et ab ipso fuerint approbata.

Caput XV. — Instructio de iis, quae in visitatione interroganda sunt.

Quae ad gubernationem pertinent, a Superioribus, et Consultoribus, et aliis, quibus videbitur, petenda.

Quaenam, ab aliquibus de gubernatione interroganda.

1. Interroget, si quid gravius in ea Domo vel Collegio accidisse extra confessionem intellexerit, et quod remedium sit adhibitum.

2. Quomodo serventur Regulae, quae ad Novitios pertinent.

3. An aliqui, praesertim pueri aut mulieres, ad vota emittenda inducantur, vel ad consilia alia observanda indiscrete trahantur.

4. An aliquis Domi nimis affectus videatur ad consanguineos, vel ad eorum subventionem teneatur.

5. De numero et sufficientia Confessariorum, et de frequentia et fructu confitentium.

6. Quomodo litterarum studia vigeant, et quam exacte serventur quae de opinionum novitate et diversitate statuta sunt. Et an aliqui videantur finitis iam studiis educendi e Collegiis.

7. An infirmi, hospitalia, carceres, et triremes (ubi essent) visitentur et adiuventur a Nostris.

8. Ex quibus operibus piis, iuxta nostrum Institutum, maior fructus percipiatur.

9. De cura in tradendis Spiritualibus Exercitiis, et quam exacte illa fiant. Et de vigilantia in puerorum ac rudium in doctrina christiana institutione.

10. De modo conversandi iuxta rationem et finem nostri Instituti.

11. De missionibus et earum fructu, et modo procedendi eorum, qui mittuntur.

12. An aliqui, praetextu valetudinis iuvandae, a spiritus perfectione degenerent, et a laboribus nostri Instituti abhorreant, atque ad otium aspirent.

13. An erga Nostros infirmos et hospites debita Societatis charitas et cura exerceatur.

14. An aliqua ambitionis et proprietatis indicia in aliquo appareant.

15. Quae eleemosynae externis pauperibus dentur.

Quae ab omnibus peti possunt.

16. Quomodo valeat corpore et viribus, et quomodo ei conveniat ratio victus, vestitus, cubiculi et exercitationis corporalis, qua utitur. Quae ab omnibus.

17. Si quid dubitationis aut difficultatis, si quid etiam ad suam consolationem, instructionem aut profectum fore putat, confidenter proponat.

18. Quod ad alios attinet, interrogetur, quomodo tractetur a Superioribus, et quid sentiat de illis, tam de personis quam de officiis eorum.

19. An aliquis Superior impedierit libertatem subditorum scribendi ad Superiores mediatos, aut quovis modo significaverit sibi non placere, ut Nostri de ipso aut eius gubernatione ad eosdem scribant.

20. An noverit extra confessionem aliquid de quavis persona, quod non ei probetur, ut de inobedientia, murmuratione, conspirationibus, praesertim contra Superiores, et si quid parum honestum et incautum in familiaritate nimia cum aliqua persona accidisset, vel contra de dissensione.

21. Quomodo serventur domi Constitutiones, Decreta, Regulae, communis ordo, et ordinationes, quae a Praeposito Generali, et aliis Superioribus emanant.

22. Quomodo exerceantur ministeria Societatis erga externos, quod ad modum et fructum attinet.

23. Quis sit profectus Nostrorum in rebus spiritualibus, et quod omnium in solidis virtutibus acquirendis studium.

24. Si de iis etiam, quae pertinent ad alias Domos et Collegia totius Provinciae, aliquid habet, quod alicuius momenti videatur, libere proponat.

Pro Scholasticis addatur.

Quaenam a Scholasticis.

25. Quid ingenii, memoriae, virium, et propensionis ad litteras in se experiatur.

26. An occupatione exteriore vel studiis removeatur vel distrahatur a rebus spiritualibus.

27. An habeat libros necessarios, et an scribat, legat, disputet.

28. De suo profectu in litteris quid sentiat.

29. An omnia experimenta Societatis fecerit, et quo fructu.

Pro iis, qui in probatione versantur.

Quae ab iis, qui in probatione.

30. An firmus sit in proposito vivendi et moriendi in Societate.

31. An sit indifferens ad quemlibet gradum, ministeria et exercitia Societatis, prout obedientia constituerit.

32. An Exercitia Spiritualia, vel aliqua alia experimenta fecerit, et in quibus plus profecerit; et alia, si videbitur, ex Examine.

Modus accipiendae rationis conscientiae.

Ratio conscientiae.

33. Quod in Summario Constitutionum, § 40, praescribitur de manifestanda conscientia, id magni momenti ad Dei gloriam et Societatis nostrae bonum Pater noster sanctae memoriae Ignatius existimavit: quare, ut omni diligentia et animi sinceritate serventur, Provinciali curandum erit. Et cum quisque dixerit quae dicere voluerit iuxta instructionem datam, poterit Provincialis, si qua existimaverit amplius interroganda, id etiam facere; quamvis, quae hominem pudore multum afficerent, ea extra confessionem interroganda non essent. Nec a singulis singula petet, sed prudenter et circumspecte pro ratione personarum. Denique eam suavitatem teneat, ut illa omnia non tamquam iudex exigere, sed ut benignus parens ob subditi consolationem cognoscere velle videatur.

C. 12 d. 56 n. 2.

REGULAE SOCII PROVINCIALIS.

Socius Provincialis qualis esse debeat.

1. Cum Socius Provincialis sit eiusdem minister, ordinarie apud ipsum manens, ut pro memoria et manibus illi sit ad omnia, quae scribenda et tractanda fuerint, dare operam debet, ut proportione quadam se talem praebeat, qualem describunt Constitutiones parte IX, capite 6, § 8 et 9.

Provincialis Socius idem, et Consultor, et Admonitor. Eiusdem facultates.

2. Cum vero non solum Socius sit, sed etiam Consultor et Admonitor Provincialis, familiares sibi habeat Regulas his officiis proprias, et magna sedulitate et prudentia observare studeat. Porro concessam sibi facultatem absolvendi specialem intelligat ex Congregatione 8, decreto 25, § 3. Noverit quoque sibi concessam esse facultatem dispensandi, quae Confessario Provincialis concessa declaratur Ordinationum capite 1, § 22.

Ord. Gen. c. 6 n. 7.

Eius charitas, observantia, studium erga Provincialem.

3. Satagat impense, ut singulari charitate, humilitate et obedientia interna et externa cum Provinciali coniunctus sit; eiusdem apud omnes, et Nostros et externos, auctoritatem, et eorum erga ipsum benevolentiam, omnibus quibus poterit modis conservans et augens.

Peritia Instituti, et ordinationum Provinciae.

4. Diligere et curare singulari quodam affectu commune bonum Provinciae debet; adeoque, ultra peritiam Instituti Societatis, et eorum in primis, quae ad Regulas et munus Provincialis pertinent, conetur accuratam habere cognitionem consuetudinum et ordinationum Provinciae propriarum.

Fidelitas et tenacitas secreti.

5. Studeat vero, ut quam fidelissimus Provinciali sit, et adeo secreti tenax, ut si nihil omnino earum rerum sciret, quas oportet esse secretas.

In quo potissimum spectanda fidelitas.

6. Fidelitas eius erga Provincialem in eo potissimum observabitur, si nihil clam eo aut scribet aut aget, quod ad negotia Provinciae spectet; si nullam sibi gubernationis partem usurpabit; si illi indicabit quidquid aut in tota Provincia, aut in aliqua eius parte, sed in iis potissimum, qui gubernant, observaverit, quod eius indigeat providentia.

Modestia apud alios de Provincia.

7. Cum aliis de Provincia ita se geret, ut nullam auctoritatis speciem ostendat, nullum singulari studio aut favore prosequatur, spe ac promissis neminem alat, ostendat denique omnibus, se instrumentum tantummodo et manum esse Provincialis.

Litteras non aperiat, nisi iussus.

8. Nullas litteras, nullos fasciculos, nulla scripta ad Provincialem missa ipse aperiat, aut aperta ab alio legat, nisi eodem iubente Provinciali; iubere autem intelligitur, quoties litteras illi aut scripta resignata tradiderit.

Qualis esse debeat in scribendis litteris.

9. Caveat diligenter, ne in litteris, et maxime iis, quas Provincialis nomine scribet, species ulla immoderati affectus appareat: Provincialis animum induat, eiusque non solum sententiis, verum et verbis ingenium exprimat, ut non tantum idem, sed etiam eodem modo, quo Provincialis, si scriberet, dicturus esset, dicat.

Liber pugillaris ad memoriam.

10. Librum habeat pugillarem, ubi omnia, quae ipsi facienda a Provinciali praescribuntur, memoriae causa notet; uti et promissa omnia Provincialis, ut suo tempore praestentur, atque etiam res consultatione dignas.

Commentariolus stabilis agendorum.

11. Immo rerum omnium, quae ad Provincialis pertinent providentiam, tam earum quae certo tempore, quam earum quae incerto praestari debent, prout res postulat, commentariolum stabilem apud se habeat, saepeque legat, ut, earum ipse rerum ex suo commentario recordatus, memoriam Provinciali renovet.

Cura consultationum.

12. In primis commonebit Provincialem de commoditatibus, quatenus occurrent, aut praevideri poterunt, habendarum consultationum principio cuiusque mensis, ex praescripto Congregationis VI decreto 36, § 6 et 7. Quod si quid eiusmodi esse intelliget, ut videatur posse commode ferre dilationem, eum interroget, num de eo extraordinario tempore agi velit; ut etiam, an Procurator Provinciae, aut alius, qui de re, de qua agendum erit, experientiam aut magnam cognitionem habeat, interesse consultationi debeat.

In consultationibus ad regimen praelegendae informationes.

13. In consultationibus de proponendis ad regimen sollicitus sit, ut de iisdem praelegantur Consultoribus informationes Romam missae inter ultimas triennales. Si de quopiam, qui proponendus iudicatur, nulla sit informatio inter ultimas triennales, eam curet conficiendam ex praescripta Formula, Romamque mittendam una cum litteris Provincialis et Consultorum: quod non est faciendum, si de eodem sit informatio inter ultimas triennales.

Curanda circa promovendos ad gradum.

14. Una cum Provinciali attendat promovendis ad gradum, ut de singulis curentur informationes, et consultetur in tempore. In concinnandis vero informationibus Romam mittendis, ultra ea, quae satis diserte Formula praescribuntur, curet primo, ut ad § 1 et 2 exprimantur annus et dies nativitatis et ingressus in Societatem. Curet secundo, ut de iis, qui studia absolverunt professioni quatuor votorum necessaria, si non absolverint omnia in Societate, distincte explicetur, quot annis Philosophiae aut Theologiae studuerint ante ingressum Societatis. De iisdem curet tertio, ut constet ex informationibus in qua Provincia examinati sint, si extra Provinciam propriam studia absolverint. Curet quarto, ut ad § tertium adnotetur expresse, propositos ad professionem quatuor votorum iudicari excedere vel non excedere mediocritatem in virtute iuxta sensum decreti 6 Congregationis IX, aut de hoc dubitari. Curet denique, ut informationes singulae iustos habeant margines vacuos, quibus inscribi Romae possit sententia de singulis ad gradum propositis.

Curanda circa informationes ad gradum, ad regimen, in archivio servandas.

15. Sub illud tempus, quo Provincialis suo munere defungetur, sollicitus sit, ut omnes informationes autographae quatuor Patrum, tam ad gradum quam ad regimen, acceptae ab eo Provinciali, in fasciculos componantur, sigillo Provincialis munitos, cum hac inscriptione: *Informationes*

ad gradum, vel *Informationes ad regimen, acceptae a Patre N. N. Provinciali, non reserandae sine expressa facultate Praepositi Generalis ex regula Socii Provincialis 15.* Provideat denique, ut ex informationibus consultatis, in Provincia servandis, intelligi nequeat, quid quisque Informator aut Consultor senserit, nisi ubi omnes consentiunt.

Consultationes referendae in codicem.

16. In codicem ad hoc designatum referat quid in quaque consultatione Provinciae deliberatum, et quid conclusum fuerit, et ex quibus causis.

Curandae litterae Consultorum ad Generalem.

17. Meminerit etiam, ordinarias epistolas Consultorum Provincialis ad Generalem mense Ianuario et Iulio colligere, et una cum suis mittere, nisi eas illi alia via mittere voluerint.

Socii obligatio specialis scribendi de regimine Provincialis.

18. Ipse vero vel hac vel alia occasione, saltem semel quotannis, certiorem faciet Praepositum Generalem, quemadmodum suas Regulas observet Provincialis, caeterasque ordinationes executioni mandandas curet, et ut fructuose se gerat in obeunda Provincia.

Curandae litterae ad Provincialem.

19. Moneat Provincialem, si quem Superiorem in Provincia localem, Magistrum Novitiorum, Consultorem, vel alium quempiam eorum, qui scribere ad illum debent, suo tempore non scripsisse deprehenderit.

Item suffragia et orationes.

20. Sollicitus sit, ut de morte Nostrorum in Provincia, uti et de fundatoribus et insignibus benefactoribus, seu vivis seu defunctis, Provincialis Generalem admoneat, ut iuxta Constitutiones suffragia pro iis fiant. Sed et Provincialem monebit, cum causae inciderint, ut dispiciat de indicendis per Provinciam orationibus et Missis iuxta suam regulam 21.

Item litterae ad Principes.

21. Animadvertat, num expediat Provincialem ad aliquos externos scribere, praesertim Principes ecclesiasticos aut saeculares, Episcopos, Praelatos aut alios magna auctoritate viros, ad conservandam eorum erga Societatem benevolentiam; idque illum admoneat.

Praestanda in visitationibus Collegiorum.

22. Conetur strenue adesse Provinciali visitanti Provinciam in iis omnibus, in quibus eius operam requiret: ut in inspectione ipsorum domiciliorum, in Regulis minorum officialium cum ipsismet examinandis, in recensenda supellectili sacra et profana, in examinandis rationibus ex libris Procuratoris, ipsoque archivio, et eius ordinatione; in lustrandis et aestimandis provisionibus, victualibus, vestiariis caeterisque, ipsoque Domus aerario. In his vero aliisque huius generis sedulo adnotet defectus, errores et abusus, qui occurrerint; ut, de singulis edoctus Provincialis, examini tanti momenti facilius possit manum supremam imponere, et iudicium formare de statu Collegii aut Domus temporali. Denique cura sit, sub finem cuiusque visitationis conficere compendio temporalem statum, habitualem pariter et actualem, Romam mittendum a Provinciali.

Curandum archivium Provincialis.

23. Ad suam curam intelligat pertinere speciale archivium Provincialis; quatenus libros continet manu scriptos, Provinciae gubernationi praecipue necessarios. Curet igitur, ut in eo archivio sint et mature suppleantur saltem sequentes libri.

Liber continens bullas et decreta Summorum Pontificum, aut Sacrorum Congregationum, ad Societatem pertinentia.

Liber continens diplomata et placita Regum ac Principum, ad Provinciam aut aliquam eius Domum pertinentia.

Liber continens Ordinationes Generalium toti Societati communes, et non impressas.

Liber continens alterius generis epistolas Generalium encyclicas non impressas.

Liber continens Ordinationes Generalium, Provinciae proprias.

Liber continens Acta Congregationum Provinciae, subiunctis earumdem postulatis seu quaesitis, atque ad haec Roma responsis.

Liber continens declarationes Constitutionum, Regularum, Ordinationum; et decisiones casuum a Generalibus datas ad dubitationes seu quaesita Provincialium, Procuratorum, aut aliorum.

Liber continens ordinata et responsa Generalium praecipui momenti, pertinentia ad singularia Provinciae Collegia ac domicilia, eorumque res proprias.

Liber continens sententias Generalium non impressas, de doctrinis philosophicis et theologicis permittendis vel non permittendis in nostris scholis.

Liber continens consuetudines, cum Provinciae universae, tum Seminariorum, aliarumque Domuum, a Generalibus approbatas.

Liber continens ordinationes Visitatorum et Provincialium, toti Provinciae communes, a Generalibus approbatas.

Liber continens memorialia Visitatorum et Provincialium post visitationes relicta, et alia pro opportunitate ab iisdem praescripta aut commendata cuique Collegio et Domui Provinciae.

Liber continens epistolas encyclicas Visitatorum et Provincialium.

Liber continens status temporales Collegiorum et Domuum, compendio descriptos post quamcumque visitationem.

Liber continens iudicia de annuis examinibus Nostrorum in Philosophia et Theologia, adnotatis anno, mense, loco, et nominibus Examinatorum.

Liber continens catalogum Patrum tertiae probationis, adnotato tempore, quo probati sunt, et iudicio Instructoris, Rectoris et Ministri de singulorum satisfactione.

Liber continens seriem Superiorum cum Provinciae, tum Collegiorum Domuumque.

Liber continens catalogos admissorum ad Societatem quoque anno, et dimissorum ex Societate in Provincia.

Liber continens catalogos initiatorum prima tonsura, Ordinibus minoribus et maioribus, adnotatis anno, die, loco, nomine Episcopi.

Liber continens catalogos admissorum ad vota simplicia, et promotorum ad gradus professionis quatuor aut trium votorum, Coadiutorum formatorum spiritualium et temporalium, adnotatis anno, die, loco, nomine eius, qui vota suscepit.

Liber continens catalogum mortuorum in Provincia, adnotatis similiter, anno, die, loco.

Liber continens catalogos triennales, primum, secundum, tertium.

Liber continens catalogos annuos, seu breves.

Hos saltem libros curae suae commissos sciat Socius Provincialis; non tamen exclusis aliis, si quos alios adhiberi ad commodiorem Provinciae gubernationem ferat mos Provinciae; nisi quod ad curam solius Provincialis pertinet liber continens iudicia de scholasticis examinibus ad gradum,

expressa habens quidem nomina Examinatorum, sed avulsa a singulis iudiciis, quod et in libro examinum annuorum observari convenit.

Cautelae in communicandis scripturis archivii.

24. Ex archivio nullum cuiquam monumentum, neque domestico neque externo, iniussu Provincialis tradet; et, cum eius iussu tradiderit, in libello notabit quid, cui et quando dederit; et, si externus fuerit, syngrapham ab eo accipiet, ut sciat recordeturque, ubinam sit, et possit suo tempore reposcere.

Curandae scripturae triennales, Romam mittendae.

25. Sedulam operam navet, ut quam accuratissime concinnatae sint scripturae quoque triennio per electum Procuratorem Romam mittendae; adeoque non solum acta Congregationis Provinciae, rationes pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali, et postulata Provinciae, quorum potissima cura pertinet ad Secretarium Congregationis; sed et catalogus primus, secundus, tertius; catalogi quoque defunctorum, dimissorum, librorum in Provincia editorum, non sine singulorum exemplis; fundationes et dotationes Collegiorum, et contractus maioris momenti; professiones et vota formatorum; informationes ad regimen; denique annuae, et supplementum historiae Provinciae.

Curandus catalogus annuus.

26. Ultra catalogos triennales supra dictos, intelligat ad suam curam pertinere catalogum brevem, quotannis a Provinciali Romam mittendum gemino exemplo, qui contineat nomina et ministeria, in quibus unusquisque Nostrorum illo anno occupatur, addito supplemento primi et secundi catalogi triennalis. Catalogum vero hunc, cum dicto supplemento mitti oportebit, praecipua personarum ordinatione facta, adeoque saltem mense Ianuario; citius vero, si id fieri possit.

Cura perpetua annuarum litterarum, et historiae.

27. Animadvertat litteras annuas et supplementum historiae non esse negotium unius aut paucorum mensium ante discessum electi Procuratoris, sed perpetuum et continuum esse debere. Accuratam habeat rationem annorum, ad quos provectae sint cuiusque Collegii aut Domus annuae et historia: non desinat monere Provincialem, ubi est opus, de tarditate: urgeat ipse pro opportunitate Superiores locales, et designatum in quaque Domo investigatorem, et adnotatorem rerum notabilium, et scriptorem annuarum et historiae. Curet denique, ut in tempore designetur, qui acceptas ex tota Provincia annuas, et historias conferat, et digerat, et Provinciae annuas generales, et historiam concinnet, Romam mittendas.

Curanda valetudo Provincialis.

28. Valetudinem Provincialis ita curet, ut, si animadverterit eum in laboribus et in rigore nimio mensuram excedere, ipsum de hoc modeste admoneat, ac, si opus fuerit, Generalem non celet; utque eidem infirmo eam victus et curationis rationem adhibendam procuret, quam necessitas et ordinata charitas postulabunt.

Praestanda Socio in obitu Provincialis.

29. Si contingat Provincialem e vita excedere, neque sit in promptu qui eius partes iure nostro suscipiat, Socius Provincialis defuncti tempestive ac fideliter obserabit armaria ac scrinia eius omnia, cum scripturis ac litteris omnibus, quae apud ipsum reperiuntur, et claves apud se retinebit, donec eas tradere possit illi, qui Provinciali defuncto, saltem ut Vice Provincialis succedat.

C. 12 d. 56 n. 2.

REGULAE PROCURATORIS PROVINCIAE.

Studeat aedificationi, dexteritati, etc.

1. GENERATIM in negotiorum tractatione verbo et exemplo eos omnes aedificet, quibuscum versatur, et in iis, quae ad officium suum spectant, fidelitatem, prudentiam et dexteritatem habere studeat; atque eos sibi benevolos conservet, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

Quae negotia ad ipsum pertineant.

2. Ad ipsum pertinent negotia omnia sibi a Provinciali commissa, ad expeditiones, administrationes, rationes, lites, et quosvis contractus ineundos spectantia, quae ad universae Provinciae Collegia et Domos pertinebunt. Nullum vero gravioris momenti negotium, quamvis sibi commendatum a Superioribus vel Procuratoribus Collegiorum aut Domorum, agere incipiat, nisi a Provinciali approbatum, et commissum ipsi fuerit.

Negotia externorum vix attingenda.

3. Ut sit expeditior ad negotia Provinciae, procul a se amoliri conetur negotia externorum. Si quando tamen aliud videretur postulare charitas, aut gratitudo Societatis, illa non attinget, nisi consulto Provinciali, et ex huius iudicio.

Quomodo audiendi Superiores Collegiorum, quorum negotia gerit.

4. A Superioribus et Procuratoribus Domorum aut Collegiorum, quorum negotia gerit, non solum accurata postulet documenta, sed et consilia rationemque tractandi negotia libenter accipiat; ipse vero, si ab illis dissentiat in re alicuius momenti, ad Provincialem referat, qui, re deliberata, definiet quae ratio sit tenenda.

Devitet omnem speciem negotiationis.

5. Studiose devitet omnem speciem negotiationis aut quaesiti lucri, emptione aut venditione rerum aliunde acceptarum aut alio mittendarum, permutatione pecuniarum, aliterve. Si tamen contingeret ex negotiorum gestione lucrum aliquod sua quasi sponte enasci, sciat non licere ipsi de eo disponere, nisi ex iudicio Provincialis, et illud omne deducendum esse in rationes, haud secus ac caetera accepta et expensa.

Quid possit circa eleemosynas, donationes, mutuum.

6. An et quantum possit circa eleemosynas aut donationes honorarias, itemque mutuam pecuniam dandam et accipiendam in certis eventibus, intelligat ex Praeposito Provinciali, cuius erit eam facultatem, si qua generalis concedenda videbitur, arcte definire; uti et Procuratoris, singula deducere in rationes Provinciali reddendas.

Satagat, ut emendentur et suppleantur defectus Procuratorum in Collegiis Domibusque.

7. Provincialem admoneat, sicubi animadverterit Procuratorem Collegii aut Domus, vel imparem esse defectu peritiae, vel deesse suo muneri per incuriam. Ipse vero, a Provinciali requisitus, quoad per alia negotia licebit, sedulam impendat operam examinandis et restaurandis rationibus

oeconomicis alicubi forte collapsis, et restituendae administrationi bonorum temporalium, ubi ea laborat.

Solide, et quam potest securissime, negotia gerat.

8. Curet diligenter, ut recte et solide fiant quae expedienda et alia ratione agenda erunt. Quod si periti iuris aut curiales consulendi sint, maxime idonei eligantur. Idem de officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur. Porro haec electio non fiat, nisi ex approbatione Provincialis. Quod si specialis causa valde suaderet, etiam alium hic et nunc adhibendum esse, neque consuli possit Provincialis, id non fiat, nisi conscio et approbante Superiore Domus.

Lites studeat componere.

9. Illud praecipue ante oculos habeat, ut, antequam litem ullam suscipiat, res controversa, si fierit possit, concordia aut compromissione componatur. Si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, ut magnam pacem internam externamque custodire studeat.

In tribunalibus vix compareat.

10. In tribunalibus Iudicum non compareat, nisi quando aliqua necessitas plurimum urgere videretur. Sed, quoad fieri potest, per externos procuratores nostra negotia in publicis iudiciis peragantur.

Cum Provinciali conferat de negotiis.

11. Catalogum negotiorum suae curae commissorum sibi conficiat, et renovatum saltem bis quotannis communicet cum Provinciali, et cum hoc saepe seu verbis coram, seu scripto conferat, ipseque reddat rationem eorum, quae facit, et quo in statu sint negotia, exponat. Quod si rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, id eidem significet, et auxilia, quae opportuna visa erunt, petat.

Deposita non admittat sine facultate Provincialis.

12. Nulla admittat deposita externorum, seu pecuniaria seu alia, sine expressa facultate Praepositi Provincialis, qui eam non concedet, nisi aegerrime, et ex causa valde gravi. Procurator vero saltem bis quotannis, eidem exhibens catalogum negotiorum iuxta regulam 11, exhibeat quoque catalogum depositorum, et conditionum, quibus sunt accepta et perseverant; ut, si quid humanitus ipsi contingeret, singulorum notitiae et rationes sint in promptu.

Fasciculi litterarum fideliter et circumspecte tractandi.

13. Fasciculos litterarum vel alio destinandarum, vel per Provinciam distribuendarum, sibi commissos, magna sedulitate et fide tractet, non solum habita ratione citae expeditionis et expensarum repetendarum, sed etiam secreti, quod debetur litteris a subditis ad mediatos Superiores, vel ab his ad illos scriptis.

Libri rationum sint accurati.

14. Rationum libros conficiat, in quibus tam clara dati et accepti ratio sit, ut ipso etiam absente supputari possit, quid singulae Domus, Collegia, aut particulares personae dederint, aut debeant Procuratori, aut quid eis a Procuratore debeatur.

Qui esse debeant.

15. Ad hunc finem praesto ipsi sint saltem libri tres. Primus quidem quasi memorialis, seu adversaria confuse continentia notitias, non solum rationibus conficiendis utiles futuras, sed et rerum omnis generis in exercitio muneris occurrentium. Secundus liber diarius, seu diurnalis, qui ex adversariis distincte et clare descriptas habeat omnes eas partes, quae sunt utiles concludendis rationibus; sitque velut fundamentum et anima quaedam libri tertii. Liber tertius, seu principalis, contineat distincte digestas per sua capita rationes Domorum, Collegiorum, Procuratoris Generalis, et aliorum partem habentium in negotiis, quae tractantur.

Porro liber secundus, seu diarius, non est ex toto diversus a speciali codice admodum utili, et plerumque necessario, quem vocant librum aerarii, seu a capsa, solius pecuniae acceptae et expensae documenta continente. An, et qui alii libri sint necessarii, dispicietur ex numero et qualitatibus negotiorum tractandorum.

Liber singularis.

16. Habeat praeterea librum singularem, in quem referat summam omnium negotiorum, quae ipsi commendantur, resque maioris momenti, quae in eorum progressu peraguntur, ibidem brevi, ac dilucido ordine conscribat.

Quotannis statum conficiat, seu bilancem rationum.

17. Quotannis ad certum diem, post quem solet proxime visitari domicilium, in quo degit, item quando officio defungetur, statum conficiat generalem, seu aequationem et bilancem suarum rationum, ac deinde, subscripto nomine proprio, una cum libris rationum exhibeat Provinciali, uti et successori suo, si officio defungatur, ad examen et approbationem, subscriptis pariter illorum nominibus.

Similiter rationum summae particulares quotannis mittendae.

18. Similiter, quotannis saltem rationum summas particulares mittet ad Collegia et Domos Provinciae, et alios, quorum negotia gerit; et si quid pecuniae ad negotia destinatae sibi supererit, eisdem significabit, ut pro ipsorum arbitrio de ea disponatur.

Quomodo servanda pecunia.

19. Cum pecunia Procuratori Provinciae ad negotia conficienda transmittetur, aut aliter acquiretur, quae non tam cito debeat expendi, eam, si alicuius momenti fuerit, reponat in arca sub duplici clavi, quarum alteram ipse, et alteram diversam ille habeat, quem Provincialis designaverit.

Curandae pecuniae ad negotia necessaria.

20. Uti curare debet, ut a Collegiis Domibusque mittantur ad se pecuniae, non solum in negotia ipsorum propria, sed etiam in sumptus Provinciae communes, si quando id fuerit necessarium; ita et curandum ipsi est, ut ad Procuratorem Generalem in tempore destinentur a se pecuniae necessariae ad negotia, quae ipse vel Provincialis eidem Romae gerenda commendaverit; uti et quae ad expeditiones litterarum, et sustentationem Officialium toti Societati vel Assistentiae Romae servientium, pro rata portione conferri debent.

Circa negotia romana quaenam observanda.

21. Circa negotia alicuius momenti Romae gerenda, tria praeterea cordi habeat: primum, ut nullum aggrediatur, nisi ex iudicio Provincialis; secundum, ut de singulis scribat Provincialis Praeposito Generali; tertium, ut de singulis itidem scribat ipsemet Procuratori Generali: plena vero de iisdem documenta mittat vel Procuratori Generali, vel huius Patri Socio pro Assistentia, illo de hoc monito.

Quid circa expensas communes.

22. Porro ex Provinciali intelligat, unde petenda sit pecunia ad expensas Provinciae communes, habita ratione decreti 82, § 7, Congregationis VII, et Instructionis pro administratione temp., titulo Pro Provincialibus, § 6. Earumdem vero expensarum communium Provinciali specialem reddat rationem singulis annis exeunte Ianuario.

Archivium Provinciae instruendum et componendum. *Reg. 23 et 24.*

23. Diligenti cura adlaborabit, ut archivium Provinciae (quatenus istud est diversum ab archivio Provincialis, de quo in Regulis Socii Provincialis) quam optime instructum et compositum conservetur, in quo exstent in primis monumenta pertinentia ad Societatem universam eiusque Institutum, privilegia et hoc genus alia, tum

vero quae solam Provinciam generatim attingunt, seu sacra seu profana, diplomata, decreta, sententiae, admissiones, et privilegiorum in loco approbationes, recusationes, ampliationes, restrictiones, contractus, concordata, et similia. Ad haec libri Procuratorum Provinciae complexi rationes annorum superiorum, et progressus negotiorum, et alia monumenta muneri Procuratoris Provinciae propria. Denique scripturae, certa Provinciae Collegia aut Domos ita respicientes, ut illorum archiviis non debeantur; nam aliae scripturae et instrumenta, quae a Collegiis Domibusque accepit ad gerenda illorum negotia, confectis negotiis fideliter restituet.

Monumenta authentica, et omnium index.

24. Curet, quoad fieri potest, ut monumenta archivii ita comparata sint subscriptione tabellionis publici, aliterve, ut fidem facere possint in iudicio. Habeat vero librum, in quo summa quaedam eorum, quae habet archivium, contineatur eo ordine, quem in archivio obtinent.

Cantela in tractandis ex archivio scriptis.

25. Nullum ex archivio monumentum cuiquam, seu domestico seu externo, concedat sine necessitate, et nisi in libello notarit quid, cui, et quando dederit, et, si externus fuerit, syngrapham ab eo acceperit, ut possit suo tempore reposcere. Ea vero quae ipse ad praesentia negotia seu ex archivio, seu aliunde accipiet, in cubiculo servet rite ordinata, non sine eorumdem inventario. Cubiculum vero ipsum clavi obseratum habeat.

Aliis ministeriis quoque attendat.

26. Cum officio suo satisfecerit, si quid praeterea temporis ipsi liberum fuerit, confessionibus audiendis et aliis ministeriis ad Dei gloriam et animarum auxilium vacare poterit. Attamen his se commodabit magis quam tradet; neque ita sinet iisdem distrahi animum, ut ad negotia muneris sui propria languescat.

Quibus in rebus subsit Superiori locali.

27. Subditus sit Superioribus Domus, in qua degit, ad universam Domus observantiam religiosam; non tamen in iis, quae ad sui officii exsecutionem pertinent.

Procuratores Provinciarum ad negotia extra suam Provinciam.

28. Procuratores, Provinciarum vulgo dicti, qui extra suas Provincias stabilem habent sedem ad earum negotia ibidem gerenda, intelligant has easdem Regulas sibi esse observandas; atque in his Provincialis nomine sibi esse intelligendum Provincialem, in cuius Provincia degunt; cui proinde in gerendis negotiis subordinentur, ut hisce Regulis praescribitur; praeter quam in iis, de quibus Provincialis, cuius Provinciae deserviunt, suam mentem expresse declaraverit; de quibus Provincialis loci erit singillatim docendus.

REGULAE PRAEPOSITI

DOMUS PROFESSAE.

Caput I. — De iis, quae ad eius personam et totius Domus administrationem pertinent.

Qualis esse debeat. *P. 4 c. 10 n. 4.*

1. Omni studio enitatur, ut talis sit, qualis optatur Rector in nostris Constitutionibus; atque eo magis, quod illis praesit, quos viros spirituales et perfectionis studiosos esse oportet.

Oratione, etc. Domum sustineat. *P. 4 c. 10 n. 5.*

2. Primam officii sui curam in eo positam esse intelligat, ut oratione et sanctis desideriis totam Domum, velut humeris suis, sustineat; et quaecumque in iis, quibus praeest, ad ipsorum aliorumque aedificationem, iuxta Instituti nostri rationem, optare debet, prius in se ipso praestare studeat.

Vitet particularia in omnibus.

3. Communes Regulas ipse servet, et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, vitet; et familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios ne offendat.

Quando christianam doctrinam docebit. *P. 4 c. 10 n. 10. C. 2 can. 15 d. 65.*

4. Intra annum, postquam officium Praepositi prima vice inierit, quadraginta diebus christianam doctrinam eo modo, quo in secunda Congregatione de Rectore expositum est, legat aut doceat; sed ex causa per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

Consuetudines approbatae servandae.

5. Consuetudines receptas, et a Generali vel Provinciali approbatas, servet ac servari faciat: si tamen aliqua alia a praecedenti Praeposito inducta fuerit, non mutet inconsulto Provinciali; ipse vero, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

Novae non inducendae.

Constituendi qui domestica obeant ministeria. *P. 4 c. 10 n. 5, 6.*

6. Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique Regulas tradat, aliquando visitet, et, prout in Domino convenire iudicabit, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab eis removeat. Quia vero officia quaedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inveniuntur, non facile mutari debebunt.

P. 4 c. 10, E.

Officiales iuvandi. *P. 4 c. 10 n. 6.*

7. Ut prospicere Officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita, cum tempus vacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant divino servitio, curabit.

Designatio Confessarii. *P. 3 c. 1 n. 11.*

8. Etsi potestatem habet designandi Confessarios suis subditis, ordinarium tamen Confessarium Domus non constituet sine approbatione Provincialis.

Quando *in virtute obedientiae* iubendum. *P. 6 c. 5.*

9. Quamvis *in virtute obedientiae* iubere possit, non nisi rarissime, et ex gravi ac urgenti causa id faciat.

Quales poenitentiae imponendae.

10. Ordinarias tantum poenitentias imponat, quales sunt parva mensa, reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi usque ad panem et aquam, si res postulaverit, disciplina publica in refectorio, et alia exercitia humilia et domestica.

Quando dispenset in Regulis. *P. 4 c. 10, B. P. 9 c. 3 n. 8. C. 18 d. 7.*

11. Sicut ad Praepositum pertinet dispensare in Regulis, et Constitutionibus, et Decretis Congregationum generalium, cum particularibus, quando necesse erit; sic, et cum dispensaverit in rebus maioris momenti, quae videntur urgere, et in quibus sine gravi incommodo Provincialis responsum exspectari non potest, eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione ac eius causa admonere.

Vota solemnia et simplicia notanda. *P. 5 c. 3 n. 4. P. 5 c. 4 n. 4. C. 5 d. 50 n. 1.*

12. Nomina eorum, qui vota solemnia vel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur, in Professis quidem et Coadiutoribus formatis cum nominibus admittentium, in reliquis vero post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco et tempore, iuxta Constitutiones.

Unde cognoscet suas facultates.

13. Quas habeat facultates, partim ex iis, quae ipsi in his Regulis conceduntur, partim ex Compendio facultatum Societatis intelligat, ut in iis, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

Caput II. — De iis, quae Praepositum ad bonam administrationem iuvabunt.

Ne Minister et alii suo desint officio.

14. Sit sollicitus, ne Minister et reliqui Officiales suo desint officio, omissis aliis, quae possent impedire.

Consultationes faciendae. *P. 4 c. 10 n. 7. P. 9 c. 6 n. 14.*

15. Singulis, vel saltem alternis hebdomadis, cum suis Consultoribus conveniat (nisi pro re nata aliquid extraordinarie esset consultandum), deque rebus maioris momenti, quae pro temporum et negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat; quamquam, iis auditis, penes ipsum erit de singulis statuendi facultas.

Admonitor et Consultores libenter audiendi. *P. 9 c. 4 n. 4.*

16. Consultores aliosque omnes, cum ei aliquid proponunt, libenter et benigne excipiat, et praecipue eum, cui Monitoris officium commissum est; efficiatque, ut in sua Domo, quae in Formula Scribendi praescripta sunt, serventur.

Visitationes, et Ordinationes scribendae.

17. Habeat librum, in quo scribantur visitationes Domus a Generali approbatas; in quo etiam scribantur Ordinationes aliae alicuius momenti, quae a Generali mittuntur: et quae perpetuae fuerint, ab iis, quae temporariae sunt, separatim notentur; alia vero, quae Visitator et Provincialis praescripserint, in alio libro scribantur.

Unde Institutum Societatis cognoscat.

18. Institutum Societatis cognoscat ex lectione litterarum apostolicarum, Constitutionum et Decretorum generalium Congregationum: magis autem particularia ex lectione Regularum, tam Communium quam officii sui et aliorum, qui sub ipsius cura sunt, ac Provincialis, et Compendii facultatum Societatis, atque ex observatione consuetudinum receptarum, ac demum ex recursu ad Superiorem in iis de quibus dubitabit.

Quae in libellum referenda.

19. Libellum habeat, in quem referat quaecumque sibi ad bonum Domus statum subinde occurrent, ne memoria excidant, praecipuae illa, de quibus ad Generalem vel Provincialem scribendum putat.

Missas applicare potest *P. 2 c. 3 n. 2.*

20. Pro occurrentibus necessitatibus communibus et privatis, Missas

P. 7 c. 2, M. P. 7 c. 4 n. 3, 4. P. 10 n. 1, B.

et orationes suorum (moderate tamen) iuxta consuetudinem Societatis applicare poterit.

Caput III. — De cura Nostrorum in spiritu.

Obedientia in omnibus curanda. P. 4 c. 10 n. 8.

21. Curet, ut cuique in suo officio integram obedientiam caeteri praestent, et officiales Ministro, et sibi etiam omnes: studeatque eisdem exemplo obedientiae praeire, quam ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, praestare debet.

Observantia Regularum. * Prooem. Declar. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1. P. 10 n. 13.

22. Det operam, ut Constitutiones et * Regulae observentur: omnibus domesticis cum omni sollicitudine invigilet, eosdemque ab iis, quae nocere possint, domi et foris, defendat, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo.

Ratio conscientiae. Exa. c. 4 n. 36, 38. P. 6 c. 1 n. 2. C. 12 d. 15. C. 12 d. 16.

23. Efficiat, ut sibi, vel aliis ab ipso deputatis, statis temporibus ratio conscientiae reddatur iuxta modum, qui in officio Provincialis praescribitur, et Instructionem ad reddendam conscientiae rationem a Professis quidem et Coadiutoribus formatis semel in anno, ab aliis vero bis; et aliquos praeterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant, nisi Provincialis tunc adsit.

Renovatio votorum quando. P. 4 c. 4 n. 5. P. 5 c. 4 n. 6. C. 2 can. 14 d. 64.

24. Meminerit, ut Scholastici, si qui erunt, et Coadiutores non formati bis singulis annis, circa festa Circumcisionis Domini nostri et Apostolorum Petri et Pauli, vota sua renovent, praemissis illis, quae fieri solent.

Exhortatio quando et quibus de rebus habenda. P. 8 c. 1 n. 28.

25. Singulis vel alternis diebus Veneris exhortationem Nostris, vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri Instituti bene teneat, in qua agatur de observatione Constitutionum et Regularum, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione et aliis virtutibus, praesertim de obedientia: tametsi exhortationis loco, spiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi potest.

Crebro subditos alloquatur eorumque necessitatibus tempestive prospiciat.

26. Crebo et magna charitatis significatione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus, non corporis tantum, sed multo etiam magis animae, paterno affectu prospiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, praesertim gravi, eius peculiarem curam et sollicitudinem, non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat; nec, remedium longius differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

Ratio in poenitentiis habenda. P. 3 c. 1 n. 15.

27. In correctionibus et poenitentiis iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, et aedificationis universalis et particularis earum ad gloriam Dei.

Modus in correctionibus servandus. P. 3 c. 1, M.

28. Nisi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus observet, ut ii, qui peccant, primo, in charitate et dulcedine admoneantur; secundo, in charitate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et rubor iniiciatur; tertio, amori ea, quae timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur.

Publicae poenitentiae. P. 3 c. 1, M.

29. De publicis defectibus publica debet esse poenitentia, iis tantum, quae ad omnium aedificationem faciunt, declaratis.

Mortificationes publicae.

30. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosynam, aut comitetur emptorem, aut ut inserviat hospitali, aut in plateis concionetur, christianamve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur, habita ratione aedificationis et spiritualis utilitatis Nostrorum.

Poenitentiarum approbatio. *Exa. c. 1*, C.

31. Delegare poterit Confessario vel aliis vices suas, ut eas poenitentias approbent vel improbent, quas ad maiorem sui spiritus profectum assumere quisque volet; et ut Nostris, qui Sacerdotes non sunt, facultatem dare possint, frequentius quam octavo quoque die communicandi, quos ea ratione magis in spiritu iuvari in Domino iudicaverint.

Mensura in poenitentiis ne excedatur. *C. 1 d. 96. Exa. c. 1 n. 6.*

32. In danda facultate ieiunandi, sicut et in aliis poenitentiis concedendis, videat, ne mensuram rectae rationis excedat, detque operam, ut omnes intelligant, ad singularitatem non pertinere, si quis ieiunet aliis non ieiunantibus, dummodo ordinaria consuetudo ieiunandi, quae iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.

Nostrorum curet unionem. *P. 3 c. 1 n. 18. P. 3 c. 1*, P.

33. Unio et conformitas mutua diligentissime curanda est, nec ferenda inter ullos domesticorum perturbatio vel ira mutua; si quid autem huiusmodi accideret, curet, ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant.

Officia domestica a Sacerdotibus obeunda. *P. 3 c. 1 n. 19.*

34. Tam ipse, quam omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, iuxta Constitutiones aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui Domi inserviunt, ad tempus aliquod obibunt.

Litterae dandae. *Exa. c. 4 n. 6. P. 3 c. 1*, B.

35. Videat scripta et litteras omnes, quae scribuntur ad domesticos, et quas ipsi aliis scribunt; aut aliquem virum fidelem, et qui donum discretionis habeat, Domi constituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire iudicabit, sibique referat, si quid invenerit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quae alia ratione offendere possint, neminem scribere permittat; nec sigillum quemquam habere sinat sine Provincialis facultate.

Arma, instrumenta musica, et libri lascivi etc. *P. 3 c. 1 n. 14*, M.

36. Non sint Domi arma, nec instrumenta musica, nec libri lascivi aut vani, nec novae ullae recreationes introducantur.

Caput IV. — De auxilio animarum.

Instituti perfectio in Domibus Professis. *Exa. c. 1 n. 2. P. 4, prooem.*

37. Meminerit hoc pertinere ad scopum totius Societatis, ut ad animarum salutem et perfectionem cum divina gratia promovendam incumbat, et nostri Instituti puritatem in Domibus Professis praecipue elucescere debere, quae non tam circa media ad hunc finem praeparanda (quemadmodum Collegia), quam circa finem ipsum et usum mediorum ad eum conferentium versantur.

Zelus animarum.

38. Videat, an Nostri zelum habeant animarum, et an strenue ac diligenter earum salutem procurent, ut ii solent quos sanctus Dei amor impellit; nec solum immoderatos pro ratione virium labores suscipi non sinat, sed multo etiam minus in proximis iuvandis negligentiam toleret.

Assidue in ecclesia praedicandum. *P. 4 c. 8 n. 3, 6. P. 7 c. 4 n. 6, 7. C. 1 can. 21 d. 138. C. 2 can. 20 d. 58.*

39. Proponatur populo assidue in ecclesia verbum Dei in praedicationibus, et Sacrae Scripturae vel doctrinae christianae lectionibus, quod etiam in aliis ecclesiis, plateis et locis praestari potest, quando ad maiorem Dei gloriam conferre videbitur. Nominatim vero puerorum ac rudium personarum in christianismo institutionem, tamquam proprium nostrae vocationis ministerium, valde commendatum habeat, intelligatque christianam doctrinam canendo doceri posse, ubi ad maiorem aedificationem id fore observabitur. Modus autem, sive id canendo sive secus fiat, pro locorum ratione ad aedificationem et maiorem utilitatem exigatur.

C. 1 can. 14 d. 187.

Confessarii non desint. *P. 4 c. 8 n. 4. P. 7 c. 4 n. 5, 9. Bullae Pauli* III *et Iulii* III.

40. Procuret diligenter, ne desint designati Confessarii, qui Domi in administratione sacramentorum confessionis et communionis cum fructu exerceantur; quique extra Domum aegrotorum confessiones audire, morientibus opem ferre, et eos, qui in carceribus et hospitalibus inveniuntur, visitare et consolari possint, et reliquis pietatis operibus, quae in litteris apostolicis Instituti nostri et Constitutionibus proponuntur, incumbere: sed haec omnia ipse iuxta ordinem a Provinciali praescriptum exsequatur, qui pro ratione loci et copia Nostrorum metietur quantum in huiusmodi rebus operae sit ponendum.

Exercitia Spiritualia a quo tradentur. *P. 4 c. 8 n. 5. P. 7 c. 4 n. 8.*

41. Curet, ut Nostri in Spiritualibus Exercitiis tradendis accurate exerceantur, postquam ea in se fuerint experti; nullus tamen deberet ea tradere, nisi prudentia ac rerum spiritualium usu satis probatus esset.

Ad loca vicina mitti possunt Nostri.

42. Si Operariorum copia suppetet, poterit suos mittere ad alia loca vicina, habito consensu Provincialis, ut, similibus operibus charitatis functi, Domum constituto tempore redeant.

Aliqui Domi maneant.

43. Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abesse, sed semper Domi aut in ecclesia aliqui maneant, qui occurrentibus necessitatibus proximorum satisfacere possint.

Operariis prospiciendum.

44. Cum quis praedicationi, lectioni sacrae aut confessionibus audiendis vacat, provideat, ne studii tempus aliave necessaria illi desint.

De promovendis ad aliquod munus. *P. 4 c. 8 n. 2. P. 7 c. 4 n. 5, 6.*

45. Si quis ad sacros Ordines promovendus aut in Confessarium vel Concionatorem esse eligendus videbitur, Provincialem admoneat.

Quid de iis, qui offendiculo sunt.

46. Si quem ex iis, qui in ecclesia nostra assidue ad sacramenta accedunt, intelligeret vitae suae exemplo alios offendere, quantum in ipso est, remedium per Confessarium vel aliquem alium convenienti ratione adhibere curet.

Religiosarum curam ne suscipiant Nostri. *P. 6 c. 3 n. 5. C. 7 d. 56. C. 20 d. 12 n. 9.*

47. Non permittat, ut Nostri curam mulierum religiosarum et aliarum quarumcumque suscipiant, ut ordinarie illarum confessiones audiant, vel ipsas regant; quamvis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut semel unius Monasterii confessiones, speciales ob causas, audire; quod tamen non fiet, nisi postulent ii, qui eis praesunt.

Concionari et confessiones audire potest. *P. 9 c. 6 n. 1.*

48. Etsi proprium Praepositi officium est Domum sibi commissam diligenter ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deesse debet; si quando tamen per officii sui occupationes licebit, et concionari et confessiones audire, et alia Societatis ministeria exercere poterit ac debebit.

Caput V. — De ordine domestico.

Sacrum quotidie audiendum.

49. Quotidie post orationem matutinam fiat Sacrum, cui intersint omnes, qui Sacerdotes non sunt, nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad Sacrum audiendum concessum sit.

In oratione et examine visitandum.

50. Tempore orationi et examini assignato sit aliquis, qui observet, num omnes iis vacent, quod et Minister ipse aliquando faciat, et Praepositus huic rei diligenter invigilet.

Syndici officium. *P. 3 c. 1 n. 16. P. 4 c. 10 n. 7.*

51. Syndicum Domi constituat, ubi Ministri aut Subministri opera ad id non uteretur, cuius officium erit observare in omnibus, quod ad honestatem et decentiam externam pertinet, ecclesiam et Domum in locis publicis perlustrando, et si quid, quod non conveniat, adnotaverit, Superiori referendo.

Qua hora ad coenam, et cubitum eundum. P. 3 c. 2, E.

52. A posteriore prandii signo ad coenam octo, ut minimum, horae intersint: aliquid vero amplius usque ad refectiunculam diebus Veneris et ieiuniorum, iuxta morem regionis: a tempore autem, quo se Nostri cubitum receperunt, usque ad signum, quo excitantur, septem.

Benedictio mensae et gratiarum actio. C. 1 can. 6 d. 99. C. 4 d. 60.

53. Benedictio et gratiarum actio in refectorio iuxta usum Breviarii romani in prima mensa fiant; in secunda vero et privata retineri possunt antiqua benedictio et gratiarum actio, quae a singulis submisse et stando fieri debent.

Ordo in mensa servandus. C. 1 can. 30 d. 106.

54. In mensa Sacerdotes praecedant alios ad eum gradum non promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituatur.

Adsit primae mensae Minister.

55. Si aliqua de causa Praepositus primae mensae adesse non poterit, curet, ut Minister adsit.

Horae recreationis. P. 3 c. 2, D.

56. A prandio et a coena hora una, diebus autem Veneris post collationem vespertinam dimidia, recreationi religiose impendatur, idque in uno loco, si commode fieri poterit: sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari sine aliqua convenienti relaxatione sinat.

Conferentiae casuum conscientiae.

57. Conferentiae casuum conscientiae bis singulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commode poterunt, interesse debent, praeside docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentius explicare ac definire possit.

Caput VI. — De iis, quae pertinent ad res temporales.

Fiducia in Deum.

58. Magno et constanti animo speret a divina bonitate suae Domui subsidia temporalia adiicienda, si et Nostri ad quaerendum Dei regnum sibi et proximis serio incumbant, et ipse, ratione indigentiae, Instituti nostri integritatem violari numquam permittat.

Procurator eleemosynarum. P. 6 c. 2 n. 10.

59. Habeat Procuratorem, qui eleemosynas petat; cui alios ad eam rem substituere poterit, si necessarium iudicabit; ita tamen, ut quam paucissimi in mendicando occupentur.

A Procuratore rationem exigat. P. 4 c. 2 n. 5. P. 9 c. 3 n. 4, C.

60. Singulis mensibus a Procuratore rationem accepti et expensi, praesente Ministro, exigat, ut totius Domus administrationis ratio ipsi constet, eamque reddere possit cui et quando per Superiorem constituetur: caveat autem, ne Domus alieno aere gravetur.

In victu et vestitu moderatio. P. 6 c. 2 n. 16, H.

61. In iis, quae ad rationem victus et aliarum rerum vitae necessariarum aut convenientium spectant, quamvis curandum est, ut communis illa sit, et valetudini Nostrorum accommodata, habenda tamen semper est ratio humilitatis, paupertatis ac spiritualis aedificationis in Domino.

Qui in vinea Domini sublevandi sunt.

62. Ut curare debet, ne ii, qui in vinea Domini magno cum proximorum fructu se exercent, necessario subsidio privati, maiora bona relinquere cogantur, neve morbo aut aetate debiles ministerio fraternae charitatis destituantur; ita iis, qui neutra ratione aliorum indigent opera, adiutores assignare non debet.

Aegrotorum magna habenda cura. P. 3 c. 2, G.

63. Aegrotorum vero cura habeatur magna, et observetur diligenter tam in victus ratione, quam in caeteris, quod medicus praescripserit.

Eleemosynae in commune dispensandae.

64. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur ac dispensetur.

Collegiorum reditibus non utantur.

65. Caveat, ne Domus ipsa aliquisve Professorum aut Coadiutorum

Exa. c. 1 n. 4. P. 4 c. 2, F. P. 6 c. 2 n. 8.

reditibus Collegiorum, praeterquam in rebus minimis, utatur.

Stabilia statim vendenda. *P. 6 c. 2, E.*

66. Si quid stabile donatum legatumve Domui fuerit, Provincialem admoneat, ut quam primum vendatur et pretium in usus necessarios iuxta illius iudicium expendatur; temporis tamen opportunitas ad vendendum non est excludenda.

Lites fugiendae. *C. 2 can. 26 d. 55.*

67. Lites forenses fugiat, nec ullam inconsulto Provinciali intentet, nec intentatae respondeat, nisi cogatur.

Expensae extraordinariae. *P. 3 c. 1 n. 7, 9. C. 2 can. 3 d. 23.*

68. Si bona alicuius ex Nostris distribuenda essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti, et expensae extraordinariae faciendae, aut si bona offerantur cum aliqua obligatione, rem ad Provincialem deferat.

Deposita non admittantur.

69. Depositum pecuniae nullum prorsus admittat; aliarum vero rerum non nisi cautissime, dummodo sint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officii sine magna offensione denegari non possit.

Examinatio Nostrorum in civilibus. *P. 6 c. 3 n. 8.*

70. Neminem ex Nostris in causis civilibus, nedum criminalibus examinari (nisi qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat absque licentia, quam minime dabit, nisi in causis quae ad religionem catholicam pertinent, aut alioqui piae sint, et ita uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant.

Quomodo iumento domi utendum. *P. 6 c. 2 n. 14, K.*

71. Nullum domi iumentum equitandi causa ad usum alicuius de ipsa Societate ordinarie habeatur, nisi aut propter continenter infirmam alicuius valetudinem, aut propter publica negotia id necessarium et urgens iudicaret Generalis.

Caput VII. — De communicatione cum externis, et gratitudine erga fundatores et benefactores.

Mulierum visitatio et ad eas litterae.

72. Mulieres invisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus Nostros non sinat; nec hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis et prudentibus.

Domum non ingrediantur mulieres. *P. 3 c. 1 n. 14.*

73. Non permittat feminas Domum nostram ingredi.

Magni viri quando invisendi. *P. 6 c. 2 n. 9.*

74. Curet, ne primarios viros invisere Nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur, vel quando intima benevolentia in Domino coniuncti essent.

Munuscula. *P. 6 c. 2 n. 9.*

75. Non sinat offerri munuscula, quae magnatibus ad res maiores obtinendas offerri solent.

Nostri non capiant cibum apud externos nec ab eis visitentur cum aegrotant.

76. Non permittat, ut Nostri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum aegrotant, visitentur, nisi causa non levis momenti ad id concedendum moveret; quam eamdem esse oportebit, si quando externus aliquis ad mensam, praesertim refectorii, invitandus videretur.

Amici conservandi, inimici reconciliandi. *P. 10, B.*

77. Amicos conservare, et eos, qui male erga nos affecti sunt, praecipue si homines sint non vulgaris auctoritatis, orationibus et rationibus convenientibus in amicitiam revocare, aut saltem ne adversarii sint efficere studeat.

Gratitudo erga fundatores et benefactores. *P. 4 c. 1.*

78. Observet, quae erga fundatores et benefactores, tam vivos quam mortuos, observanda sunt, eisque gratitudinem exhibeat; et, si quam aliam obligationem Domus habet, ei satisfieri curet.

Caput VIII. — De iis, qui admitti petunt, ad Domum divertunt, aut foras mittuntur.

In Societatem neminem admittat.

79. In Societatem neminem admittat, nisi a Generali vel Provinciali id

P. 1 c. 1 n. 2. ipsi committatur; sed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel scribat quales illi sint, et quibus donis Dei praediti.

Quid cum valde idoneis agendum. P. 1 c. 1, A.

80. Si is, qui admitti petit, ad Institutum Societatis valde idoneus videbitur et necessitas urgeret, poterit eum tamquam hospitem domi recipere, donec responsum a Provinciali accipiat, vel ad eumdem mittere, si expedire iudicaverit.

Quid cum recedente sine licentia vel dimisso. P. 2 c. 4 n. 1, A.

81. Recedentem sine licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimissum non admittat; sed, si expedire videretur, ad Provincialem de eo scribat, et eius ordinationem exspectet, illo domi, ut hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento.

Charitas erga alios per Domos transeuntes. P. 4 c. 2, F. P. 6 c. 2, D. C. 7 d. 18.

82. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Domum transeuntes, eosque amanter hospitio excipiat; ac meminerit, se aliquo viatico aut eleemosyna eos, si indigerent, iuvare posse: curet item diligenter dirigere ac iuvare expeditiones hospitum, qui negotiorum causa domi versantur.

Externi quando Domi pernoctabunt.

83. Externi ne accipiantur hospitio ut Domi pernoctent, nisi ii sint, quibus multum debeatur, aut id officii sine magna offensione praetermitti non possit: qua in re habeatur praecipua ratio Religiosorum, cum necessitatis causa ad nos divertunt.

Cum socio Domo egrediendum. P. 3 c. 1 n. 3.

84. Cum quis Domo egredietur, det ei socium convenientem; si quando autem aliquis solus foras mittitur, is sit cui merito possit confidere.

Non sine patentibus mittendi. P. 7 c. 2, M.

85. Neminem ex sua Domo in alium locum mittat sine litteris patentibus.

Quid de male habentibus. P. 3 c. 2, G.

86. Si quis experimento comperiretur ferre non posse Domus coelum, et male habere continenter cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Provincialem admoneat, an alio mitti debeat.

Quid cum profecturis alio.

87. Profecturi ad alia loca, ea, quam sottanam vocant, et aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent, nisi forte ratio temporis aut alioqui charitas suaderet melioribus esse commutanda. Reliqua vero omnia, quae ad iter necessaria erunt, magna charitatis significatione ab eo loco, unde mittuntur, subministrentur, sumptibus tamen eorum, quorum erit expensas itineris solvere.

REGULAE PROCURATORIS

DOMUS PROFESSAE.

Qualis esse debeat.

1. In omnium negotiorum tractatione perpetuo memor sit Instituti Societatis, quae, Dei omnipotentis gloriam quaerens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipse verbo et exemplo, praesertim humilitatis et patientiae, eos omnes aedificare, quibuscum conversatur, atque eos sibi benevolos conservare, quorum opera ad negotia peragenda indiget; et cum oportuerit de Instituti nostri ratione illos informet.

Circa eleemosynas quaerendas. *P. 6 c. 2 n. 10.*

2. Quaerat diligenter eleemosynas, easque simpliciter et amore Domini petat, nec non et eas augere ac conservare studeat, opportuneque eos visitet, e quibus petendae erunt.

Catalogus facientium eleemosynas.

3. Habeat catalogum eorum, qui ordinarie et extraordinarie eleemosynas faciunt, et de his certiorem faciat Superiorem; ac videat, ne sua negligentia aliquos praetermittat, quorum beneficio Domus iuvari possit.

Modus eas petendi.

4. Animadvertat quid, a quibus petere debet, iuxta id quod unusquisque facilius et commodius suo tempore dare possit: et caveat, ne in petendis eleemosynis gravis vel molestus externis sit; ita ut ad eos, cum oportuerit, gratus semper pateat aditus Nostrorum.

Officii socium habeat. *P. 6 c. 2 n. 10.*

5. Habeat socium a Superiore designatum, cuius opera utatur in his, quae ad suum officium pertinent, praeter alium (ubi opus erit) qui, in virtute et conversatione probatus, possit eleemosynas ordinarias per domos colligere.

Eleemosynas quotidie scribat.

6. Procuratoris erit quascumque eleemosynas recipere, et quaecumque afferuntur Domum in libro quodam ad id designato quotidie scribere.

Eas non accipiat pro ministeriis Societatis. *Exa. c. 1 n. 3. P. 6 c. 2 n. 6, 7.*

7. Videat in quaerendis vel admittendis eleemosynis, ne praeiudicium fiat puritati nostri Instituti, quod attinet ad eius ministeria gratis omnino exercenda.

Arca pecuniarum, et liber.

8. Pecunia, undecumque provenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio Superioris in arca reponatur ad id designata. Huius Praepositus clavem unam, et ipse Procurator alteram diversam custodiat: in eadem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniae summa, tam eius quae infertur, quam eius quae effertur. Si quando autem, cogente aliqua necessitate, pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti et expensi summa semel in hebdomada in eodem libro scribatur, ac si in ea reponeretur.

Scribat pecuniam ex arca acceptam

9. Quoties ex arca pecuniam acci-

piet, eius summam et diem in libro suarum rationum adscribat; in altera vero parte libri, expensi ratio constet.

A Novitiis allata, asservari debent. *Exa. c. 4 n. 4. P. 1 c. 4 n. 6.*

10. Procurator in libro ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia quae unusquisque Novitiorum Domum attulerit, cum eiusdem subscriptione; et ea custodi vestium asservanda tradat, nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, ubi pecuniae Domus reponuntur, donec, biennio expleto, Novitius consueta vota Societatis emittat.

Superiori rationem reddet. *P. 4 c. 2 n. 5.*

11. Singulis mensibus dati et accepti rationem Superiori reddet, et debita etiam indicabit, quo ipse Domus statum prorsus intelligat.

Quae in archivio Domus asservabit, et quot claves.

12. Diligenti cura asservabit in archivio ad hoc designato instrumenta originalia et titulos, quibus constat de iure eorum, quae Domus ad usum et propriam habitationem possidet, suis locis reposita, ut facile inveniri possint. Archivii autem duae claves diversae erunt, quarum alteram Praepositus, alteram ipse habebit Procurator.

Habeat etiam authentica documenta.

13. Item seorsum habebit haec eadem instrumenta et titulos manu Notarii publici subscriptos, ut fidem faciant, si aliquando in iudicio praesentari necesse sit.

Liber instrumentorum, etc.

14. Praeter haec Procurator librum habebit, in quo summa quaedam horum instrumentorum et titulorum contineatur. Cum autem contractus maioris momenti, praesertim rerum perpetuarum, fient, redigat in memoriam Praeposito, ad archivium, quod est in Urbe penes Praepositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.

Cubiculum clavi obseratum habeat: quae scripta apud se asservabit.

15. Cubiculum clavi obseratum habeat, et asservabit scripturas, quibus ad procuratorium munus indigebit: cumque alias ex archivio accipiet, earum, in libro, qui in eodem archivio erit, annotato die, mense et anno, memoriam relinquet; quas, cum suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

Res bonas, et opportuno tempore emi curet.

16. Cum toti Domui necessaria providere ipse debeat, iuxta Superioris ordinem, curet ut res omnes, praecipue diu duraturae, quam opportune emantur; ne, aut non perinde bonas, aut non aequo pretio cogatur comparare: caveat etiam ne, dum nimium pecuniae parcit, non bonas aut insalubres res emat.

Emptori pecunias dabit; ab eo quotidie rationem exiget. *Reg. 2 Emptor.*

17. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exiget rationem ex codice; summam vero in librum suum ipse referet.

Curabit res emptas conservari.

18. Videat, num ea, quae empta sunt, illaesa conserventur; atque animadvertens aliqua, non ut oportet, conservari aut expendi, Superiorem vel Ministrum admoneat.

REGULAE RECTORIS.

Caput I. — De iis, quae ad eius personam et totius Collegii administrationem pertinent.

Oratione etc. Collegium sustineat. P. 4 c. 10 n. 4, 5.

1. Omni studio enitatur, ut talis sit, qualis optatur in nostris Constitutionibus, primamque officii sui curam in eo positam esse intelligat, ut oratione et sanctis desideriis totum Collegium, velut humeris suis, sustineat.

Particularia vitet.

2. Communes Regulas ipse servet, et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, vitet, et familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios ne offendat.

Doctrinam christianam doceat. P. 4 c. 10 n. 10. C. 2 can. 15 d. 65.

3. Intra annum, postquam officium Rectoris prima vice inierit, quadraginta diebus christianam doctrinam, eo modo quo in secunda Congregatione expositum est, legat aut doceat; sed ex causa per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

Consuetudines servet, et nihil immutet.

4. Consuetudines receptas, et a Generali vel Provinciali approbatas, servet ac servari faciat: si tamen aliqua alia a praecedenti Rectore inducta fuerit, non mutet inconsulto Provinciali; ipse vero, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

Ministeria domestica distribuat.

5. Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique Regulas tradat, aliquando visitet, et, prout in Domino convenire iudicabit, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab eis removeat. Quia vero officia quaedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei invenientur, non facile mutari debebunt. P. 4 c. 10 n. 5, 6. P. 4 c. 10, E.

Officiales sublevandi. P. 4 c. 10 n. 6.

6. Ut prospicere Officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita, cum tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino servitio, curabit.

Designatio Confessarii.

7. Etsi potestatem habeat designandi Confessarios suis subditis, ordinarium tamen Confessarium Collegii non constituet sine approbatione Provincialis.

Quando in praecepto iubendum. P. 6 c. 5.

8. Quamvis *in virtute obedientiae* iubere possit, non nisi rarissime, et ex gravi ac urgenti causa id faciat.

Quales poenitentias imponet. C. 20 d. 16.

9. Ordinarias tantum poenitentias imponat, quales sunt parva mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi usque ad panem et aquam, si res postulaverit, disciplina publica in refectorio, et alia exercitia humilia et domestica.

Quando in Regulis dispenset. P. 4 c. 10, B. P. 9 c. 3 n. 8. C. 18 d. 7.

10. Sicut ad Rectorem pertinet dispensare in Regulis, Constitutionibus, et Decretis Congregationum generalium cum particularibus, quando necesse erit; sic et, cum dispensaverit in rebus maioris momenti, quae videntur urgere, et in quibus sine gravi incommodo Provincialis responsum exspectari non potest, eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione ac eius causa admonere.

Notentur in libro qui vota emiserunt. P. 5 c. 3 n. 4. P. 5 c. 4 n. 4. C. 5 d. 50 n. 1.

11. Nomina eorum, qui vota solemnia vel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur: in Professis quidem et Coadiutoribus formatis, cum nominibus admittentium; in reliquis vero post biennium, cum nominibus celebrantium, adnotato loco et tempore iuxta Constitutiones.

Unde suas facultates intelligat.

12. Quas habeat facultates, partim ex iis, quae ipsi in his Regulis conceduntur, partim ex Compendio facultatum Societatis intelligat, ut in iis, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

Caput II. — De iis, quae Rectorem ad bonam administrationem iuvabunt.

Ne desint officio suo Officiales.

13. Sit sollicitus, ne Minister et reliqui Officiales suo desint officio, omissis aliis, quae possent impedire.

Singulis hebdomadis consultandum. P. 4 c. 10 n. 7. P. 9 c. 6 n. 14.

14. Singulis, vel saltem alternis hebdomadis cum suis Consultoribus conveniat (nisi pro re nata aliquid extraordinarie esset consultandum), deque rebus maioris momenti, quae pro temporum et negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quamquam, iis auditis, penes ipsum erit de singulis statuendi facultas.

Consultores et Admonitorem benigne audiat.

15. Consultores aliosque omnes, cum ei aliquid proponunt, libenter ac benigne excipiat, et praecipue eum, cui Monitoris officium commissum est; efficiatque, ut in suo Collegio, quae in Formula Scribendi praescripta sunt, accurate serventur. P. 9 c. 4 n. 4.

Quae in libris scribenda.

16. Habeat librum, in quo scribantur visitationes Collegii a Generali approbatae, in quo etiam scribantur ordinationes aliae alicuius momenti, quae a Generali mittuntur: et quae perpetuae fuerint, ab iis, quae temporariae sunt, separatim notentur; alia vero, quae Visitator et Provincialis praescripserint, in alio libro scribantur.

Unde Institutum cognoscet.

17. Institutum Societatis cognoscat ex lectione litterarum apostolicarum, Constitutionum, et Decretorum generalium Congregationum; magis autem particularia ex lectione Regularum, tam Communium, quam officii sui et aliorum, qui sub ipsius cura sunt ac Provincialis, et Compendii facultatum Societatis, atque ex observatione consuetudinum receptarum, ac demum ex recursu ad Superiorem in iis, de quibus dubitabit.

In libellum referat, quae ad bonum Collegii occurrunt.

18. Libellum habeat, in quem referat quaecumque sibi ad bonum Collegii statum subinde occurrent, ne memoria excidant, praecipue illa, de quibus ad Generalem vel Provincialem scribendum putat.

Missas applicare potest. P. 2 c. 3 n. 2. P. 7 c. 2, M. P. 7 c. 4 n. 3, 4. P. 10 n. 1, B.

19. Pro occurrentibus necessitatibus, communibus et privatis, Missas et orationes suorum (moderate tamen) iuxta consuetudinem Societatis applicare poterit.

Caput III. — De cura Nostrorum in spiritu.

Obedientia in omnibus servanda. P. 4 c. 10 n. 8.

20. Curet, ut cuique in suo officio integram obedientiam collegiales praestent, et Officiales Ministro, et sibi etiam omnes, studeatque eisdem exemplo obedientiae praeire, quam

ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, praestare debet.

Constitutionum et Regularum observantia. *Prooem. in Decl. et Annot. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1. P. 10 n. 13.*

21. Det operam, ut Constitutiones et Regulae observentur; omnibus collegialibus cum omni sollicitudine invigilet, eosdemque ab iis, quae nocere possint domi et foris, defendat, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita ut in virtutibus et litteris proficiant.

Conscientiae ratio reddenda. *Exa. c. 4 n. 36, 38, 41. P. 6 c. 1 n. 2. C. 12 d. 15, 16.*

22. Efficiat, ut sibi, vel aliis ab ipso deputatis, statis temporibus ratio conscientiae reddatur a suis, iuxta modum, qui in officio Provincialis praescribitur, et Instructionem ad reddendam conscientiae rationem; et aliquos praeterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant, nisi Provincialis tunc adsit.

Vota bis in anno renovanda. *P. 4 c. 4 n. 5. P. 5 c. 4 n. 6. C. 2 can. 14 d. 64.*

23. Meminerit, ut Scholastici et Coadiutores non formati bis singulis annis, circa festa Circumcisionis Domini nostri et Apostolorum Petri et Pauli, vota sua renovent, praemissis iis, quae fieri solent.

Quando exhortationes Nostris faciendae. *P. 3 c. 1 n. 28.*

24. Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem Nostris, vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri Instituti bene teneat, in qua agatur de observatione Constitutionum et Regularum, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione et aliis virtutibus, praesertim de obedientia; tametsi exhortationis loco spiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi potest. *C. 6 d. 40 n. 3.*

Subditos cum charitate alloquatur. *Ord. Gen. c. 2 n. 16.*

25. Crebro et magna charitatis significatione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus, non corporis tantum, sed multo etiam magis animae, paterno affectu prospiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, praesertim gravi, eius peculiarem curam et sollicitudinem, non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat; nec, remedium longius differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

Modus iniungendi poenitentias. *P. 3 c. 1 n. 15.*

26. In correctionibus et poenitentiis iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, et aedificationis universalis et particularis earum, ad gloriam Dei.

Correctio ut facienda. *P. 3 c. 1, H.*

27. Nisi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus observet: ut ii, qui peccant, primo, in charitate et dulcedine admoneantur; secundo, in charitate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et rubor iniiciatur; tertio, amori ea, quae timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur.

Publica poenitentia. *P. 3 c. 1, H.*

28. De publicis defectibus publica debet esse poenitentia, iis tantum, quae ad omnium aedificationem faciunt, declaratis.

Publicae mortificationes.

29. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosynam, aut ut inserviat hospitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, christianamve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur, habita ratione aedificationis, et spiritualis utilitatis Nostrorum.

Poenitentiarum approbatio. *Exa. c. 1, C.*

30. Delegare poterit Confessario vel aliis vices suas, ut eas poenitentias approbent vel improbent, quas ad maiorem sui spiritus profectum assumere quisque volet.

Ut concedendae. *C. 1 d. 96. C. 5 d. 27. C. 6 d. 9.*

31. In danda facultate ieiunandi, sicut et in aliis poenitentiis concedendis, videat, ne mensuram rectae rationis excedat, detque operam, ut omnes intelligant, ad singularitatem non pertinere, si quis ieiunet aliis non ieiunantibus, dummodo ordinaria

consuetudo ieiunandi, quae iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.

Unionem curet. P. 3 c. 1 n. 18, F.

32. Unio et conformitas mutua diligentissime curanda est, nec ferenda inter ullos domesticorum perturbatio vel ira mutua: si quid autem huiusmodi accideret, curet, ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant.

Officia domestica a Sacerdotibus obeunda. P. 3 c. 1 n. 19.

33. Tam ipse, quam omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, iuxta Constitutiones, aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui domi inserviunt, ad tempus aliquod obibunt.

Nostri quando communicabunt. P. 4 c. 4, B. C. 23 d. 37.

34. Non permittat nostros Scholasticos frequentius, quam octavo quoque die, communicare, nisi particulares ob causas, habita magis ratione necessitatis, quam devotionis; diebus tamen solemnibus in hac re dispensare poterit. Coadiutoribus vero, et iis, qui litteris non dant operam, longe facilius concedi potest, ut etiam intra hebdomadam communicent; et Praefecto rerum spiritualium aut Confessario delegari, ut id concedat iis, quos ea ratione magis in spiritu iuvari in Domino iudicabit.

Litterae dandae. Exa. c. 4 n. 6. P. 3 c. 1, B.

35. Videat scripta et litteras omnes, quae scribuntur ad domesticos, et quas ipsi aliis scribunt; aut aliquem virum fidelem, qui donum discretionis habeat, domi constituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire iudicabit, sibique referat, si quid invenerit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quae alia ratione offendere possint, neminem scribere permittat: nec sigillum quemquam habere sinat sine Provincialis facultate.

Arma, instrumenta musica, libri lascivi etc. P. 3 c. 1 n. 14, M.

36. Non sint in Collegio arma, nec instrumenta musica, nec libri lascivi aut vani, nec novae ullae recreationes introducantur.

Caput IV. — De litterarum studiis.

Ad studia admittendi. P. 4 c. 5 n. 2. P. 4 c. 13 n. 4.

37. Neminem ad inchoanda studia admittat, nec eos, qui ad illa ex Provincialis commissione admissi fuerint, ad aliam Facultatem promoveat absque eiusdem Provincialis approbatione; cui, post maturam considerationem et examen, de unoquoque suo tempore significabit quid sentiat.

Scholasticorum curam geret. P. 4 c. 6 n. 3. P. 4 c. 4 n. 1. C. 7 d. 80 n. 17.

38. Impedimenta removeat, quae a studiis animos Scholasticorum avocant, qualia sunt nimiae mortificationes vel devotiones, vel externae occupationes, aut colloquia cum externis; quae quidem raro, et paucis, nec sine expressa ipsius licentia, permitti debent. Et circa illorum valetudinem peculiari cura animadvertat, ut et in laboribus mentis modum servent, et in iis, quae ad corpus pertinent, religiosa commoditate tractentur, ut diutius in studiis perseverare, tam in litteris addiscendis, quam in eisdem exercendis, ad Dei gloriam possint.

Professores suo munere fungantur. P. 3 c. 1 n. 18, O. P. 4 c. 5 n. 4. P. 3 c. 1 n. 8, K. P. 4 c. 6 n. 15.

39. Videat, quomodo Professores omnes suo munere fungantur, curetque diligenter a Philosophiae et Theologiae Professoribus ea servari circa opinionum diversitatem, quae in Constitutionibus et Ratione Studiorum praescripta sunt. Intelligat etiam per se vel per alios quomodo Scholastici in suis studiis proficiant: quod si animadverteret aliquem in iis inutiliter tempus terere, ad Provincialem referat.

Dies vacationis. P. 4 c. 13 n. 5. P. 6 c. 2, D.

40. Singulis hebdomadis dies unus saltem a prandio Scholasticis ad quietem destinatus sit, in quo eos ad hortum, aut praedium Collegii, vel alio, exercitii corporis vel recreandi

animi gratia, mittere poterit; in reliquis autem studiorum intermissionibus sequatur ordinem a Generali vel Provinciali constitutum.

Quando Praeceptores instituet. P. 4 c. 6, F.

41. Etsi Praeceptorem publicum in scholis instituere non potest absque Provincialis facultate, ad tempus tamen necessitatis gratia id facere poterit.

De dispensatione ad gradus litterarios. P. 4 c. 6 n. 17. P. 4 c. 15 n. 4.

42. In actibus promovendorum ad gradus litterarios (ad quos Nostri sine facultate Generalis promoveri non possunt), si qua in re alicuius momenti dispensatione opus esset, Provincialem admoneat.

Regulae publice legendae. P. 4 c. 10, L. C. 2 can. 16 d. 66.

43. Constitutiones sive Regulae, quae ad Scholasticos Societatis pertinent, publice in refectorio bis aut ter singulis annis legantur.

De cuiusque talentis Provincialem admoneat. P. 4 c. 9 n. 3. P. 4 c. 6. C. P. 4 c. 8 n. 2. P. 7 c. 4 n. 5.

44. Sub finem studiorum cuiusque, suarum esse partium Rector intelligat, auditis Consultoribus, Provincialem de uniuscuiusque talento admonere; et quantum singuli profecerint referre, et num aliqui ad sacros Ordines promovendi sint, aut in Confessarios, aut Concionatores, aut Lectores eligendi, proponere.

Caput V. — De ordine domestico.

Sacrum quotidie audiendum.

45. Quotidie post orationem matutinam fiat Sacrum, cui intersint omnes, qui Sacerdotes non sunt; nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad Sacrum audiendum concessum sit.

In ecclesia communicandum. Exa. c. 4 n. 25. P. 3 c. 1 n. 11.

46. Quando Nostri ad sacram communionem accessuri sunt, praesertim diebus dominicis, curet, ut in ecclesia (si commode fieri potest) id faciant; separati tamen ab externis, quantum locus feret.

In oratione et examine visitandum.

47. Tempore orationi et reliquis exercitiis assignato sit aliquis, qui observet, num omnes iis vacent: quod etiam Minister, et ipsemet Rector aliquando faciat.

Syndici officium. P. 3 c. 1 n. 16. P. 4 c. 10 n. 7.

48. Syndicum domi constituat, ubi Ministri aut Subministri opera ad id non uteretur; cuius officium erit observare in omnibus quod ad honestatem et decentiam externam pertinet, ecclesiam et domum in locis publicis perlustrando, et si quid, quod non conveniat, annotaverit, Superiori referendo. Praeter hunc alios particulares syndicos in classibus singulis habeat, qui, quantum fieri poterit, ex prudentioribus et maturioribus deligantur. P. 4 c. 17 n. 7.

Corporalis exercitatio. P. 3 c. 2 n. 4.

49. Omnes, praeter illos, quos ipse iudicaverit excipiendos, horae quadrantem ante prandium vel coenam corporis exercitationi tribuant.

Qua hora ad coenam et cubitum eundum. P. 3 c. 2, E.

50. A posteriore prandii signo ad coenam octo, ut minimum, horae intersint; aliquid vero amplius usque ad refectiunculam vespertinam diebus Veneris et ieiuniorum, iuxta morem regionis; a tempore autem, quo se Nostri cubitum receperunt, usque ad signum, quo excitantur, septem.

Benedictio mensae, et gratiarum actio. C. 1 can. 6 d. 99. C. 4 d. 60.

51. Benedictio et gratiarum actio in refectorio iuxta usum Breviarii romani in prima mensa fiant; in secunda vero et privata, retineri possunt antiqua benedictio et gratiarum actio, quae a singulis submisse et stando fieri debent.

Ordo in mensa servandus. C. 1 can. 30 d. 106.

52. In mensa Sacerdotes praecedant alios ad eum gradum non promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituatur.

Adsit primae mensae Minister.

53. Si aliqua de causa Rector primae mensae adesse non poterit, curet, ut Minister adsit.

Quando concionandum in refectorio. Exa. c. 4 n. 25.

54. Dominicis diebus et festis, si commode fieri potest, et aliis etiam, si Superiori videatur, sint aliqui, pro

P. 3 c. 1 n. 5, 21. C. 7 d. 80 n. 6.

multitudine Scholarium, a Superiore delecti, qui inter coenandum pro lectione concionem habeant, quibus ad se parandum, propter varias occupationes quibus Scholastici distinentur, bidui fere spatium pro Superioris arbitrio dandum erit.

Hora recreationis. P. 3 c. 2, D.

55. A prandio et a coena hora una, diebus autem Veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiose impendatur; idque in uno loco, si commode fieri poterit: sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari sine aliqua convenienti relaxatione sinat.

Toni quando faciendi. P. 3 c. 1 n. 21.

56. Scholastici omnes, ubi aliqua fuerit eorum copia, pro more Societatis (nisi quis eximendus videretur) diebus saltem dominicis, ad finem recreationis post prandium, in tonis seu ratione concionandi, exerceantur, de iis crebro tractantes, quae ad sui abnegationem, et in virtutibus profectum, et fraternam charitatem spectant. Utilitas autem maior erit, si quadrante horae circiter praemoneantur qui tonos facturi sunt, themate illis assignato.

C. 7 d. 80 n. 7. Instr. 2 n. 5.

Caput VI. — De iis, quae pertinent ad res temporales.

A Procuratore ratio exigenda. P. 4 c. 2 n. 5. P. 9 c. 3 n. 4, C.

57. Singulis mensibus a Procuratore rationem accepti et expensi, praesente Ministro, exigat; ut totius Domus administrationis ratio ipsi constet, eamque reddere possit cui et quando per Superiorem constituetur: caveat autem, ne Collegium aere alieno gravetur.

Quae ratio in victu et vestitu servanda. P. 3 c. 2 n. 3.

58. In iis, quae ad victum, vestitum, et habitationem, et alia corpori necessaria pertinent, curet, ut quamvis sit in quo probetur virtus et sui ipsius abnegatio, non desit tamen, quo sustentetur natura, habita convenienti ratione personarum in Domino. Cum Scholasticis vero in iis, quae ad vestitum attinent, magis quam cum iis, qui probantur, exterioris decentiae ratio habeatur. P. 3 c. 2, C.

Aegrotorum cura. P. 3 c. 2, G.

59. Aegrotorum cura habeatur magna; et observetur diligenter, tam in victus ratione quam in caeteris, quod Medicus praescripserit.

A saecularibus missa.

60. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in commune usum accipiatur ac dispensetur.

Usus redituum Collegiorum. Exa. c. 1 n. 4. P. 4 c. 2, F. P. 6 c. 2 n. 3.

61. Caveat, ne qua Domus Professorum, aut aliquis eorum, vel Coadiutorum formatorum, reditibus Collegii sui, praeterquam in rebus minimis, utatur, nisi is eidem Collegio necessarius sit aut conveniens, ut in eo commoretur.

Lites fugiendae. C. 2 can. 26 d. 55.

62. Lites forenses fugiat, nec ullam inconsulto Provinciali intentet, nec intentae respondeat, nisi cogatur.

Expensae extraordinariae. P. 3 c. 1 n. 7, 9. C. 2 can. 3 d. 33.

63. Si bona alicuius ex Nostris distribuenda essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti et expensae extraordinariae faciendae, aut si bona offerantur Collegio cum aliqua obligatione, rem ad Provincialem deferat.

Deposita quomodo admittenda.

64. Depositum pecuniae nullum prorsus admittat, nisi servato decreto 32 Congregationis XVI; aliarum vero rerum non nisi cautissime, dummodo sint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officii sine magna offensione denegari non possit.

Quando Nostri in civilibus examinandi. P. 6 c. 3 n. 8.

65. Neminem ex Nostris in causis civilibus, nedum criminalibus, examinari (nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat absque licentia; quam minime dabit, nisi in causis, quae ad religionem catholicam pertinent, aut alioqui piae sint, et ita uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant.

Caput VII. — De auxilio animarum, communicatione cum externis, et gratitudine erga fundatores et benefactores.

Ministeria Societatis. P. 4 c. 8 n. 3, 6. P. 7 c. 4 n. 6, 7. C. 1 can. 21 d. 138. C. 2 can. 20 d. 58.

66. Det operam, ut a Nostris ministeria Societatis, iuxta Provincialis praescriptum et cuiusque talentum, exerceantur, non solum in nostra, sed etiam in aliis ecclesiis, carceribus et aliis locis, quantum commode fieri poterit; nominatimque ministerium doctrinae christianae commendatum habeat.

Exercitia Spiritualia a quo tradentur. P. 4 c. 8 n. 5. P. 7 c. 4 n. 8.

67. Curet, ut Nostri in Spiritualibus Exercitiis tradendis accurate exerceantur, postquam ea in se fuerint experti: nullus tamen deberet ea tradere, nisi prudentia ac rerum spiritualium usu satis probatus esset.

Religiosarum curam ne suscipiant Nostri. P. 6 c. 3 n. 5. C. 7 d. 56. C. 20 d. 12 n. 9.

68. Non permittat, ut Nostri curam mulierum religiosarum suscipiant et aliarum quarumcumque, ut ordinarie illarum confessiones audiant, vel ipsas regant: quamvis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut semel unius Monasterii confessiones, speciales ob causas, audire; quod tamen non fiet, nisi postulent ii, qui eis praesunt.

Concionari, et confessiones audire potest. P. 9 c. 6 n. 1.

69. Etsi proprium Rectoris officium est, Collegium sibi commissum diligenter ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deesse debet; si quando tamen per officii sui occupationes licebit, et concionari, et confessiones audire, et alia Societatis ministeria exercere poterit.

Mulierum visitatio et litterae.

70. Mulieres invisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus, Nostros non sinat; neque hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis et prudentibus.

Collegium non ingrediantur feminae. P. 3 c. 1 n. 14.

71. Non permittat feminas Collegium nostrum ingredi.

Magni viri quando invisendi. P. 6 c. 2 n. 9.

72. Curet, ne primarios viros invisere Nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur, vel quando intima benevolentia in Domino coniuncti essent.

Munuscula. P. 6 c. 2 n. 9.

73. Non sinat offeri munuscula, quae magnatibus ad res maiores obtinendas offerri solent.

Nostri non capiant cibum apud externos, nec ab eis visitentur, cum aegrotant.

74. Non permitat, ut Nostri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum aegrotant, visitentur, nisi causa non levis momenti ad id concedendum moveret; quam eamdem esse oportebit, si quando externus aliquis ad mensam, praesertim refectorii, invitandus videretur.

Amici conservandi, etc. P. 4 c. 10, C. P. 10, B.

75. Amicos conservare, et eos, qui male erga nos affecti sunt, praecipue si homines sint non vulgaris auctoritatis, orationibus et rationibus convenientibus in amicitiam revocare, vel saltem, ne adversarii sint, efficere studeat.

Gratitudo erga fundatores et benefactores. P. 4 c. 1.

76. Observet quae erga fundatores et benefactores, tam vivos quam mortuos, observanda sunt, eisque gratitudinem exhibeat; et aliis obligationibus, si quas Collegium habet, satisfieri curet.

Caput VIII. — De iis, qui admitti petunt, ad Collegium divertunt, aut foras mittuntur.

In Societatem neminem admittat. P. 1 c. 1 n. 2.

77. In Societatem neminem admittat, nisi a Generali vel Provinciali id ipsi committatur: sed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel scribat quales illi sint, et quibus donis Dei praediti.

Quid cum valde idoneis agendum. P. 1 c. 1, A.

78. Si is, qui admitti petit, ad Institutum Societatis valde idoneus videbitur, et necessitas urgeret, poterit eum tamquam hospitem domi re-

cipere, donec responsum a Provinciali accipiat; vel ad eumdem mittere, si expedire iudicaverit.

Quid cum veniente sine licentia. *P. 2 c. 4 n. 1, A.*

79. Recedentem sine licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimissum, non admittat; sed, si expedire videretur, ad Provincialem de eo scribat, et eius ordinationem expectet, illo domi, ut hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento.

Charitas erga alios per Domos transeuntes. *P. 4 c. 2, F. P. 6 c. 2, D. C. 7 d. 18.*

80. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium transeuntes, eosque amanter hospitio excipiat, ac meminerit se aliquo viatico aut eleemosyna eos, si indigerent, iuvare posse: curet item diligenter dirigere ac iuvare expeditiones hospitum, qui negotiorum causa domi versantur.

Externi quando domi pernoctabunt.

81. Externi ne accipiantur hospitio, ut domi pernoctent, nisi ii sint, quibus multum debeatur, aut id officii sine magna offensione praetermitti non possit: qua in re habeatur praecipua ratio Religiosorum, cum necessitatis causa ad nos divertunt.

Cum socio Domo egrediendum. *P. 3 c. 1 n. 3.*

82. Cum quis Domo egredietur, det socium convenientem; si quando autem aliquis solus foras mittitur, is sit, cui merito possit confidere.

Non sine patentibus mittendi. *P. 7 c. 2, G, M.*

83. Neminem ex suo Collegio in alium locum mittat sine litteris patentibus.

Quid de male habentibus. *P. 3 c. 2. G.*

84. Si quis experimento comperirietur ferre non posse Collegii coelum, et male habere continenter cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Provincialem admoneat, an alio mitti debeat.

Quid cum profecturis alio.

85. Profecturi ad alia loca, ea, quam sottanam vocant, et aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent; nisi forte ratio temporis aut alioqui charitas suaderet melioribus esse commutanda. Reliqua vero omnia, quae ad iter necessaria erunt, magna charitatis significatione ab eo loco, unde mittuntur, subministrentur, sumptibus tamen eorum, quorum erit expensas itineris solvere.

REGULAE PROCURATORIS COLLEGII

ET DOMUS PROBATIONIS.

Qualis esse debeat.

1. In omnium negotiorum tractatione perpetuo memor sit Instituti Societatis, quae, Dei omnipotentis gloriam quaerens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipse verbo et exemplo eos omnes aedificare, quibuscum conversatur; atque eos sibi benevolos conservare, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

Res temporales curet. *P. 3 c. 2 n. 7*

2. Procuratoris erit conservare res temporales suae curae commissas, et eas curare, tamquam bona propria

Domini nostri Iesu Christi. Cum autem toti Collegio necessaria providere ipse debeat, iuxta Superioris ordinem, ad eum pertinebit proventus quoscumque Collegii vel Domus Probationis, et eleemosynas, ubi petendas a Rectore intellexerit, exigere ac recipere: syngraphas vero solutionis, quando opus erit, ipse dabit subscriptas a Rectore, aut a se, illius commissione.

Quae in libro scribat.

3. Omnes Collegii proventus, et tempora quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribet; et seorsum summam contractuum et locationum, quae ad breve tempus fiunt: seorsum etiam quascumque res aut pecunias ex fructibus Collegii perceperit, addito a quibus et quando eae provenerint; eleemosynae autem alio in loco scribantur.

Rationem Rectori reddat. *P. 4 c. 2 n. 5.*

4. Singulis mensibus dati et accepti rationem Rectori reddet; debitaque et credita Collegii indicabit, quo ipse Domus statum prorsus intelligat.

Arca pecuniarum, et earum liber, et quot claves.

5. Pecunia, undecumque ea provenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio Superioris in arca reponetur ad id designata. Huius Rector clavem unam, et ipse Procurator alteram diversam custodiat; in eadem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniae summa, tam eius quae infertur, quam eius quae effertur. Si quando autem, cogente aliqua necessitate, pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti et expensi summa in eodem libro statim scribatur, ac si in ea reponeretur.

Ex ea acceptam pecuniam notet.

6. Quoties ex arca pecuniam accipiet, eius summam et diem in libro suarum rationum adscribat; in alia vero parte libri expensi ratio constet.

A Novitiis allata curet servari.

7. Procurator in libro ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quae unusquisque Novitiorum Domum attulerit, cum eiusdem subscriptione, et ea custodi vestium asservanda tradet; nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, ubi pecuniae Collegii reponuntur, donec, biennio expleto, Novitius consueta vota Societatis emittat. *Exa. c. 4 n. 4. P. 1 c. 4 n. 6.*

Emptori pecunias dabit, et quotidie rationem exiget. *Reg. 2 Emptor.*

8. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exiget rationem ex codice; summam vero in librum suum ipse referet.

Res bonas et quam opportune emi curabit.

9. Curet, ut res omnes, praecipue diu duraturae, quam opportune emantur, ne has non perinde bonas, aut non aequo pretio cogatur comparare: caveat etiam, ne dum nimium pecuniae parcit, non bonas, aut insalubres res emat.

Curabit res emptas conservari.

10. Videat, num ea, quae empta sunt, illaesa conserventur; atque animadvertens aliqua, non ut oportet, conservari aut expendi, Superiorem vel Ministrum admoneat.

Quae reparanda, quae vendenda.

11. Advertat, num ea quae a Collegio possidentur, reparatione indigeant, seu Domus, seu praedia, seu quidvis aliud, ut ad Superiorem referat: si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

Saeculares negotiationes vitet. *C. 2 can. 25 d. 61*

12. Omnia, quae speciem habent saecularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, et similibus, intelligat prohibita esse Nostris.

Locationes, et similia inconsulto Superiore non faciet.

13. Nihil, quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicuius momenti negotia pertineat, faciat, nisi ipsi a Superiore commissum sit: si quid autem ex iis, quae iubentur, ipsi videretur non expedire, eidem proponat modeste

suam sententiam, et rationes quibus moveatur.

Quid circa lites adnotandum.

14. Excipiet in codicem lites, si quae forte erunt; et quae gravioris momenti circa eas fient, continenter et summatim annotabit.

Publica iudicia et tribunalia vitanda.

15. In tribunalibus Iudicum non compareat, nisi quando aliqua necessitas plurimum urgere Superiori videretur; sed per externos Procuratores nostra negotia in publicis iudiciis peragantur.

Lites componendae.

16. Illud vero praecipue ante oculos habeat, ut, antequam litem ullam intendat, res controversa (si fieri possit) concordia aut compromissione, consulto Superiore, componatur: si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, ut magnam pacem interius exteriusque custodiat; et semper ad iustam concordiam ipsum paratum esse, contrariae parti innotescat.

Solide negotia expediantur.

17. Curet diligenter, ut recte et solide fiant, quae expedienda erunt. Quod si periti iuris consulendi sint, maxime idoneos eligat. Idem de caeteris officialibus dictum intelligatur.

Cum Superiore negotia conferat.

18. Conferat cum Superiore, eique reddat rationem eorum, quae facit, et quo in statu sint negotia, aut ei, quem ille designabit: quod si rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, eidem significet, ut auxilia, quae opportuna visa erunt, petantur.

Quae in archivio asservabit, et quot claves.

19. Diligenti cura asservabit in archivio ad hoc designato instrumenta originalia et titulos, quibus constat de iure eorum, quae a Collegio possidentur, suis locis reposita, ut facile inveniri possint. Archivii autem duae claves diversae erunt, quarum alteram Rector, alteram ipse habebit Procurator.

Habeat authentica documenta.

20. Seorsum habeat haec eadem instrumenta, et titulos manu notarii publici subscriptos, ut fidem faciant, si aliquando in iudicio praesentari necesse sit.

Librum habeat instrumentorum.

21. Praeter haec Procurator librum habebit, in quo summa quaedam horum instrumentorum et titulorum contineatur: cum autem contractus maioris momenti, praesertim rerum perpetuarum, fient, redigat in memoriam Rectori, ad archivium, quod est in Urbe penes Praepositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.

Cubiculum clavi obseratum, et scripta necessaria apud se habebit.

22. Cubiculum clavi obseratum habeat, et asservabit scripturas, quibus ad procuratorium munus indigebit: cumque aliquas ex archivio accipiet, earum in libro, qui in eodem archivio erit, notato die, mense, et anno, memoriam relinquet; quas, cum suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

Quae in libello notabit.

23. In libellum referet quaecumque a Superiore ipsi facienda iniungentur, ne memoria excidant, et effectu frustrentur.

Benefactorum memoria.

24. Intelligat, qui sint illi potissimum, qui beneficia magni momenti in Collegium contulerunt, et eorum catalogum habeat, et Superiorem certiorem faciat; ut, iuxta modum professionis nostrae, grati in illos esse possimus.

C. 12 d. 56 n. 2.

REGULAE INSTRUCTORIS

PATRUM TERTIAE PROBATIONIS.

Huius probationis necessitas.

1. ADNITI ante omnia debet, qui huic muneri praeficitur, ut, memor utilitatis necessitatisque, ob quam in Societate instituta est haec probatio, tum serio ipse ac diligenter in officium incumbat, tum eos excitet, qui in ea exercendi sunt, ut magno animi studio et alacritate illam suscipiant.

Exercitia quaenam.

2. Quod ad rationem probationis attinet, iisdem omnino, quibus Novitii, probationibus, tam spiritualibus quam corporalibus, exercendi sunt, hoc est, sex experimentis Societatis, et aliis similibus, quae ad perfectam sui abnegationem conferant, sumpto exordio a Spiritualibus Exercitiis per integrum mensem. Ad Magistri autem prudentiam pertinebit, pro ratione virium cuiusque ac dispositione, haec omnino sic temperare, ut nec saeverius quam par sit, nec remissius exigantur; sed ad maiorem eorum profectum, solidarumque virtutum adeptionem singula referantur.

Exhortationes diversae.

3. Exhortationes, quae ad ipsos habebuntur, similes earum esse non debent, quae ad Novitios haberi solent; sed magis ad eorum captum accommodatae: de perfectione, oratione, Instituto, zelo animarum, ministeriis erga proximos tractetur; idemque iudicium est conferentiarum. Quare, ubi a Novitiis separati non erunt, tum nihilominus ad illos privatim sermo subinde aliquis et conferentia instituatur de re illis propria et apposita, ut dictum est.

Conferentiae.

Quid loco doctrinae christianiae.

4. Pro explicatione doctrinae christianae, quae Novitiis tradi solet, utilior et congruentior erit alia quaepiam exercitatio, in qua de iis agatur, quae illorum statui magis conveniunt, cuiusmodi sunt: Directorium et modus tradendi Exercitia Spiritualia; modus iuvandi cum fructu animas ex Industriis P. Polanci, et aliis id genus; modus item adiuvandi eos, qui moriuntur; collationes de Instituto et Constitutionum iis partibus, quae ad virtutes auxiliumque animarum spectant, et de Regulis Sacerdotum, Confessariorum, Concionatorum. Conferet etiam fortasse, si, praemissa lectione opusculi B. Bonaventurae de caeremoniis Missae, aut aliorum huiusmodi tractatuum, de nonnullis postea capitibus inter se tractent, quae ad maiorem reverentiam, affectumque in tanti mysterii celebratione inflammandum, conducant. *C. 20 d. 15.*

Habeant ipsi practicas exhortationes.

5. Non abs re forsitan erit, si practicas interdum de aliqua virtute exhortationes habere iubeantur, ut de obedientia, humilitate, paupertate, fraterna charitate, oratione ac caeteris; et in his suos potius conceptus ac sensus exprimant, quos Dominus ipsis communicaverit, tamquam ad promovendum spiritum efficaces, quam aliud quidpiam ad concionum morem meditatum et compositum.

Exercitia corporalia.

6. Exercitia corporalia valde moderata sint, et non qualia Novitiorum, eademque ad mortificationem potius mentaliumque avocationem, quam ad defatigationem apposita: tametsi vilia indumenta, et aliae id genus mortificationes praetermitti non debent.

Nullis ministeriis occupentur, nisi missionibus.

7. Concionibus habendis, multo minus scholis docendis, operam non dabunt, quamvis ad aliquam missionem unius vel alterius mensis destinari poterunt, ut per villas et pagos doctrinam christianam tradant, et alia huiusmodi ministeria obeant. Sub tempus autem missionum, ne imparati ad eas proficiscantur, instituendae erunt per mensis unius spatium conferentiae de nonnullis conscientiae casibus magis necessariis. Sacerdotes etiam, in audiendis confessionibus nondum exercitati, per mensem unum exercendi erunt, ubi et quando Provinciali vel Instructori videbitur.

Mittendi ad loca nostra vicina.

8. Ad vicina Societatis loca probationis causa, sicuti solent Novitii, ad breve tempus mitti poterunt, ut ibi, similiter atque in Domo Probationis, in humilibus officiis exerceantur; dummodo eorum ratio habeatur, ut bene occupati sint, et non otientur.

Libri spirituales.
* *Habetur Ord. Gen. c. 8.*

9. Procuranda erit ad illorum usum librorum spiritualium copia, iuxta indicem, qui subiicietur. * Concedi etiam illis fere debebunt Societatis Constitutiones, Regulae Communes ac Sacerdotum, Missionum item et Concionatorum, bullae praeterea quae ad Societatis Institutum pertinent, Iulii III et Gregorii XIII, et quae contra apostatas est Pii V et Gregorii XIV.

Constitutiones Regulae.

Instructor, eorum Confessarius, a reservatis absolvet.
C. 23 d. 30 n. 4.

10. Confitebuntur ordinarie suo Instructori, qui potestatem habebit etiam a reservatis absolvendi, tametsi Domus vel Collegii Superior non sit. Idem etiam poenitentias ex devotione, et alias id genus mortificationes concedere poterit. In iis vero, quae ad domesticam disciplinam spectant, ut cum foras exeundum erit, aut mensae inserviendum, cum Regularum exigenda observatio, aut errata poenitentiis corrigenda, aut iis affinia, Rectoris aut Ministri munus erit, Instructore consulto.

Litterae quatenus scribi possint.

11. Non scribent nec accipient litteras officiosas, multoque minus de rebus novis ullam in partem; sed, cum alicuius momenti negotium erit, dispiciet Instructor, penes quem sigillum erit, an litteras reddi conveniat, aut responderi.

Sigillum penes Instructorem.

Recreationes concedendae.

12. Ad vineam aut praedium recreationis causa mitti poterunt singulis mensibus, vel etiam saepius, si Provinciali videbitur. In hebdomadaria autem recreatione servabitur regula 62 Magistri Novitiorum. Extra tempora porro quotidianae recreationis, concedi eis poterit, ut in horto aliqua diei hora deambulent, sed singuli seorsim, et in silentio.

Instructor eos alloquatur saepe, et instruat.

13. Provincialem de singulorum statu certiorem saepe faciet, quibus item a defectibus emendentur. Eamque ob causam, atque ut fructuosius eos promoveat, frequenter illos interrogabit, quomodo in orationis industria, in coercendis affectibus, in superan-

dis difficultatibus, in continua rerum omnium mortificatione, indifferentiaque ad gradus et Societatis ministeria, ac demum in spirituali animae suae profectu se habeant. Sub anni vero finem, plenam informationem de singulis ad Provincialem mittet, quomodo et quibus in rebus bene aut male se gesserint; idemque ut faciant, Rectorem et Ministrum admonebit.

Provincialem informet de singulis.

Ordinatio de tertio anno Probationis.

14. Haec Instructori hactenus suppeditant Ordinationes Generalium capite 3, titulo: *Pro Instructore.* Debet vero iuvari iis, quae habet eadem Ordinatio titulo: *Pro Provincialibus;* sed illis potissimum, quae habet titulo: *Pro iis, qui tertium annum agunt probationis;* quae, ut ab iisdem accurate observentur, studiose et industrie adlaborabit.

De quibus Provincialem facere debeat certiorem.

15. Cum Provincialem saepe debeat facere certiorem de statu singulorum Patrum, adnotare non omittat, si in illorum quopiam iudicet operam perdi, ut mature alio evocetur, postea remittendus, iuxta Ordinationem.

Quousque subordinatus sit Superiori Domus. An etiam Ministro.

16. Superiori Domus, in qua fit tertia probatio, subordinatus erit in iis, quae ad disciplinam domesticam spectant; non tamen erit sub obedientia Ministri. Ac neque in iis, quae pertinent ad munus dirigendi et instruendi Patres, dependebit a Superiore Domus.

Destinatio Patrum ad missiones.

17. Instructoris erit Patres destinare ad missiones, monito tamen et non improbante Provinciali, et conscio Superiore Domus, uti et sex illorum experimentis tempus designare, et ordinem modumque praescribere.

Sigillum Instructoris, eiusque et Patrum litterae.

18. Sigillo, quo utitur ad Patrum litteras, etiam ad suas obsignandas uti poterit, et sibi Patribusque scripta resignare, uti et cubiculi clavim propriam habere.

Instr. 16.

REGULAE MAGISTRI NOVITIORUM.

CAPUT. I. — *De iis, quae ad eius personam et instructionem pertinent.*

Officii necessitas, et gravitas.

1. REM esse magni momenti sibi commissam intelligat, quandoquidem ex prima Novitiorum institutione pendet maiori ex parte eorumdem profectus, et spes nostrae Societatis in Domino; curetque ut in dies per studium propriae perfectionis instrumentum aptius ad eos iuvandos reddatur.

Amabilem se praebeat. *P. 3 c. 1 n. 12.*

2. Amabilem se praestet, et vitae integritate ac discretione ita se gerat, ut omnes, qui in probatione sunt, ad eum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique se ipsos confidenter aperiant, et ab eo consolatio-

nem et auxilium in omnibus in Domino sperent.

Habeat etiam Regulas et facultates Rectorum.

3. In Domibus Probationis separatis, praeter has Regulas officii sui, habeat etiam Regulas et omnes facultates aliorum Rectorum, exceptis iis, quae novitiatui non conveniunt.

Socios habebit.

4. Habeat socium, Sacerdotem fidelem et in rebus spiritualibus exercitatum, a Provinciali designatum, qui in iis, quae in novitiatu agenda sunt, sit eius coadiutor. Habeat etiam aliquem Fratrem, ex antiquioribus, in virtute probatum et prudentem, qui iuxta ordinem obedientiae significet unicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi sint, et manuducat illos, cum opus est, ad illa facienda.

In Domo coniuncta Collegio, etc., cui erit subordinatus.

5. In Domo Probationis coniuncta Domui Professorum vel Collegio, habitatione tamen distincta, Magister Novitiorum erit subordinatus Praeposito vel Rectori; non tamen erit sub obedientia Ministri, sicut nec eius socius: in ea autem Domo vel Collegio coenatio sit communis, mensa aliqua Novitiis et eorum Magistro designata.

Ubi poenitentias imponet.

6. Hic Magister Novitiorum poenitentias in novitiatu tantum suis Novitiis imponere poterit; extra vero, non nisi consulto Superiore.

Potestas ordinaria absolvendi a reservatis.

7. Habeat hic idem Magister Novitiorum potestatem ordinariam absolvendi a casibus reservatis Novitios, qui sub ipsius cura degunt; nisi eius Superiori haec facultas aliqua de causa restringenda videretur.

Versatus sit in lectione librorum spiritualium.

8. Versatum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, ut deceptiones, quae in spirituali vita accidunt, non tantum experimento, sed etiam lectione intelligat. Quibus autem utiliter ipse uti poterit, ii fere sunt, qui in subiecto catalogo numerantur. Novitiis vero eos tantum legendos tradet, qui nostro Instituto conveniunt, ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacumque ratione quidquam detrimenti capiant.

LIBRI

ad usum Magistri Novitiorum accommodati.

Basilii Ascetica et Regulae.

Gregorii Moralia.

Augustini Confessiones et Meditationes.

Bernardus.

Bonaventurae Opuscula.

Cassianus.

Homiliae Dorothei, Macarii, Caesarii arelatensis episcopi.

Opuscula Ephrem, Nili, Esaiae abbatis.

Diadochus.

Hugo de S. Victore, de Claustro animae.

Richardus de S. Victore.

Huberti Institutiones spiritualis vitae.

Innocentius, de Contemptu mundi.

Thomas de Kempis, De Imitatione Christi, et alia eius Opuscula.

Vincentii Tractatus de vita spirituali.

Ludovici Blosii Opera.

Dionysii Carthusiani Opuscula.

Albertus Magnus, de Virtutibus.

Epistolae Catharinae Senensis.

Ludolphus, de Vita Christi.

HISTORICI.

Gregorii Dialogi.

Gregorius turonensis, de Gloria Confessorum, et Vita S. Martini.

Eusebii Historia ecclesiastica.

Severus Sulpitius, de Vita S. Martini.

Vitae Patrum selectae.

Vitae Sanctorum Lipomani et Surii.

Petrus Damianus.

Petrus cluniacensis, de Miraculis.

Litterae indicae.

Vita Patris N. Ignatii, et alii similes ad Novitiorum utilitatem accommodati, ex quibus desumet aliquos pro illorum usu.

Caput. II. — De prima probatione.

Admissus quanto tempore hospitum more diversabitur. *Exa. c. 1 n. 18. P. 1 c. 4 n. 1.*

9. Postquam in Domino statuetur ad probationem aliquem admittendum esse, in Domo vel habitatione separata primae probationis, hospitum more duodecim dies, vel usque ad viginti et amplius, prout Superiori videbitur, diversetur; ut eo tempore de iis, quae pertinent ad Societatem, ipse certior reddatur, et Societas eumdem plenius in Domino cognoscat.

Ei, quomodo se gerere debeat, declarandum. *P. 1 c. 4 n. 4.*

10. Postridie ei declarabitur quomodo in eo loco se gerere debeat, ac nominatim ne verbo aut scripto (nisi Superiori aliqua de causa non levis momenti aliud videretur) cum externis vel domesticis agat, praeterquam cum iis, quos ad id Superior designaverit.

Ad id necessarios libros habebit. *P. 1 c. 1, D.*

11. Librum completum Examinis absque Declarationibus, latina lingua pro iis qui eam intelligunt, et vulgari pro aliis habeat, nec non in eisdem linguis Summarium Constitutionum et Regulas Communes habere debet.

Quando examinabitur accuratius. *Exa. c. 1 n. 18, A. P. 1 c. 4 n. 5.*

12. Elapsis duobus aut tribus diebus, examinari accuratius incipiat, et relinquatur ei scriptum praedictum Examen, ut solus id maturius consideret; nisi in aliquo particulari aliud examen brevius proponendum esse Superior iudicaverit.

Consideret Regulas et litteras apostolicas. *Exa. c. 1 n. 18. P. 1 c. 4 n. 5.*

13. Postea litterae apostolicae Iulii III anno 1550, et Summarium Constitutionum, et Regulae Communes eidem ostendantur et relinquantur, ut omnia per otium magis consideret, iis vero, qui litteras apostolicas latinas non intelligerent, satis esset earum summam declarare.

Vide tamen Ord. Gen. c. 1 n. 1.

Ordo examinandi. *Exa. c. 2, E.*

14. Ordo examinandi esse debet, in primis proponere ac prosequi quae quatuor primis capitibus Examinis continentur; deinde ea, quae speciatim ad litteratos pertinent, vel Coadiutores, vel Scholares, aut Indifferentes. Quamvis autem omnibus integrum Examen relinquatur, non sunt tamen omnes particulariter examinandi, nisi de iis, quae ad unumquemque pertinent; et si quid alicuius momenti occurrerit, quod Superiorem scire oporteat, scripto notabit.

Quae magis illi explicanda.

15. In his omnibus proponendis et declarandis paulatim procedatur, ut, qui examinantur, res omnes nostri Instituti iuxta ipsorum gradum bene percipiant ad suam maiorem satisfactionem et stabilitatem; et illa praesertim sunt magis explicanda, quae postea aliquam difficultatem afferre possent: ut de animi promptitudine ad serviendum Deo ubique et in re quavis; de manifestatione defectuum, tum suorum, tum alienorum, iuxta Constitutiones; de manifestatione etiam conscientiae statutis temporibus; de indifferentia ad gradus Societatis in Scholaribus et litteratis: ad quam indifferentiam diserte intelligant, tum initio cum Societatem ingrediuntur, tum postea sexto quoque mense, praecipue vero cum vota, biennio elapso, emittere debent, Nostros omnes obligari quarto quodam voto, quod verba illa Formulae votorum Scholasticorum continent, scilicet: *Promitto eamdem Societatem me ingressurum,* ut scilicet gradum Coadiutoris formati, vel Professi recipiant, prout Generalis Praepositus iudicaverit.

C. 5 d. 50 n. 1. C. 6 d. 32, 33, 34. C. 7 d. 80 n. 16

Quid cum propenso ad studia et non indifferente. *C. 4 d. 67.*

16. Si quis ad studia maiorem propensionem, quam par esset, et minorem indifferentiam, quam ad alia ministeria Societatis, prae se ferret, et videretur nihilominus ad ea minus aptus, non tantum proponatur ei scriptum Examen, ut reliquis; sed et § 2 capitis 7 accurate illi explicetur, interrogeturque, an patienter se dimitti sinet a Societate, dummodo ab omni voto ac promissione liber maneat.

Quid cum non sincere respondit. *Exa. c. 3 n. 1, A. Exa. c. 2, A.*

17. Admoneatur, ut vere omnino ac sincere respondeat, nam aliter multa gravia incommoda inde oriri possent; et nihilominus admoneri Confessarium oportet, ut, si quis vere non respondisset, eius de ea re conscientiam stimulet.

In interrogationibus servandum secretum. *Exa. c. 3 n. 1. Exa. c. 4 n. 8.*

18. Si quid erit in interrogationibus, quod secretum requirat, id observabitur, ut par est, et interrogato placuerit; declaretur tamen ei, quod iuxta Constitutiones licebit rem omnem Superiori manifestare.

Promissio abdicandi se bonis. *Exa. c. 4 n. 2. C. 3 can. 1 d. 19. C. 7 d. 17.*

19. Promittat relicturum se omnia bona sua post unum annum ab ingressu, quandocumque iniunctum a Superiore ei fuerit; et declaretur, quod actus huius promissionis, nec votum est, nec solum propositum, sed promissio simplex, illa conditione affecta, si ipse perseveraverit et Superior ei iniunxerit.

Accurate informetur de Instituto. *P. 1 c. 4 n. 1. C. 4 d. 67.*

20. Hoc tempore primae probationis per quinque vel sex dies accurate informentur praedicto modo de iis, quae ad Institutum et ad ipsos pertinent; et lectione alicuius pii libelli, qualis esset De Imitatione Christi, subinde recreentur.

Coadiutores temporales, quomodo instruendi. *C. 7 d. 27. C. 8 d. 21.*

21. Coadiutores vero temporales, qui legere non didicerunt, aut qui minus ad haec tractanda idonei videbuntur, quamvis in propria vocatione iuxta ipsorum captum plene instituendi sunt, poterunt tamen hoc tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, iudicio Superiorum occupari, seiuncti tamen ab aliis.

Lectiones praelegendae et exhortatio facienda. *Exa. c. 5 n. 6. P. 1 c. 4 n. 5. C. 4 d. 67.*

22. Deinde, qui litteris operam dederunt, de singulis Facultatibus, in quibus versati sunt, singulas praelegant lectiones coram eis, qui a Superiore ad eorum talentum cognoscendum in doctrina et proponendi modo sunt constituti; postea exhortationem unam quisque faciat.

Spiritualia Exercitia primum experimentum. *C. 4 d. 67.*

23. Tum, si quis, antequam fuerit in Societatem admissus, Spiritualia Exercitia non fecerit, hoc primum experimentum (ut sequenti capite, ubi de experimentis agitur, mox dicetur) iuxta Exa. cap. 4, § 10, aggrediatur, et iuxta Exercitia suo tempore generaliter confiteatur, nisi ante ingressum fuerit alicui de Societate generaliter confessus; tunc enim satis erit, si ab eo tempore generalem confessionem incipiat, et eodem tempore conscientiam suam Superiori, aut ei, quem Superior designaverit, aperiat, iuxta part. I Const. cap. 4, § 6: et, si ab aliqua censura virtute nostrorum privilegiorum absolutus fuerit, admoneatur, quod, si non perseveraverit, in eamdem reincidet. Declaretur etiam illi, si quae vota, cum adhuc esset in saeculo, emisit (praeterquam Religionis determinatae) in nostra Societate tamdiu suspensa esse, dum ipse in Societate manserit; quod si recesserit, eadem obligatione teneri, qua ante ingressum tenebatur. Expleto autem tempore huius experimenti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accipiet, et communem Domum habitationis ingredietur, ubi cum aliis versari, et in secunda probatione diutius exerceri Novitii solent.

Exa. c. 4 n. 41. *Exa. c. 4 n. 30.* *C. 1 can. 22 d. 132.* *P. 1 c. 4 n. 6.*

Quae causae differendi Spiritualia Exercitia. C. 4 d. 67.

24. Si vel cuiusquam valetudo, vel aliqua temporis aut personae ratio persuaserit, non esse tam diu haec mentalia exercitia continuanda, antequam Exercitia aggrediatur, per quatuor vel quinque dies vacare, et separatim recreari poterit; vel, si Magistro Novitiorum videretur, facta confessione generali, et peractis Exercitiis primae hebdomadae. Sed quando haec relaxatio longius ob valetudinem aut aliam rationem protrahenda Magistro Novitiorum visa fuerit, poterit, sumpta Eucharistia, etiam ad communem convictum admitti; et ubi firmior fuerit, sua Exercitia peraget.

Instr. 6 n. 3.

Asserventur quae a Novitiis afferuntur. Exa. c. 4 n. 4. P. 1 c. 4 n. 6.

25. Si Superior iudicaverit eum Domi retinendum, curet ut in libro ad id designato, quem penes se Procurator habere debet, scribatur quidquid unusquisque Domum attulerit, cum subscriptione eius, qui examinatus est, et ut haec alicubi separatim asserventur, quousque, biennio expleto, consueta vota emiserit.

Notet diem ingressus uniuscuiusque. C. 7 d. 98. P. 1 c. 4 n. 6.

26. In alio libro, quem apud se habebit, notabit diem et annum ingressus uniuscuiusque, incipiendo a die, quo primum probationem intravit, et nomen, et patriam, et quod contentus sit observare omnia ei proposita. Quando vero aliqui in Coadiutores temporales et Indifferentes admittentur, speciatim id scripto declaretur, quod ut tales examinati et admissi fuerint; et haec, qui examinatus est, manu sua subscribat; et, si scribere nescit, alius eius nomine scribat.

Caput III. — De secunda probatione.

De experimentis.

Experimenta serio capiantur.

27. In primis diligenter curet, ut Novitii sex illis experimentis, quae in Constitutionibus traduntur, serio et cum desiderato fructu exerceantur; intelligatque praecipuam Novitiatus partem in his probationibus positam esse.

Exa. c. 4 n. 9.

Quomodo Exercitia Spiritualia tradenda. Exa. c. 4 n. 10. P. 3 c. 1 n. 20.

28 Exercitia Spiritualia primum singulis, eo quo procedunt ordine, praescripto tempore atque exacte tradantur, secundum uniuscuiusque dispositionem et captum, iuxta regulas libri Exercitiorum, praetermissis tamen his, quae ad electiones spectant; ut inde, praeter alia, certam ac nostro Instituto consentaneam mente et voce orandi rationem habeant, quam in posterum servare debeant.

Secundum experimentum quomodo peragendum. Exa. c. 4 n. 11.

29. Quoad secundum experimentum, quo hospitalibus per mensem servire debent, videbit ipse quid magis expediat: an Nostros ibidem cibum capere et dormire; an vero per aliquot horas quotidie ministerium aegris impendere.

Morbos vitent; ne ingrediantur ubi mulieres habitant.

30. In hac probatione advertat, ne Nostri nimio fervore suae valetudini noceant, aut periculo contagionis alicuius morbi se exponant; admonebitque, ne ingrediantur partem illam xenodochii, ubi mulieres habitare solent.

Peregrinationes. Exa. c. 4 n. 12.

31. Mense alio ad peregrinandum sine pecunia mittantur, ostiatim pro Christi amore mendicando, ut ad incommoditatem comedendi et dormiendi assuescant, et, ut omni spe abiecta, quam in pecuniis et rebus aliis creatis possent constituere, eam integre et vera cum fiducia in Domino constituant.

Quid in iis servandum.

32. Advertendum, ne imbecilles aut tenerioris aetatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur, ne fiant asperiore hyeme aut ferventiore aestate, illisque Regulas Pe-

regrinorum, litteras patentes, et, cum opus erit, particularem etiam instructionem tradet; et ab ultimo loco, ad quem perveniunt, testimonium a Superiore Domus vel Collegii Societatis, si ibi fuerit, vel ab alio fide digno secum ferant, quod, suam devotionem secuti, sine ulla cuiusquam querela eo pervenerint. Et in secundo, quinto et sexto experimento iuxta Constitutiones idem servetur.

Exa. c. 4 n. 20. *Exa. c. 4 n. 19, 22.*

Advertendum in quarto experimento. *Exa. c. 4 n. 18.*

33. In quarto experimento, quo in officiis abiectis exercentur, advertat, ne nimia corporis fatigatione spiritus obruatur; et a Scholasticis fiat potius ad propriam cuiusque abnegationem et humiliationem, quam pro domestica aliqua necessitate. Dum autem haec probatio fit in Domo Probationis, vacabit, qui ita probatur, ab aliis exercitiis aliorum Novitiorum, exceptis conferentiis et exhortatione ordinaria.

Novitiorum cura extra Domum Probationis. *Exa. c. 4 n. 16. P. 3 c. 1 n. 3, D.*

34. Cum haec probatio non fit in Domo Probationis, sed in Domibus Professis aut Collegiis, sit aliquis, qui Novitiorum peculiarem curam gerat, et in recreatione separati sint, adiunctis aliis, a quibus in Domino adiuvari possint.

Doctrinae christianae qualis usus. *Exa. c. 4 n. 14.*

35. In docenda doctrina christiana pueros ac personas rudes, publice vel privatim, prout occasio se obtulerit, et in Domino ei commodius visum fuerit, tamquam in re propria nostri Instituti Novitios exercendos curabit, habita personarum ratione.

Qui probandi in confessionibus et praedicatione. *Exa. c. 4 n. 15.*

36. In confessionibus audiendis, et praedicatione divini verbi, domi aut foris, circa finem primi anni probentur qui ad huiusmodi ministeria idonei invenientur, et bonae aedificationis specimen iam dederint; eo tamen modo, ne tamquam operarii ordinarii ad ministeria haec exercenda exponantur, sed brevi tempore, et ad probationem.

Experimentorum permutatio. *Exa. c. 4 n. 9.*

37. Tametsi Exercitia Spiritualia exacte omnibus in principio tradenda sunt; quoad reliqua tamen experimenta, si quod eorum permutandum, aut multum moderandum iudicaret, id ne faciat inconsulto Provinciali; quamquam anteponere aut postponere ipse ea poterit, pro ratione personarum, temporum, aut locorum.

Probationes ex intervallo intra annum absolvantur. *Exa. c. 4 n. 16.*

38. Advertat, ut hae probationes inter se debitis spatiis distinguantur, ita ut Novitii, una peracta, aliquamdiu ad solita exercitia Domus Probationis redeant; ut, corpore et spiritu recreati, uberiorem fructum ex praeteritis laboribus colligant, ea tamen ratione, ut intra annum omnes absolvantur. Quod si peculiari aliqua de causa hae probationes ad secundum annum differendae viderentur, prius Provincialis consulatur.

Alia experimenta fieri, et haec repeti possunt. *Exa. c. 4 n. 16. P. 9 c. 3 n. 8, E.*

39. Praeter haec experimenta, alia fieri hoc biennio probationis possunt, et haec eadem ex parte repeti, quando in Domino ita expedire iudicaverit: et quidem omnia cum maturitate et prudentia, et aedificatione etiam externorum, sunt facienda.

De institutione et regimine Novitiorum.

Mortificationes publicae ordinariae. *Reg. 9 Rect.*

40. Ne fiant mortificationes publicae, nisi ordinariae, iuxta Constitutiones, ut sunt, praeter solita experimenta: petere ostiatim eleemosynam, comitari emptorem ad comportanda ea quae emuntur, indui vestibus vilioribus, quae tamen Religiosos deceant, et alia id genus, ut in officio Rectoris dicitur.

Quando vestitu humili probentur. *P. 3 c. 2, C. Exa. c. 1 n. 18, F.*

41. Convenit, ut, qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem et abnegationem sui, et ad mundum eiusque vanitatem sub pedibus con-

culcandam, iuventur; et id quidem quantum consuetudo, officium et personarum circumstantiae patientur. Discretioni autem eius relinquitur, habita ratione aedificationis, an cum eisdem vestibus, quas ex saeculo tulerunt, incedere sint permittendi, an vero cum aliis eas permutari oporteat.

Obedientia et paupertate exerceantur. *P. 3 c. 1, V.*

42. Conferet, ut aliquando occasionem praebeat iis, qui probantur, exercendi obedientiae et paupertatis virtutem, eosdem tentando ad maiorem ipsorum utilitatem spiritualem: in hoc tamen mensura iuxta uniuscuiusque vires observetur.

Modus in poenitentiis. *P. 6 c. 3 n. 1.*

43. In poenitentiis et corporis afflictionibus advertat, ne nimius huiusmodi rerum usus tantopere vires debilitet, ut postea ad ministeria nostri Instituti inutiles reddantur; nec contra tanta in illis sit relaxatio, ut, fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus incalescant.

Lectiones de rebus Instituti.

44. Lectiones fiant de his, quae ad Institutum pertinent et continentur litteris apostolicis, Regulis et Constitutionibus; praecipue vero de iis, quae in Examine et tertia parte habentur, aut de aliis, quae eo feruntur, mutata interdum materia, ut taedium tollatur: modus vero lectionum facilis sit et simplex, et ad Novitiorum animos ad Instituti amorem et solidarum virtutum perfectionem promovendos accommodatus.

Doctrina christiana, et modus in sacramentis, Missa, oratione, lectione tenendus. *P. 3 c. 1 n. 20.*

45. Explicetur brevi enarratione doctrina christiana, ac modus bene et cum fructu confitendi, communicandi, Missam audiendi, et eidem decenter ministrandi, orandi itidem, meditandi, et libros denique pios legendi, pro captu uniuscuiusque, tradatur.

Quibus de rebus Novitii crebro monendi. *P. 3 c. 1 n. 26. P. 10 n. 2. P. 6 c. 1 n. 1.*

46. Admoneat crebro Novitios, ut in omnibus rebus Deum quaerant, et in suis actibus intentionem puram ad Dei beneplacitum dirigant, ut familiares cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis esse curent; et tandem ita sint instructi Novitii, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possint in absoluta nostri Instituti observatione, praetermittant.

Omnes perspectos habeat, et rationem sui suaviter exigat.

47. Omnes perspectos habeat, ut magis illis prodesse possit: ad quod iuvabit, cum illis frequenter singillatim agere, et rationem ab unoquoque rerum suarum suaviter exigere; in his autem privatis colloquiis magnam utilitatem positam esse sciat.

In Regulis modestiae instituat. *P. 3 c. 1 n. 4.*

48. Det operam ut Novitii religiosam modestiam prae se ferant, iuxta Constitutiones et Regulas, quae de ea conscriptae sunt; in quibus tempore novitiatus diligenter instituendi erunt.

Rerum spiritualium rationem requirat.

49. Cognoscat quem procedendi modum in oratione et examine servent; et petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare; et quando resistunt tentationibus, an propriis remediis utantur; in acquirendis virtutibus quam rationem teneant: et intelligat demum, an in his omnibus praestent ea, quae ab ipso acceperunt.

Quando quis mutandus de loco. *P. 3 c. 1. A.*

50. Si aliquis sollicitetur vel perturbetur ab hominibus, qui in via spiritus non bene procedunt, et expediat illum in alium locum transferri, Provincialem tempestive moneat.

Quales in cubiculo sint. *P. 3 c. 1, D.*

51. Si duo in eodem cubiculo habitent, alter eorum eiusmodi sit, ut minime dubitetur, quin alter sit eius societate profecturus; et eamdem ob causam inter cubicula, quae seorsum unicuique iuniorum assignantur, par

est aliquos maturos ex antiquioribus intermisceri.

Quando et quomodo cum externis loquendum. *P. 3 c. 1, B.*

52. Si aliquando permittendum videretur, ut aliquis consanguineos vel amicos, quos in saeculo habebat, alloqueretur, coram aliquo a Superiore ad id designato id fiat, et breviter; nisi particulares ob causas aliud statueret Superior Domus vel Collegii.

Officia publica ne habeant.

53. Novitii non sunt, ut plurimum, assignandi in socios Nostris, qui adeunt domos saecularium, nec debent habere officia publica, in quibus necessarium sit agere cum externis, ut emptoris, ianitoris, et sacristae.

Assignandi qui cum Novitiis loqui possint. *P. 3 c. 1 n. 3, D.*

54. Videat, num aliqui in schedulis Novitiis assignandi sint, ut cum eis loqui possint, quorum exemplo et colloquiis proficiant in Domino; et, si cum aliis sine facultate egerint, debitam eis poenitentiam iniungat.

Facultas et modus emittendi vota ante biennium. *P. 3 c. 1, T. P. 5 c. 4, G.*

C. 2 can. 1 d. 14. C. 4 can. 9 d. 55. C. 12 act. 39. C. 16 d. 37.

55. Admoneat eos, ne vota ante biennium emittant sine Superioris facultate, quam solus Provincialis, re mature considerata, dare poterit. Horum autem, qui haec vota semel apud se ex licentia Superioris iuxta Formulam Societatis emiserint, memoria in libro aliquo asservetur, et postea tempore novitiatus, bis in anno statutis temporibus, seorsum ab aliis, qui biennium expleverunt, ipsi simul inter se illa renovabunt. Noverint tamen eos obligationem contrahere ad ea servanda, sed non propterea veros Religiosos constitui, aut ad eos retinendos resultare obligationem ullam in Societate.

Ord. P. Noyelle 7 Aug. 1683.

Quid de ineptis.

56. Diligenter observare debet in toto probationis decursu, an ineptus aliquis aut inutilis nostro Instituto probabiliter futurus sit; in quo maior habenda est ratio boni communis Societatis ad gloriam Dei, quam particularis cuiusque: quid autem sentiat in hac re, ad minimum sexto quoque mense ad Provincialem scribat, ut ipse provideat.

Vota in fine biennii emittenda. *Exa. c. 1 n. 12. Exa. c. 4 n. 48. Exa. c. 4 n. 41.*

57. De singulis etiam sub finem biennii ad eumdem scribat, ut cum illius facultate consueta vota Societatis emittant, aut diutius probentur; prius autem quam vota emittant, per hebdomadae spatium se colligant, et aliqua exercitia spiritualia, praeter alia, quae praescripta sunt, faciant. Moneantur etiam renovationes votorum, a se deinceps de more faciendas, habere vim primae nuncupationis, si forte ex aliquibus defectibus prima vota vim suam non obtinuerint. Curandum autem erit, ut in libro, in quo notantur nomina eorum, qui huiusmodi vota simplicia emittunt, postquam illa quis emiserit, subscribat, se tali die et anno emisisse vota, et clare intellexisse, vim illius promissionis esse, manere se obligatum ad eam indifferentiam, de qua in regula 15 dictum est; in hanc formam:

C. 8 d. 22.

C. 5 d. 50 n. 1.

Formula subscriptionis.

Ego (N.), statis temporibus examinatus, emisi vota Scholasticorum approbatorum, iuxta Formulam consuetam Societatis, die tali, et anno, celebrante (N.), et clare intellexi, illis verbis: Promitto me ingressurum, *etc. contineri quartum votum, quo me obligavi ad acceptandum quemcumque gradum Coadiutoris formati, sive Professi, prout Praeposito Generali ad maius Dei obsequium fore videbitur.*

Tertiae probationis peragendae modus. *Exa. c. 4 n. 16. P. 5 c. 2 n. 1*

58. Scholastici, qui, studiis absolutis, tertium probationis annum peragunt, in variis experimentis, et speciatim in nonnullis iam dictis, quamvis illis prius iam perfuncti fuerint, probentur. Huius autem probationis tempore in schola affectus se exer-

ceant, et in rebus spiritualibus, quae ad profectum in humilitate, et abnegatione universi amoris sensualis, voluntatis, et iudicii proprii, et ad maiorem cognitionem et amorem Dei conferunt, insistant.

Coadiutores in quibus instruendi. *P. 4 c. 4 n. 4*, C. *Exa. c. 6 n. 6*, 7. *P. 1 c. 2 n. 2.*

59. Adhibeat diligentiam, ut Coadiutores temporales in modo orandi iuxta Constitutiones instruantur, eosque mysteria Rosarii doceat, et privatim instruat, ut ad suae vocationis ministeria afficiantur, et sorte Marthae contenti sint.

Exhortationibus omnes intersint. In conferentiis quinam interrogandi. *C. 7 d. 80 n. 15.*

60. Exhortationibus ordinariis omnes intersint; Coadiutores tamen temporales et Indifferentes non interrogentur in conferentiis, nisi cum rerum et personarum delectu, nec ad tonos conveniant: et ii quidem per annum, ad minimum, in Domo Probationis sint; reliquo autem biennii tempore sic sub cura Magistri erunt, ut aliis officiis ad instar aliorum Coadiutorum vacare possint, et tempus ordinarium orationis Domus vel Collegii, ubi agent, habeant, experimenta tamen ad quae apti fuerint intra annum absolvant.

Lectiones, conferentiae, et toni. *Inf. reg. 71.*

61. Quando erit concio domi vel in ecclesia, quam Novitii sint audituri, eo die a lectionibus, et conferentiis, et tonis liberi erunt.

Dies vacationis.

62. Singulis hebdomadis die una a solitis exercitiis vacent, in qua aliquid honestae recreationis poterunt sumere domi vel foris.

De examine semestri Novitiorum.

Sexto quoque mense consideranda. *Exa. c. 1 n. 18. Exa. c. 4 n. 41. P. 1 c. 1*, D.

63. Sexto quoque mense per biennium probationis litteras apostolicas et Regulas unusquisque videre et considerare debet, et Examen, relicto secundo et tertio capite, et aliis, quae ad gradum suum non pertinent, ut regula 12 et 13 dictum est. Deinde, postquam haec omnia viderit, interrogetur:

De quibus est praeterea interrogandus.

64. An praedictis omnibus contentus sit, an vero aliquid dubii vel difficultatis circa ea occurrat; quae experimenta peregerit, et quomodo in illis se habuerit.

Propositum vocationis. *Exa. c. 5 n. 4. Exa. c. 8 n. 14.*

65. An vires sibi corporales et spirituales suppetere sentiat ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur; num deliberatum habeat animi propositum vivendi et moriendi in hac Societate Iesu Domini Nostri.

Examen scripto constet.

66. Examen hoc factum esse notetur scripto, ut constet. Quod si quid novi occurrat, aut si qua mutatio alicuius momenti accidat, Superiorem certiorem reddat.

Cui ratio conscientiae reddenda et generalis confessio facienda. *Exa. c. 4 n. 38, 41.*

67. Demum, qui sic examinatus est, reddet rationem conscientiae suae Superiori, aut ei quem Superior delegaverit, et, ab ultima confessione generali incipiendo, generaliter confitebitur Sacerdoti, qui fuerit a Superiore designatus.

Caput. IV. — De ordine Domus Probationis.

Quid mane dum surgunt.

68. Novitii mane post pulsum campanae, dum surgunt, dum se induunt, et lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant, aut aliquid in Domino meditentur, et reliquo semihorae spatio pia aliqua lectione, aut alia ratione ad orationem se praeparare poterunt.

Una hora orabunt. *P. 4 c. 4 n. 3, 4*, B, C. *C. 4 can. 6 d. 5.*

69. Postea integram horam orationi mentali aut vocali, vel meditationi dent, iuxta cuiusque captum et Magistri Novitiorum instructionem.

Semihora ad cubiculum componendum.

70. Absoluta oratione, media illis conceditur hora ad lectum et cubiculum componendum, et ad dispiciendum quem fructum ex oratione collegerint.

Missam audiant. *P. 4 c. 4 n. 3.*

71. Post haec Missam devote et reverenter audiant; qua absoluta, intersint lectioni seu exhortationi, quae de rebus spiritualibus bis in hebdomada per dimidiam horam illis fiet; reliqua autem dimidia statim repetent audita, et conferent inter se terni aut quaterni sine ulla disputatione, sed cum humilitate et modestia.

Collationum modus et materia.

72. Sequenti die iis de rebus, ut melius ad praxim reducantur, eadem hora fient collationes, hac ratione: ut, lectione praecedenti breviter per unum aut plures, a Magistro designatos, repetita, proponat aliquis quomodo vincatur talis tentatio aut difficultas in re proposita, aut unde oriatur hoc vel illud impedimentum, et quid remedii possit adhiberi, et alia similia; postquam autem aliqui dixerint quid sibi occurrat, Magister constituet quid tenendum sit.

In corporalibus se exerceant. *P. 4 c. 4 n. 3, 4. P. 3 c. 1 n. 20.*

73. Reliquo toto tempore usque ad examen, quod semper ante prandium fiet per quartam horae partem, in suis officiis, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, a Magistro Novitiorum praescripto, occupabuntur; aliquid tamen temporis quotidie, praesertim ante prandium, tribuant Regulis, et doctrinae christianae, et aliis, quae iudicio Magistri Novitiorum cuique convenient, addiscendis et memoriae mandandis.

Hora recreationis pie transigenda. *P. 3 c. 2, D.*

74. Post examen sequatur prandium, quo absoluto, horam integram recreationi dabunt, tam qui in priore quam qui in posteriore mensa pransi erunt. Tempore autem recreationis poterunt mutuo colloqui, dummodo pauciores quam quatuor non conveniant, nisi aliter Magistro videretur. Agent autem de exemplis vitae Christi vel Sanctorum, aut de his, quae cum aedificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua utili in Domino.

Quid post expletam recreationem.

75. Expleto recreationis tempore, audito campanae pulsu, sese ad cubicula recipiant (praeter eos, qui in aliquibus officiis occupati erunt) ut aliquid legant, vel scribant, vel quid aliud agant, iuxta Magistri praescriptum.

Memoriter recitabunt. *P. 3 c. 1 n. 20.*

76. Post finitam horam, omnes cum Magistro convenient, et pensum aliquod eorum, quae antea memoriae mandaverint, reddent. Postea explicabitur illis bis singulis hebdomadis per dimidiam horam doctrina christiana; deinde eam recitabunt, uno stante et interrogante, et aliis respondentibus, vel sese invicem interrogantibus; et instruantur in modo docendi illam iuxta morem regionis. Uno vero die cuiusque hebdomadae fiant toni.

Ad exercitium redibunt. *C. 1 can. 12 d. 98. C. 4 d. 59.*

77. His expletis, ad sua officia, vel ad aliquid legendum, aut alias occupationes se conferent; deinde ante ultimam horam, quae coenam praecedit, per semihoram orationi vacabunt; ipsam vero horam ultimam sequentem, ante coenam, partim officiis domesticis, partim corporali exercitationi, vel aliis occupationibus, quas Magister praescripserit, impendent.

Recreatio post coenam. *P. 4 c. 4 n. 34. C. 7 d. 25 n. 8. C. 8 d. 88 n. 8.*

78. Post coenam horam integram recreationi dabunt, reliquo tempore usque ad examen (quod semper fiet, ante quam cubitum eant, per quartam horae partem) poterunt aliquid legere, vel alia ratione se ad orationem sequentis diei praeparare, vel aliud facere, pro arbitrio Magistri Novitiorum.

Silentium quando et quo modo servandum.

79. Novitios inter se conversari non convenit, sed silentium invicem et cum aliis observare, nisi in rebus

P. 3 c. 1, D.

in quibus loqui necesse sit, excepto recreationis tempore, de quo iam supra dictum est.

Caput V. — De examine eorum, qui, biennio absoluto, in Scholasticos approbatos admittuntur.

Interrogationes post biennium. *P. 4 c. 3 n. 3.*

80. Postquam quis biennium novitiatus, peractis experimentis, expleverit, et ad interrogationes, quae sexto quoque mense fiunt, responderit, antequam vota Scholasticorum emittat, interrogetur:

Circa studia. *Exa. c. 7 n. 3.*

81. An velit se duci sinere circa ea, quibus studere debet, ac studiorum modum et tempus, iuxta quod Superiori videbitur.

De indifferentia ad omnia. *Exa. c. 7 n. 4.*

82. An contentus futurus sit eodem atque alii modo in Collegio agere, nullisque privilegiis aut praerogativis minimum omnium, qui in eo fuerint, anteire, omnem sui curam Superiori relinquendo.

Circa gradum et ingressum Societatis. *Exa. c. 7 n. 5.*

83. An statuerit omnino apud se, studiis absolutis ac probationibus peractis, Societatem, ad vivendum in ea et moriendum, ingredi in eo gradu, quem Superior constituerit ad maiorem Dei gloriam.

Post vota non manet liber. *Comp. Privil. n. 37 et seqq., 529, 530.*

84. Admoneatur, quod, votis post biennium ab ipso emissis, non poterit sine facultate Generalis a Societate nostra recedere, nec ad ullam aliam Religionem, ne Carthusiensium quidem excepta, transire, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, partim iuxta bullam Pii v, anno 1566 expeditam, partim per communicationem privilegii a Paulo v concessi Carmelitis discalceatis.

Censur. et praec. c. 3 n. 6.

Caput VI. — De examine Scholasticorum, studiis absolutis.

Scholastici interrogandi an sint firmi in suis votis. *Exa. c. 7 n. 7.*

85. Scholastici, studiis suis absolutis, statim postquam ad tertium annum probationis peragendum missi fuerint, generatim interrogandi sunt, an firmi in sua deliberatione, et votis et promissione Deo oblatis antequam ad studia se conferrent, permaneant, ut eorum status melius cognoscatur, et ipsi magis in Domino iuvari possint.

Alia interroganda. *Exa. c. 7 n. 8.*

86. Interrogentur etiam et examinentur particulatim eisdem interrogationibus et examine, quo sexto quoque mense, antequam ad studia mitterentur, interrogati fuerunt; ut Superioribus eorum memoria renovetur, et mutatio, si aliqua in rebus iam affirmatis accidisset, cognoscatur.

Reddent conscientiae rationem. *Exa. c. 4 n. 39.*

87. Postremo reddent rationem vitae suae, inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad studia missi sunt.

REGULAE

SOCII MAGISTRI NOVITIORUM.

C. 12 d. 56 n. 2.

Qualis esse debeat.

1. QUONIAM Magistro Novitiorum assignatur Socius Sacerdos, qui in iis, quae in novitiatu agenda sunt, sit eius coadiutor; consequens est, ut eidem esse debeat fidelis, in rebus spiritualibus exercitatus, et quam proxime accedens ad eas virtutes et dotes, quas in Magistro Novitiorum requirunt nostrae Constitutiones parte 3, capite 1, § 12.

Subordinatus Magistro Novitiorum et Superiori Domus.

2. Magistro Novitiorum ita subordinetur, ut tamen in Domo Probationis, coniuncta Domui Professorum aut Collegio, altius subordinatus sit Praeposito vel Rectori, non etiam Ministro.

Calleat ex Instituto praecipue quae ad Novitios pertinent.

3. Ut quam paratissimum se praebeat instrumentum ad ea omnia, in quibus eius operam requisierit Magister Novitiorum, lectione sedula sibi reddat familiarem eam praecipue partem Instituti nostri, quae ad instructionem, directionem et manuductionem Novitiorum pertinet; adeoque Examen Generale, Regulas Magistri Novitiorum, Instructionem 6 et 16 P. Claudii Aquaviva, et quae eodem reduci possunt ex cap. 13 Ord. Gen., et P. Claudii Industrias ad curandos animi morbos, et quae sunt alia huius generis, ordinem denique domesticum, et approbatas consuetudines Domus Probationis.

Ordinem quoque et consuetudines Domus.

Curet praecipue religiosam observantiam.

4. Ad suum munus in primis existimet pertinere, cum vitae exemplo, tum prudenti cum charitate et amore dirigere Novitios in externa disciplina religiosa exacte servanda, ad normam Constitutionum, Regularum, ordinum communium, et approbatarum consuetudinum Domus. Singularem vero det operam, ut Novitii religiosam modestiam prae se ferant, iuxta Regulas de ea conscriptas.

Sed in primis modestiam.

Quae cura eorum, qui in prima probatione.

5. Praecipue tamen illis attendat, qui in prima probatione versantur, eosdemque magna charitate instruat, ac doceat, ut sibi a Magistro fuerit praescriptum, et iuxta huius Regulas.

Quid possit debeatve circa directionem interiorem, et confessiones Novitiorum.

6. Quid praestare possit debeatve circa directionem Novitiorum interiorem, intelligat ex Magistro Novitiorum, neque sibi praescriptos ab hoc limites excedat. Quapropter, cum ipse non sit Novitiorum Confessarius ordinarius, Magistri erit dispicere, an, et quantam partem huius ministerii Socio committi conveniat.

Visitet cubicula.

7. Visitet identidem cubicula Novitiorum, et alias Domus partes ipsorum exercitiis et usibus destinatas, ut videat, an omnia sint composita

Curet, ne desint Novitiis necessaria ad valetudinem.

ad aedificationem; curet quoque, ne quidquam illis desit, sive ad vestitum et habitationem, sive ad caetera necessaria pertineat, Superiore Domus consulto. Sed eorum potissimum rationem habeat, qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt; curetque ut adsit, cum Medicus aegros Novitios inviset.

Novitiorum recreationibus intersit.

8. Ubi non est consuetudo, ut Novitiorum recreationi post prandium et coenam semper vel ordinarie intersit, ibi curet saltem ut intersit identidem; studeatque etiam exemplo suo, ut tempus illud transigere discant, agendo de exemplis vitae Christi vel Sanctorum, aut de his, quae cum aedificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua utili in Domino. Etiam extraordinariis Novitiorum relaxationibus, quae iuxta probatas Domus consuetudines concedentur, attendat, ut ad refectionem et non ad effusionem spiritus tendant.

Attendat quoque extraordinariis relaxationibus.

Utatur opera Manuductoris.

9. Utatur opera Fratris Manuductoris in iis, quae commode per se facere non poterit, iuxta praescriptum Magistri Novitiorum aut Superioris. Curet ab eodem Fratre se moneri quotidie de rebus ad ordinem Domus et observantiam pertinentibus. Sed et ipse, die et hora sibi designatis, de iisdem aliisque ad suum munus spectantibus, rationem reddat Magistro Novitiorum; a quo excipiet in libello, ad id parato, quae ei facienda committet, et, cum primum commode poterit, eidem referat quae exsecutus fuerit.

Magistrum Novitiorum adeat stato tempore.

Foveat Novitiorum charitatem.

10. Studeat in animis Novitiorum fovere mutuam inter ipsos charitatem, et amorem ac reverentiam erga Magistrum et Superiorem; et velit potius in se, quoad fieri potest, suscipere invidiam, cum sic fert occasio, quam in illos derivare; veluti in iniungendis poenitentiis, quas ipse, non nisi iuxta illorum praescriptum, imponet; et tam in eis, quam in reprehensionibus, ab animi perturbatione caveat, charitatemque prae se ferre studeat.

Studeat Superiori magis quam sibi.

Quas facultates Novitiis facere possit.

11. Facultatem Novitiis accipiendi dandique mutuo minima, atque inter se de rebus necessariis loquendi dare poterit, si Magister illorum aut Superior non abnuerit. Caeterum alios, qui Novitii non sunt, alloquendi, vel Domo egrediendi, sive ad ianuam eundi potestatem ipse non faciet sine Magistri consensu; a quo et accipiet divisionem personarum in cubiculis, et rationem mutuo inter se sociandi, cum egrediuntur Domo, et socium designandi, si aliquando permittendum videretur, ut aliquis consanguineos vel amicos, quos in saeculo habebat, alloqueretur.

Doctrinam christianam explicet. *Reg. 76 Mag. Nov.*

12. Statis diebus explicet Novitiis brevi enarratione doctrinam christianam per dimidiam horam. Deinde eam iubeat illos recitare, uno stante et interrogante et aliis respondentibus, vel sese invicem interrogantibus: ipse vero omnes instruat in modo docendi illam iuxta morem regionis. Ad haec, hora consueta, pensum aliquando eorum, quae antea memoriae mandaverint, exigat. Uno vero die cuiusque hebdomadae audiat, dirigat, corrigatque dicentes tonos. Sed et haec et alia, in quibus Magistro Novitiorum placuerit uti eius opera, non nisi ex iudicio eiusdem fiant, et forma ab ipso praescripta.

Modum eam docendi tradat.

Tonos dirigat.

Procuratio quinque librorum ei mandata.

13. Socio denique Magistri Novitiorum recte mandabitur procuratio quinque librorum: quorum primo, quem penes se Procurator habere debet, inscribatur quid unusquisque

Novitius in Domum intulerit; secundo, dies et annus ingressus uniuscuiusque; tertio, examen semestre singulorum Novitiorum; quarto, eorum nomina, qui vota ante expletum biennium emiserint; quinto, eorum nomina, una cum declaratione ex praescripta Formula, qui vota emiserint expleto biennio.

REGULAE EXAMINATORIS.

Caput I. — Quae in Examinatore requirantur, et quid praestare debeat.

Qualis esse debeat. *P. 1 c. 1 n. 4.*

1. Qui examinat eos, qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum eiusdem Societatis, ac zelum boni progressus ipsius, ut nulla ratione dimoveri ab eo possit, quod magis in Domino convenire iudicaverit.

Quales admittendi. *P. 1 c. 1,* C.

2. Moderatus admodum sit in admittendi desiderio: nam, ut par est sollicite cooperari vocationi divinae, ut augeatur in Societate numerus operariorum vineae Christi; ita diligenter curandum est, ne quis admittatur, nisi qui illis Dei donis praeditus sit, quae ad ipsius gloriam hoc Institutum exigit.

Eorum dotes agnoscat. *P. 1 c. 1 n. 8. P. 1 c. 4 n. 2,* D.

3. Quando aliquis Societatem ingredi petit, primus ipse agat cum eo, ut intelligat, quae sint eius dotes et vocatio. Si quis autem clare deprehenderetur ineptus ad Institutum Societatis, Superiori significet, et, accepta ab eo facultate, illum consilio, et si quid aliud charitas suggerit, adiutum, statim dimittat; alios vero ad eos mittat, qui a Superiore designati fuerint, ut cum illis colloquantur.

Superiorem informet.

4. Postquam omnes designati eum, qui admitti desiderat, allocuti fuerint, curet Examinator, ut a Superiore vocentur, et referant quid de eo sentiant: Superior autem quid facto opus sit constituet.

Quid cum non admodum notis. *P. 1 c. 4,* D.

5. Si ille, qui ingredi cupit, nulli fuerit Domi satis notus, intellecto eius nomine, et eorum, quibus cognitus est, extra Domum inquiri poterit, cuiusmodi homo ille sit: iuvabit etiam ad hoc ipsum, si ad Sacramenta in ecclesia nostra frequenter accedat. Quod si adhuc de eo dubitaretur, non parum conferet, si in Spiritualibus Exercitiis constituatur; quibus peractis, si res nondum constaret, intelligat a Superiore utrum differendum responsum, aut omnino dimittendus sit. *P. 1 c. 4 n. 3,* C.

Caput II. — Breve examen, quo uti debet cum iis qui ingredi petunt.

De essentialibus

6. In primis, qui admitti vult, interrogetur decenter de quinque

impedimentis interrogandi. *Exa. c. 2. P. 1 c. 3.*

impedimentis essentialibus; prudenter tamen, ut ea impedimenta esse quae a Societate excludunt, ille non intelligat, ne verum occultandi occasionem accipiat.

Quid cum impedimentum innotuerit. *Exa. c. 2 n. 7, D.*

7. Si aliquod ex iis impedimentis in quoquam detegeretur, non est quod ulterius procedatur, sed, quoad fieri poterit, cum consolatione dimittatur: si tamen in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur, prius oporteret rem omnem cum Superiore conferre.

Quaerenda circa vocationem. *Exa. c. 3 n. 13.*

8. Si nullum tale impedimentum esset, ulterius interrogetur, an omnino decreverit saeculum relinquere, quibus de causis, aut quomodo desideria haec ei in mentem venerint, et quam dudum ea habuerit; an in hac animi sententia remissior aliquando factus fuerit, et quatenus.

Tempus vocationis, etc. *Exa. c. 3 n. 14.*

9. A quo tempore deliberaverit Societatem ingredi, et quid ipsum impulerit, ut hoc, potius quam aliud, Institutum, amplecteretur; an a quoquam, praesertim e Nostris, primum ad id motus fuerit; num deliberatum habeat animi propositum vivendi et moriendi in Domino in hac Societate; et an fuerit in eam alias admissus, et quare sit egressus.

Num qua obligatio aut morbus. *Exa. c. 3 n. 6, 8.*

10. Num habeat aes alienum, aut alias obligationes. Num morbum aliquem occultum vel manifestum, et an haereditarium, vel defectum in aliqua sui parte patiatur.

De penuria parentum, etc. *Exa. c. 3 n. 1, 2.*

11. Interrogetur de aetate, patria, parentibus, et eorum conditione, an rerum temporalium penuria premantur, et an ea causa vel quacumque alia necessario ipsius opera indigeant, aut probabiliter indigere possint.

De parentum origine. *Exa. c. 3 n. 2.*

12. An sit ex legitimo matrimonio, num a progenitoribus iam olim christianis, an a modernis, vel haereticis descendat. An aliquis ex eius progenitoribus notatus fuerit vel declaratus ob aliquem errorem contra nostram christianam et catholicam Religionem.

Circa doctrinam et prudentiam. *Exa. c. 5 n. 1.*

13. Si litteris praeditus est, interrogetur, ubi eis operam dederit, quantum profecerit: ingenii autem et iudicii specimen ex sermone et aliis coniicere licebit.

Quid a Coadiutoribus petet. *P. 1 c. 2 n. 2, 3.*

14. Si Coadiutor est futurus, petatur de aetate ac viribus; an omnino sorte Marthae contentus futurus sit, et num aliquam artem noverit; et observetur, an ad virtutem et devotionem propensus sit.

Institutum intelligant. *P. 1 c. 4 n. 3.*

15. Tandem curandum est, ut, qui admitti desiderant, summam nostri Instituti, probationesque ac difficultates, quae in eo sunt, bene intelligant. De iis vero, quae hic interrogantur, aut de Instituto explicanda dicuntur, plura aut pauciora, iuxta personarum qualitatem et cognitionem, inquiri et explicari poterunt.

Reliqua unde petenda.

16. Reliqua, quae ad officium Examinatoris pertinent, si quando cum iis, qui in prima probatione sunt, vel aliis Nostris illi obeunda erunt, petat ex officio Magistri Novitiorum.

Eadem petent caeteri a Superiore designati.

17. Caeteri vero, a Superiore designati, ut cum illis colloquantur, qui admitti petunt, iisdem fere interrogationibus utentur, exceptis iis, quae interrogato ruborem iniicere possunt.

REGULAE MINISTRI.

Eius officium quale. *P. 4 c. 10 n. 7.*

1. Eius officium erit Praepositum vel Rectorem iuvare in iis, quae in genere vel in particulari ei commendabit; nec dispensandi, aut mutandi, aut quidquam faciendi, nisi ex eiusdem praescripto, facultatem habebit.

Officialium Regulas, etc. legat, et observari curet.

2. Valde commendatum sibi existimet quod pertinet ad observationem Constitutionum, Regularum, ordinum communium, et approbatarum consuetudinum Domus vel Collegii: ideoque habeat in scriptis, et aliquando legat, tam communes omnium, quam particulares Superioris et Officialium Regulas; et eosdem Officiales suas habere, intelligere, atque observare curet.

Officiales et cubicula visitet.

3. Officiales visitet quoties opus fuerit, observando quomodo suum officium exsequantur; quod saltem alternis diebus faciet. Frequenter etiam visitabit cubicula et alia loca Domus, ut videat quomodo omnia se habeant.

Successores in officiis instrui curet.

4. Cum quis ab officio aliquo amovetur, curet ut is suum successorem instruat de ratione exercendi illud, iuxta Regulas et consuetudines a Superiore approbatas.

Mutatio horarum, vestium, etc. Superiori in memoriam revocanda.

5. Animadvertat in temporum mutationibus, quomodo in Collegio vel Domo fieri debet horarum, ciborum, vestiumque mutatio, et Superiori in memoriam reducat, praesertim bis in anno, sub initium veris et autumni; observet etiam crebro, num aliquid desit ex necessariis aut abundet; eorumque potissimum rationem habeat, qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt; curetque ut adsit, cum Medicus aegrotos inviset.

Rationem Superiori quotidie reddat.

6. Quotidie, hora sibi designata, de rebus omnibus Domus rationem Superiori reddat, a quo excipiet, in libello ad id parato, quae ei facienda committet; et, cum primum commode poterit, eidem referat quae exsecutus fuerit.

Necessaria ei in memoriam redigat.

7. Redigat Superiori in memoriam ea, quae necessaria Domui iudicabit, ut de coemendis rebus ad victum et vestitum necessariis suis temporibus, de Fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate, et similibus.

Quae notabit, et Superiori referet.

8. Notet ac referat Superiori tam defectus, si quos vel Domi aut in Collegio animadverterit vel aliunde intellexerit, quam quaecumque alia, quae ad bonam gubernationem convenientia ei occurrent; tum etiam circa res sibi commissas, et quasvis alias: ut quomodo se Nostri habeant circa obedientiam, orationem et in omnibus virtutibus profectum et studium.

Observet,

9. Curet per aedituum, vel ali-

an omnes communicent. P. 3 c. 1, Q.

quem alium designatum, observari, an omnes die statuto communicaverint: et, si quis intra tempus designatum ad confessionem aut communionem non accederet, intelligat a Superiore, num subtrahendus ei sit cibus corporis, donec cibum spiritus sumat.

Domus munda sit.

10. Peculiarem habeat curam, ut Domus munda sit, et omnia ubique decenter suis locis composita; sed praecipue in iis, quae ab externis videri solent.

Portae Domus clausae.

11. Noctibus singulis portas Domus, quibus in publicum exitur, videat, an bene clausae sint.

Designet, qui curam habeat rerum communium.

12. Designet aliquem ex commissione Superioris, qui communes lucernas Domus opportuno tempore incendat et exstinguat; qui item publicas fenestras suo tempore aperiat et claudat, ac pro abluenda facie et manibus in loco destinato aquam infundat, et pro iis extergendis mantilia, ab iis, quae in usum refectorii sunt distincta, adhibeat: quae alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus destinata erunt, et bis saltem in hebdomada mutabuntur.

Unionem inter domesticos curet.

13. Studeat animos Patrum et Fratrum inter se per benevolentiam, et praesertim cum Superiore per obedientiam unire. Et, si quid minus aequo animo aliquis ferret, velit potius in se, quoad fieri potest, quam in Superiorem, causam reiici; veluti in iniungendis poenitentiis, quas ipse iuxta praescriptum Superioris imponet: et tam in eis, quam in reprehensionibus, ab animi perturbatione caveat, charitatemque prae se ferendo, studeat, ut illi, quibus poenitentias imponet, merito sibi iniungi cognoscant.

Absente Superiore, quid sibi agendum sit.

14. Si quando absente Superiore aliquid acciderit, quod adeo urgeat, ut commode Superior exspectari nequeat, id Minister, auditis Consultoribus, exsequi poterit, quamvis in specie non sit ipsi commissum, dummodo existimet iuxta Superioris mentem id fore; statimque redeunti, quod factum fuerit, referat.

Quod autem sibi ordinarie agendum erit absente Superiore, ab eo curet intelligere.

Subministro utatur.

15. Si Subministrum habuerit, utatur eius opera in iis, quae commode per se facere non poterit, iuxta praescriptum Superioris; si vero non habuerit, alternis saltem diebus singula cubicula visitet, et alia, quae in officio Subministri continentur, suppleat.

REGULAE CONSULTORUM.

Officii gravitas. *P. 4 c. 10 n. 7. P. 9 c. 6 n. 14.*

1. INTELLIGANT quanti momenti sit eorum officium, ut Superiores, eorum consilio et relatione adiuti, melius et facilius gubernare possint.

Eorum partes. *P. 9 c. 5 n. 2.*

2. Sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus prae oculis habeant; atque, ut divinae inspirationi dent locum et saniora sint eorum consilia, in suo sensu non nimis abundent.

Pura intentio.

3. In consultationibus sinceram intentionem habeant et a perturbatione liberam, ut fideliter et debita cum modestia, charitatis et obedientiae memores, sententiam dicant.

Quomodo se habeant inter se.

4. Sint inter se maxime charitate coniuncti, et alter alterum honore praeveniat, atque apud alios alter alterius existimationem verbis factisque tueatur. Si vero contingat aliquem in consultationibus diversae, aut etiam singularis esse sententiae, nemo ullam ab eo alienationem vel habeat vel ostendat.

Quales sint in dicenda sententia.

5. Rem, de qua consultatur, bene intelligant, nec sint in dicendo praecipites; sed, negotio secum considerato et oratione praemissa, praecipue cum de rebus agitur difficilibus, sententiam suam aperiant. Quod si quid ex tempore discutiendum proponeretur, et id sibi maturius considerandum iudicarent, Superiori significabunt.

Breviter rationes dicant.

6. Explicare breviter debent sententiae suae rationes; quod si ad rem confirmandam aliorum rationes essent dissolvendae, id etiam modeste faciant.

Quid cum Superior aliquid statuerit.

7. Cum Superior, Consultoribus auditis, aliquid statuerit, iudicium ipsi suum illius iudicio submittent, neque extra consultationem, aut quod statutum fuerit sibi displicere, aut se in alia fuisse sententia significabunt; laudent potius Superioris consilium apud alios, atque tueantur. Quod si, ob rei, de qua agitur, gravitatem, adhuc sentirent ad alium Superiorem esse rem deferendam, quod nihil monitione sua se effecturos sperarent; re prius apud se maturius considerata et oratione praemissa, ad immediatum illius Superiorem, aut, si is non provideat, ad supremum id facere ne praetermittant.

Quando proponere possunt.

8. Etiamsi non interrogentur, si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum vel alicuius personae particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is statuat, num ea de re sit deliberandum, nec ne.

Servent secretum.

9. Consultores, neque ea, quae quisque in consultatione senserit, neque ea, quae proposita sunt aut definita, aliis significare debent; praecipue cum res ipsae secretum exigunt. Superioris autem erit ea, quae

definientur, promulgare, cum opus esse iudicabit.

De litteris ad Superiorem mittendis. * n. 20, 21. P. 4 c. 17 n. 7.

10. De litteris ad Superiores suo tempore mittendis, servent diligenter quae in Formula Scribendi * a Consultoribus exiguntur. Et hae litterae sigillo, quod apud Admonitorem erit, obsignatae mittantur: nec quisquam eorum sciat quid alius scripserit.

Possunt aliorum litteras ad Generalem mittere.

11. Si quis ex Nostris ad Generalem scripserit, et litteras Admonitori aut alicui ex Consultoribus tradere voluerit; is acceptas, cum suis aut sub propriae manus inscriptione, ad Generalem mittendas curabit.

De quibus Superior, et quomodo monendus. P. 9 c. 4 n. 2, 3, 4. C. 1 can. 34 d. 82.

12. Si quid circa victum, vestitum, labores et occupationes Superioris, aut circa gubernationem, moderandum, augendum, vel mutandum censerent; illum, praemissa oratione, admonendum curent, quod fere per Admonitorem faciant.

Superioris existimatio tuenda.

13. Si quis cum eis de difficultate aliqua sua aut perturbatione agat; ita eum suis monitis et consilio iuvare studeant, ut semper, quantum possint, existimationem Superioris tueantur.

Constitutiones et Regulas familiares sibi reddant.

14. Ad omnia melius obeunda, Superiorum suorum et aliorum Officialium Regulas teneant, Constitutionesque et reliqua omnia, quae ad nostrum Institutum et administrationem pertinent, familiaria sibi reddant.

Quomodo suum munus bene obeant.

15. Ita suum munus exsequantur, ut nullam gubernationis partem sibi assumant, atque ea submissione se gerant, ut caeteris obedientiae exemplum praebeant.

REGULAE ADMONITORIS.

Officium suum modeste et humiliter obeat. P. 9 c. 4 n. 4.

1. Ea modestia et humilitate officium suum obeat, ut subditum decet erga Superiorem, quem Christi loco habet: niti enim debet, ne huius muneris occasione reverentia atque obedientia interior vel exterior in ipso debilior reddatur.

Servet necessariam libertatem.

2. Animadvertat autem, ne reverentia haec et obedientia fidelitatem aut necessariam libertatem opprimat, quo minus Superiorem admoneat de iis, quae, praemissa oratione, proponenda in Domino iudicabit.

De quibus Superior admonendus.

3. Admoneat Superiorem de iis, quae maior pars Consultorum ei dicenda iudicaverit; de aliis vero, quae, sive ipsi in mentem venient, sive ab aliis suggerentur, non facile eum admonebit; sed de iis dumtaxat, quae non levis momenti post orationem esse censuerit, sive illa ad personam, sive ad officium Superioris pertinebunt iuxta Constitutiones et Decreta.

Quali secreto teneatur.

4. Ea, quorum Superiorem admonuerit, meminerit tacitus apud se servare; quamvis, interrogatus a Consultoribus de iis, quae ipsi commisissent dicenda, vel a Superioribus,

rationem sui officii eis debebit reddere.

Quid, si Superior admonitus remedium non adhibet.

5. Cum Superior, cuiuspiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, Admonitoris erit cum debita submissione iterum et saepius eum commonefacere: quod si emendationem non sperat, facta prius oratione, id Superiori significet.

Consultorum litteras mittet. *C. 7 d. 52.*

6. Admonitoris erit ordinarias epistolas Consultorum suis temporibus colligere, atque ad mediatos Superiores mittere, nisi eas illi alia via mittere voluerint, simulque referet eisdem, utrum illi scripserint, an non.

Subditorum erga Superiores observantiam non imminuat.

7. Caveat, ne occasione sui officii debitam subordinationem et observantiam subditorum erga suos Superiores aliqua ex parte imminuat aut debilitet.

Sigillo quomodo et quando utatur.

8. Sigillum apud se habeat, quo suas et Consultorum ac aliorum Nostrorum litteras, si ad eum detulerint, qui ad mediatos Superiores scribere voluerint, obsignare possit. Hoc tamen nulla ratione sine facultate Superioris uti licebit, nisi in iis litteris, quae ad Superiores mediatos scribentur.

REGULAE

PRAEFECTI RERUM SPIRITUALIUM.

Qualis esse debeat. *P. 4 c. 10 n. 7. P. 3 c. 1 n. 12.*

1. PRAEFECTUS rerum spiritualium cognitionem Instituti Societatis et zelum boni progressus ipsius habeat, et in obedientia et humilitate exemplum aliis praebeat, et amabilem se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, et ab eo consolationem et auxilium sperent in Domino.

De quibus Nostros instruat. *P. 3 c. 1 n. 12. P. 10 n. 2.*

2. Instruat Nostros privatim, secundum uniuscuiusque captum, quomodo interius et exterius se habere debeant, et ad id exhortetur, et in memoriam redigat, et amanter admoneat, praesertim ut puram habeant intentionem divini servitii, et familiaritatem cum DEO in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelum sincerum animarum.

Quid ab eis petet.

3. Petat quem procedendi modum in oratione et examine habeant, et si contra aliquem defectum examen particulare faciant, et si contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, et in solidis virtutibus acquirendis, praesertim in obedientia, quid observent, et de poenitentiis et aliis devotionibus.

Eos in quibus diriget.

4. Sicubi in his a rectitudine deflexerint, eos dirigat iuxta modum Societatis; erga cuius Institutum curet ut omnes bene affecti sint; et

det operam, ut orandi et meditandi modos, quos docuit Pater noster Ignatius in libro Exercitiorum, retineant, et ut illo libro familiarissime utantur: videatque, ne, dum Nostri devotionem habere procurant, caput laedant, aut vires corporis nimis debilitent.

Lectio librorum spiritualium sit illi familiaris. *P. 8 c. 1 n. 20.*

5. Versatum ipsum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, et unicuique decernat tempus et modum cum fructu eos legendi, qui sint faciliores et nostro Instituto magis convenientes.

Curet solari afflictos, et tepidos exhortari.

6. Peculiarem habeat curam consolandi afflictos, et tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque infirmitate vel necessitate adhibendo; qualia sunt frequentius communicare, plus temporis orationi impendere, Exercitia Spiritualia facere, plus aliquid poenitentiae assumere, libros aliquos spirituales legere, et similia. Quae autem ex his ipse concedere possit, et in quibus ad Superiorem recurrendum sit, ab eo intelligat. *C. 8 d. 38 n. 3.*

Coadiutores ut instruat. *C. 7 d. 80 n. 19. Instr. 8. P. 1 c. 2 n. 2. P. 8 c. 1 n. 20,* B. *P. 4 c. 4,* C.

7. Parem quoque adhibeat diligentiam circa Coadiutores temporales, frequenter eos alloquendo, novos praesertim et infirmiores, ut quieti sint, et sorte Marthae contenti; et pro eorum captu illos instruat, mysteriaque Rosarii doceat, ut maiore devotione illud recitare possint. Meditationis etiam capita illis suggerat, modum et fructum orationis exigat, dirigatque, ubi opus fuerit. *C. 8 d. 38 n. 4.*

Quomodo ad Sacramentum accedendum.

8. Doceat omnes, ut praemissa oratione et cum magna reverentia ad Sacramentum altaris accedant, et post eius perceptionem per aliquod temporis spatium orent, et gratias agant.

Singulis mensibus cum unoquoque agat.

9. Praeter eos, quos satis instructos Superior iudicaverit, cum unoquoque agere de his ultra mensem ne differat: saepe vero consideret quem fructum bonorum operum ex oratione et ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

Videat ne studia et alia impediantur.

10. In his autem omnibus videat, ne ordo unicuique praescriptus impediatur, ac praesertim studia illorum, qui litteris dant operam, nisi cum Superior aliter iudicaverit.

Peculiarem habeat curam Novitiorum.

11. Curam peculiarem habeat Novitiorum, si qui Domi vel in Collegio fuerint, nisi a Superiore aliunde prospectum sit; et erga eos observare studeat ea, quae iuxta Magistri Novitiorum et Examinatoris Regulas observari commode poterunt.

REGULAE PRAEFECTI ECCLESIAE.

Aeditui Regulas habeat, et servari faciat.

1. CURET, ut aedituus Regulas suas observet, quas Praefectus ipse apud se etiam habeat.

Catalogus dierum festorum.

2. Praebeat illi catalogum singulis diebus sabbati, quo dies festi ac ieiuniorum proximae hebdomadae contineantur, ut eum in refectorio recitet in coena diei dominicae sequentis.

Modus faciendi Sacrum assignetur.

3. Singulis diebus sabbati, vesperi, in sacristia scripto proponat quemadmodum quotidie Sacra sint facienda sequenti hebdomada, et quo ordine rem divinam in altari summo facturi sint, qui ad hoc fuerint designati.

In altari maximo non desit Sacrum, nec plura simul inchoentur.

4. Detur opera, ne in altari maximo desit umquam Sacrum, quo tempore celebrari solent: habeaturque ratio, ne plura Sacra simul inchoentur, sed commode omnia suis spatiis distinguantur.

Missae et orationes pro defunctis, etc. *P. 4 c. 1. P. 7 c. 4 n. 3, 4. P. 10 n. 1.*

* *Sup. pag. 35.*

5. Curam gerat Missarum et orationum, quae pro defunctis Societatis, et pro fundatoribus et benefactoribus, ac pro ipsa Societate fieri debent, quas ex praescripto catalogo * intelliget; et catalogum earum, quae secundum nostrum Institutum, et ex praescripto Generalis ordinarie faciendae sunt, referat in duas tabellas, quarum alteram appendat in sacristia, alteram in alio convenienti loco, quae initio cuiusque mensis publice in refectorio legetur.

Quae scribi curabit in schedula.

6. Cum Superior aliquid in Sacro DEO commendari, aut Sacra ipsa, quae ab omnibus facienda sint, applicari ad finem aliquem iusserit, curet scribi in schedula in sacristia affigenda.

Quae cuique significanda curabit.

7. Quaecumque autem ex his non ab omnibus facienda erunt, ea Praefectus unicuique privatim significanda curabit.

Quae in libro scribet.

8. Librum habeat, ubi mandata Superiorum de his rebus, si aliquamdiu duraturae, aut non statim faciendae sint, scribantur, ne memoria excidant; et cum fuerint adimpletae, deleantur.

Candela fundatori danda. *P. 4 c. 1 n. 3.*

9. In Collegiis et Domibus Probationum curet iuxta ordinem Superioris de candela danda fundatoribus iuxta Constitutiones.

Quid cum Sacra fieri externi postulant.

10. Si quando externi Sacra aliqua fieri postulaverint, se Superiorem consulturum respondeat, nisi eius animum perspectum iam habeat.

Externos ad Sacrum ut admittet.

11. Externos Sacerdotes ad faciendum Sacrum in nostro templo, non sine delectu admittat; sed eos tantum, qui aedificationi sint, praesertim notos, idque iuxta ordinem Superioris: et intelligat, an a suo Ordinario legitimam habeant facultatem.

Quid circa Sacerdotes servabit.

12. Videat, an Sacerdotes Regulas suas observent, et num barbam et coronam decenter tonsam habeant.

Promovendi ad Sacerdotium. P. 4 c. 8 n. 2. P. 7 c. 4 n. 5.

13. Per se, vel alium a Superiore designatum, promovendos ad Sacerdotium instrui curet: et videat, ut ad romanae Ecclesiae ritum, tam ii quam omnes Sacerdotes, se accommodent, et ne confessiones audiant, nisi sint legitime approbati.

Eleemosynae pro ministeriis nullae. Exa. c. 1 n. 3. P. 6 c. 2 n. 7. P. 10 n. 5.

14. Animadvertat, ne ullae pro Sacris faciendis aut confessionibus audiendis eleemosynae admittantur.

Nec arcula in ecclesia. P. 6 c. 2 n. 8. C. 2 can. 23 d. 78.

15. Nulla sit in ecclesia arcula, in quam eleemosynae coniiciantur, sive pro nobis sive pro aliis.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

16. Det operam, ut Sanctissimum Domini nostri Corpus decenter in custodia conservetur, diligenter cavens, ne umquam in ea Sacramentum desit, habita communicantium ratione; et ut saltem decimo quinto quoque die innovetur; et, Sacris absolutis, in tabernaculo clavi obseretur.

Nostri separatim ab externis communicent.

17. Quando Nostri in templo communicaverint, curet Praefectus, ut id faciant separatim ab externis.

Oleum sanctum et reliquiae ut asserventur.

18. Oleum sanctum, ut oportet, asservatum singulis annis renovet, et Sanctorum reliquias (quae quidem mobiles fuerint) in tabernaculo ad id deputato decenter custodiat: si quando autem devotionis causa ostendendae erunt, duo cerei accendantur; atque huius tabernaculi clavem unam ipse habeat, et alteram diversam Praepositus aut Rector.

Necessaria ad divinum cultum non desint.

19. Cruces, calices, ornamenta, et reliqua id genus, ut par est custodiantur; nec desint velamina ad cooperiendos calices, et alia ad divinum cultum et ornamentum necessaria.

Quando ornamenta altarium mutanda.

20. Mutari faciat altarium et Sacerdotum ornamenta, quod ad colorem attinet, habita temporum et festorum ratione, iuxta ritum romanae Ecclesiae.

Sine facultate nil mutuetur ab externis ad ornandum templum.

21. Cum templum ornandum fuerit, nihil sine facultate Superioris ad eam rem commodato ab externis petat: detque operam, ut, quod acceptum fuerit, accurate custodiatur, et dominis quam primum reddatur.

Illius instauratio.

22. Si templum instauratione, aliqua in parte, indiguerit, aut aliis ad divinum cultum necessariis, provideat, sicut ipsi a Superiore fuerit praescriptum.

Curet designari qui de concionibus iudicent. P. 4 c. 8, C.

23. Superiori in memoriam redigat, ut aliquos designet, qui de concionibus et modo concionandi iudicare possint; quorum saltem unus concioni intersit, ut Concionatorem, cum opus fuerit et Superiori videbitur, admonere possit.

Concio horam non excedat.

24. Conciones et lectiones templi horae spatium superare non debent: eo vero ordine Missae dicantur, ne impediant, quo minus conciones tempore praefixo inchoentur.

Mulierum locus in templo separatus.

25. Advertat, ne viri in templo mulierum locum occupent; neve ex adverso earum, quantum fieri poterit, maneant.

Confessarii non desint.

26. Curet ne Domi desint Confessarii, qui necessarii in templo nostro sunt, et ut confessiones vespere decenti hora absolvantur.

De communione in parochia. P. 7 c. 4 n. 5, C.

27. Pridie Palmarum Confessarios admoneat, ut Constitutionem illam observent, quae ad externos ad suas parochias dimittendos, Eucharistiae sumendae gratia, pertinet, et ante id tempus, si consuetudo regionis id postulaverit.

Officia, et vesperae in Hebdomada Sancta. P. 6 c. 3, B. C. 3 can. 9 d. 36.

28. Officia Hebdomadae Sanctae, et vesperae, si hae dicentur, fiant tono simplici, more Societatis, sine cantu, etiam firmo; nisi ubi Generalis Praepositus dispensaverit: id autem quod de vesperis dictum est, de benedictione candelarum et ramorum intelligatur.

De pecunia pro ecclesia petenda.

29. Cum aliquid petendum erit pro ecclesia, aut usu sacristiae, intelligat in ea re Superioris voluntatem eamque exsequatur. Cumque pecuniae alicuius momenti summa dabitur aut colligetur, eam deponat apud Procuratorem in scrinio aliquo, cuius clavem unam Superior habeat, et alteram diversam ipse Praefectus.

Librum habeat dati et accepti.

30. Librum habeat, in quo eleemosynarum, quae ecclesiae usibus dantur, et expensarum rationes constent.

Munditles in omnibus.

31. Panni omnes linei semper mundi serventur, et separatim corporalia atque etiam purificatoria (quae quatuor cruces in angulis habeant) laventur; et utrorumque ablutio, et cineres eorum, quae vetustate consumpta comburuntur, in sacram piscinam mittantur.

Catalogi rerum ecclesiae.

32. Catalogum unum rerum omnium ecclesiae mobilium, quae alicuius momenti sunt, custodiat; in altero vero illa scribantur, quae aut nova ipsi traduntur, cum die, anno, etc., aut vetustate consumuntur, ut possit, cum exigetur, prioris catalogi rationem reddere: saepe etiam res pretiosiores inspiciet, ne aut laedantur, aut amittantur; arcis in quibus servantur, et sacristiae ianuis bene clausis et munitis.

Quae in defunctis servanda. *P. 6 c. 4, B.*

33. Cum Nostrorum aliquis extremum diem obierit, spatio diei naturalis decenter teneatur, nisi ratione mali odoris, aut ex alia iusta causa, anteverti hoc tempus Superiori posse videretur.

Quo vestitu Nostri sepeliendi. *C. 1 can. 27 d. 109.*

34. Observetur circa vestitum Sacerdotum mortuorum, quod de viventibus dicitur in Constitutionibus, ut scilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis, in qua versamur, uti solent: Fratres vero, qui Sacerdotes non sunt, sepeliantur eo modo induti, quo alii clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, sepeliri solent. *C. 4 d. 4.*

Funeri necessaria curabit. *P. 6 c. 4 n. 3. C. 1 can. 27 d. 109.*

35. Curam suscipiet sepulcri, candelarum, et precum, quae consueto more dicuntur, rerumque caeterarum, quae ad eam rem erunt necessariae.

REGULAE

PRAEFECTI LECTORUM AD MENSAM.

Idoneos lectores curet, et instruat.

1. Curet, ut idonei in lectores mensae a Superiore destinentur, et eos instruat, ut alta, clara et distincta voce legant.

Praevidere faciat lectionem.

2. Det operam, ut lector praevideat diligenter lectionem, ut bene et emendate proferat, et in dubiis ad se recurrat.

Eos in mensa corrigat.

3. Admoneat lectorem; et si quid perperam pronuntiaverit, correctus repetat, et emendate iterum proferat.

Socios habeat.

4. Habeat a Superiore assignatos

sibi socios, ut in neutra mensa desit, qui lectorem corrigat; eosque iuxta has regulas instruat.

Quae, et quo ordine legi debeant.

5. Initio lectionis in prima atque etiam (nisi Nostrorum paucitas aliud suaserit) in secunda mensa in prandio et coena legatur caput de Scriptura Sacra Novi vel Veteris Testamenti, cui succedat semper aliquis liber pius ac facilis, iuxta indicem inferius praescriptum: et habeatur peculiaris ratio Coadiutorum, ut, pro arbitrio Superiorum, aliquid vernacula lingua ad illorum etiam consolationem legatur.

Quid in festis celebrioribus.

6. In celebrioribus festis legatur aliquid, omisso capitulo Scripturae, ex Patrum homiliis et tractatibus, quod ad historiam et celebritatem festi pertineat. Et, a dominica in passione usque ad Pascha, post lectionem Scripturae, de passione Domini tractatus aliquot de eadem legantur.

Litterae annuae.

7. Cum offeruntur litterae annuae et indicae, quam primum legantur.

Regulae.

8. Initio cuiusque mensis Summarium Constitutionum, Regulae Communes, et epistola B. P. N. Ignatii de obedientia legantur.

Martyrologium. C. 8 d. 47.

9. Mane, absoluta lectione seu praedicatione, legatur Martyrologium vulgare sequentis diei. Quo die fit abstinentia, vespere caput aliquod ex libro de Imitatione Christi; cum vero ieiunatur, nihil legatur vespere.

LIBRI DIVINAE SCRIPTURAE,

qui in refectorio legentur.

Libri legendi ex Scriptura.

Ex Novo Testamento, omnia integre legentur.

Ex Veteri, Pentateuchus, praeter Leviticum.

Historiales omnes, et sapientiales, praeter Cantica.

Prophetales, praeter capita aliquot obscuriora.

LIBRI,

qui post lectionem Scripturae legi possunt.

Ex auctoribus.

Historia ecclesiastica Eusebii caesariensis.

Historia ecclesiastica Nicephori Callisti.

D. Gregorii dialogi.

Historia ecclesiastica Bedae.

Vitae Sanctorum Aloisii Lipomani.

Vitae Sanctorum Surii.

Severus Sulpitius, de B. Martino.

Gregorius turonensis, de gloria Confessorum.

Selectae Epistolae D. Hieronymi.

Chrysostomus, de orando DEUM, de Providentia, et de Sacerdotio.

Ambrosius, de fuga saeculi, de bono mortis.

Augustini sermones, meditationes, confessiones, et alia eiusdem opuscula et tractatus.

D. Bernardi, de interiori domo, et aliquot sermones et tractatus.

Homiliae Patrum selectae.

D. Bonaventurae, stimulus divini amoris.

Thomas de Kempis, de Imitatione Christi, et aliquot ex eiusdem auctoris opusculis.

Catechismus romanus.

Litterae indicae.

Quinam alii legendi.

10. Praeter hos libros poterunt quidem alii legi, tum vulgares tum latini, sed examinati et approbati a Provinciali; atque illi esse debent, qui et pietatem promoveant, et vocationis propriae propositum confirmare possint.

Cum Superiore conferendum.

11. De singulis libris suo tempore praelegendis in mensa indicem praescriptum prius conferet cum Superiore, ut ille constituat quid legendum sit.

Catalogus

12. Catalogum a Superiore habeat eorum, qui in refectorio commode concionari poterunt, ex quibus Superior ipse eligat, qui statis diebus concionentur, et eos praescripto tempore admonebit, qua de re sint concionaturi.

concionatorum in refectorio.

REGULAE PRAEFECTI SANITATIS.

Quod eius munus. *P. 3 c. 2 n. 6.*

1. Praefecti sanitatis munus erit superintendere iis, quae ad corporis bonam valetudinem pertinent, tum conservandam in sanis (in iis praesertim, qui ex aetate aut aliis de causis sunt debiliores), tum restituendam in aegrotantibus.

Infirmario praesit. *P. 3 c. 2, G.*

2. Praesit infirmario et caeteris, quibus cura aegrotorum commissa erit; detque operam, ne desit Medicus, adsitque eo veniente, praesertim ubi morbi qualitas id postulaverit; et, quidquid ab eo praescriptum fuerit, studeat ut exsecutioni mandetur. Et, ubi videret aegrotorum cubicula salubria non esse, ad Superiorem referat.

Circa nimios labores.

3. Observet, num quis ex nimia fatigatione corporis aut spiritus plus aequo laboret, vel alia de causa morbi periculo se exponat, et Superiori significet.

Superiorem admoneat de his quae saluti prosunt, etc.

4. Si in cibis, aere, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicuius saluti prodesse vel obesse possit, Superiorem admoneat.

Infirmarii Regulas habeat, et observari faciat.

5. Curet, ut infirmarius Regulas suas observet, quas apud se etiam habebit.

REGULAE PRAEFECTI BIBLIOTHECAE.

Index librorum prohibitorum.

1. INDICEM librorum prohibitorum in bibliotheca habeat, et videat, ne forte ullus sit inter eos ex prohibitis, aut alii, quorum usus communis esse non debet.

Bibliothecam claudat, etc. *P. 4 c. 6 n. 7.*

2. Bibliotheca clausa sit; cuius claves ipse habeat, et illis tradat, qui eas, iuxta Superioris iudicium, habere debebunt.

Libri quomodo disponendi.

3. Libri omnes eo ordine in bibliotheca collocentur, ut singulis Facultatibus suus certus sit locus, proprio titulo inscriptus.

Exterius inscribantur tituli.

4. Singuli libri titulis exterius inscribantur, ut facile cognosci possint.

De eorum conficiendis catalogis.

5. Omnium librorum, qui domi sunt, catalogum habeat, diversarum Facultatum auctoribus ordine alphabetico in diversas classes distributis.

Catalogus librorum in usum Nostrorum.

6. In alio catalogo, divisis etiam per classes Facultatibus, ii libri scribantur, qui in Nostrorum usum extra bibliothecam concessi sunt: qui vero intra dies octo restituendi extrahuntur, in tabula in hunc usum parieti appensa notentur; quibus redditis, quod fuerat scriptum deleatur.

Ut ex bibliotheca extrahendi.

Ex bibliotheca nullum librum inscio Superiore dabit.

7. Nullum librum ex bibliotheca cuipiam dabit sine Superioris licentia speciali aut generali: et advertat, ne quis librum, etiam cum licentia, se inscio accipiat.

Bibliotheca mundanda.

8. Curet, ut bibliotheca valde munda et composita sit, quam in hebdomada bis verret, et semel ex libris pulverem excutiet: cavere etiam debet, ne libri humiditate aut alia re laedantur.

Novos emendos, et inutiles vendendos curet.

9. Quando intellexerit domi deesse aliquos libros necessarios, aut aliquos valde utiles in lucem editos esse, certiorem faciat Superiorem, ut, si illi visum fuerit, emantur: si vero domi libri inutiles fuerint, eumdem admoneat, an cum aliis melioribus commutandi sint.

Libri communes.

10. In loco publico, praesertim in magnis Collegiis, sint quidam communiores libri, quibus unusquisque pro ratione suorum studiorum uti possit.

Quae in libro scribenda.

11. Habeat librum, in quo ea omnia iudicio Superioris selecta diligenter scribantur, quae in suo Collegio publice exhibentur, ut comoediae, dialogi, orationes, et id genus alia. Conclusiones vero singulorum annorum, quae publice defendentur, simul consutas in bibliotheca asservet.

Libri extra Domum commodati.

12. Si aliqui libri extra Domum commodato darentur, adhibeat diligentiam, ut recuperentur suo tempore; et in aliquo interim libro notabit, quinam illi libri sint, et quibus eos accommodaverit.

REGULAE SUBMINISTRI.

Instrumentum Superiorum.

1. SUBMINISTER est instrumentum Ministri et aliorum Superiorum ad res particulares obeundas et exsecutioni mandandas.

Eorumdem executor.

2. Nihil ordinat, sed tantum est executor et exactor actionum domesticarum, iuxta modum et ordinem sibi a Superioribus praescriptum.

Eius cura.

3. Est eius praecipua cura, ut omnia, quae attinent ad culinam, refectorium, penum, cellam vinariam et aquariam bene, et ordine, et tempore suo parata sint et ministrentur; videatque ut cubicula sint decenter composita, quae alternis saltem diebus visitabit.

Curet, ne Nostri intempestive loquantur.

4. Curet, ne Nostri per Domum vel Collegium vagentur, vel intempestive colloquantur; ac denique, ut unusquisque in suo officio versetur et contineatur.

Quotidie de omnibus referet.

5. Referet de omnibus rebus quotidie ad Ministrum; ad Praepositum vero vel Rectorem, quoties eis visum fuerit.

Poenitentias non iniunget.

6. Nullam iniunget poenitentiam, sed de defectibus domesticis admoneat Ministrum vel alium Superiorem; poterit tamen impositas poenitentias nomine alicuius Superioris aliis denuntiare.

Erit Superior non Sacerdotum.

7. Erit Superior Nostrorum, qui Sacerdotes non sunt; Sacerdotibus tamen aliquid iniungere poterit nomine alicuius Superioris.

REGULAE AEDITUI.

Praefecto obediet.

1. PRAEFECTO ecclesiae obediat in omnibus, quae ad templi ministerium pertinent.

Modestiam servet.

2. Servet modestiam in incessu, vultu sermoneque, tam in templo, quam in sacristia: iis vero, qui aliquid exi-

gunt, satisfacere cum aedificatione studeat per se, vel ad Praefectum recurrendo, aut ipsos ad eum remittendo. Si quando vero necesse erit cum mulieribus loqui, id oculis demissis et quam brevissime faciat.

Quomodo Sacris inserviet.

3. Dum Sacris inservit, attentus ad suum ministerium cum devotione et aedificatione sit. Nec ante eum, qui celebrat, aut ad latus ex aequo, sed aliquanto posterius maneat; utatur vero tono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos utitur; omnia recte proferat, nec celeriter nimium, nec nimis lente. Denique in iis sit bene instructus, et caeteros, qui Sacerdotibus ministrabunt, eadem doceat.

Vestimenta Sacerdotis componet.

4. Curet ut vestimenta, quae Sacrum facturus induitur, sint recte aptata, ipsumque circumquaque intueatur, antequam e sacristia exeat.

Ministros Missarum habeat.

5. Diligenter det operam, ut Sacerdotes, qui Sacrum facere volunt, quam primum ministros habeant, iuxta ordinem sibi a Superiore praescriptum; et quotidie unumquemque eorum, qui ordine in summo altari Missas dicturi sint, opportuno tempore admoneat.

Sudariola pro singulis apponet.

6. Tot habebit appensa sudariola in sacristia, quot fuerint domi Sacerdotes, inscriptis singulorum nominibus, et addito uno vel pluribus pro extraordinariis.

Quot candelas accendet.

7. Dum Sacra fiunt, accendat, ut minimum, candelas duas: et cum Sanctissimum Sacramentum elevatur, facem aut cereum; quo tempore etiam tintinnabulum pulset: accendet etiam facem, cum aliis Sanctissimum Sacramentum ministrabitur, ipseque confessionem generalem eorum vice recitabit.

Vinum et aqua.

8. Curet ut vinum, quod in Sacrificium paratur, sit bonum, et merum, ac mundum, eoque ipso die haustum; similiter et aqua: ampullae sint mundae et decenter coopertae.

Hostiae.

9. Hostias faciat, quam fieri poterit, pulchras, eo numero, ut et Missis et communionibus sufficiant.

Campanam quando pulsabit in nostra ecclesia.

10. Ante Missas, conciones, ac lectiones pulset campanam, prout sibi praescriptum erit; det etiam signum salutationis B. Mariae in aurora, in meridie, et vesperi: etiam signum, cum primum quis ex Nostris vita functus fuerit, ut omnes, pro cuiusque devotione, illius animam Deo commendent.

Quando in aliis pulsatur.

11. Si quando propter universalem aliquam causam in reliquis ecclesiis campanae pulsentur, ipse etiam iuxta Superioris praescriptum pulsabit.

Scamna componat in templo.

12. Pridie quam sit habenda concio, disponat scamna in templo, iuxta solitum morem.

Lumen ante Sacramentum numquam desit.

13. Det operam, ut nullo modo lumen desit ante Sanctissimum Sacramentum, neque interdiu, neque noctu.

Sacerdotes ut vocandi.

14. Ex iis Sacerdotibus, quos habet a Superiore designatos, vocet diligenter ad templum, qui nominatim petuntur ad confessiones audiendas: quod si nominatim non petuntur, eos iuxta ordinem sibi praescriptum accersat, et, quantum in ipso est, det operam, ut omnibus, qui confiteri volunt, satisfiat.

Quando Missae petuntur.

15. Si qui Missas aut orationes petant, ad Praefectum recurrat, vel ad eum illos remittat.

Quos ad ianitorem remittet.

16. Si quis aliquid quaereret, in quo ei a ianitore melius satisfieret, eum ad portam Domus remittat; et eos etiam, qui per portam, qua a templo in Domum patet aditus, ingredi vellent, nisi viri essent eiusmodi, ut eorum peculiaris esset habenda ratio,

prout a Superiore fuerit instructus; numquam autem porta ea aperta relinquatur.

Lintea et aqua ad manus non desint.

17. Curet, ut numquam illic aqua desit, ubi lavantur manus, et sint lintea convenienter munda pro Sacerdotibus ad manus solas ante et post Sacrum extergendas.

Aqua benedicta.

18. Provideat, ut aqua benedicta in pila non desit.

Eleemosynas non admittat. *Exa. c. 1 n. 8. P. 6 c. 2 n. 7.*

19. Si quando eleemosynae Missarum vel confessionum gratia offeruntur, eas non admittat. Si quid tamen alioqui in altaribus, aut aliis templi locis repererit, aut in usum templi oblatum fuerit, id Praefecto tradet.

Portae templi quando aperiendae, et quando claudendae.

20. Templi portas mane, sed non ante auroram, aperiat; easdemque vesperi circa solis occasum diligenter obseret; quod etiam faciet circa meridiem, nisi Superior in casu aliquo secus faciendum iudicaret; et quotidie noctu claves ecclesiae ad Superiorem deferat.

Templi custodia.

21. Quamdiu templum erit apertum, diligenter curet, ne umquam sine custode relinquatur; sed semper aut ipse, aut alius in eo sit, vel in sacristia, ita ut et videre templum, et custodire possit.

Ne fiat in eo strepitus.

22. Advertat, ne quis in templo deambulet, neve strepitus in eo audiatur: eos vero, qui loquentur altius, modeste, ut decet, admonebit.

Altaria et reliqua mundabit.

23. Det operam diligenter, ut altaria sint munda, et bene praeparata et pro ratione temporum ornata, atque ut vasa sacra, ornamenta et caetera omnia, quae ad divinum cultum pertinent, in suis locis apte et decenter reponantur et conserventur.

Quoties templum mundabit.

24. Videat, ut templum sit mundum, et bis singulis hebdomadis, ac saepius, si necesse sit, praesertim in festorum solemnium vigiliis, scopis mundetur. Canes etiam ex templo abigat.

REGULAE INFIRMARII.

Curet infirmos. *P. 3 c. 2, G.*

1. CURAM habeat infirmorum, quorum aegritudo simul atque ei indicata fuerit, si censeret rem esse alicuius momenti, Praefectum et Superiorem admoneat.

Quando plures Medici vocandi. *P. 3 c. 2, G.*

2. Cum quis in morbum incidit, a Superiore intelligat, num statim Medicus vocandus sit; qui unus ordinarie esse debet, nisi ingravescente morbo aut in quibusdam aliis casibus alio Medico opus esse Superior iudicaverit: et quoties Medicus aegrotos inviset, adsit ipse.

De victu, etc. aegrotorum.

3. Studeat, ut quae aegrotanti danda sunt, et opportune emantur, et bona sint, et bene praeparata ministrentur.

De cubiculis

4. Curet, ut aegrotorum cubicula

et lectis.

sint valde munda, lecti concinne sternantur, et ramusculis, et huiusmodi aliis decumbentes oblectet.

Aegrotos consoletur.

5. Aegrotum consolari et exhilarare studeat, non solum rebus a Medico probatis, sed verbis etiam spiritualibus et laetis: habeat etiam libros, quorum lectione aegroti recreari, et iuvari in spiritu possint.

Quos vocabit ad eos invisendos.

6. Intelligat a Superiore, quos ex Nostris ad aegrotos invisendos ac recreandos accersere debeat: caveat autem, ne, dum infirmis placere studet, aliquid fiat, quod eis nocere ulla ratione possit.

Medicinalia penes se habebit.

7. Medicinalia, et cuncta, quae aegrotantium usui necessaria sunt, habere ipse debet, nisi pharmacopola domi sit, et in loco convenienti ea custodire, et saepius revisere, ut incorrupta conserventur; et, quando opus fuerit, ut de novo suo tempore conficiantur curare iuxta ordinem Superioris.

A Medico praescripta rite servet. *P. 3 c. 2, G.*

8. Nihil omnino eorum, quae a Medico praescribentur, praetermittat aut mutet: ordinem etiam observet temporum praefixorum, quibus prandium, coenam, syrupum, caeteraque medicamenta det, omnia scripto excipiens, quae Medicus praescripserit.

Dies aegrotationis, et hora febris.

9. Advertat, quo die quis coeperit aegrotare, et qua hora febres aegrotum et corripiant et deserant, tum ut Medicum et Superiorem admoneat, tum ut cibum tempestive praebeat.

Si sit contagio.

10. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

Quando e lecto surgendum.

11. Convalescentes e lecto surgere non permittat priusquam id Medicus concesserit; et operam det, ut ea convalescentibus praebeantur, quae Medicus praescripserit, quoad Superiori satis visum fuerit.

Patientia et charitas erga aegrotos.

12. Patienter et cum charitate cum ipse tum socii eius ferant molestias et difficultates, quae interdum in curandis infirmis accidere solent. Quemadmodum autem diligenter curare debet, ne debita ministeria aegrotis desint; ita etiam animadvertere, ne nimiae vigiliae immoderatique labores, aut morbi contagio, vel propriae ipsius vel sociorum saluti noceant.

De sacramentis suscipiendis. *P. 6 c. 4 n. 1.*

13. Cum gravitas morbi id postulaverit, Superiorem certiorem reddat, ut aegrotus, antequam iudicii usu privetur, omnia sacramenta accipiat: quod si aegrotus diu, licet sine periculo, decumbat, curet ut octavo quoque die pro more Societatis communicet, ne huiusmodi spirituali fructu et consolatione privetur, nisi aliqua ratio iudicio Superioris impediat.

Quid morbo ingravescente. *P. 6 c. 4 n. 2.*

14. Ingravescente morbo Superiorem admoneat, ut orationibus omnium domesticorum valde peculiaribus infirmum iuvari faciat; atque eo magis, quo morti propinquiorem videret; et ut morienti quo plures poterunt ex Nostris adsint, qui eum animosiorem reddant, iisque auxiliis iuvent, quae eo tempore convenient; ac cum primum vita functus fuerit, aedituum admoneat.

Defunctorum corpora ut praeparet. *P. 6 c. 4 n. 3, B.*

15. Provideat, ut eorum corpora, qui ad meliorem vitam migrarint, ad sepulturam consueto regionis more praeparentur; et ut spatio diei naturalis decenter teneantur, nisi ratione mali odoris anteverti posse hoc tempus Superiori videretur.

Praefecto sanitatis obediat.

16. Praefecto sanitatis obediat in omnibus, quae ad hoc officium pertinent: qui si nullus fuerit constitutus, Praefecti munere ipse fungatur.

REGULAE IANITORIS.

Nomina prope ostium scribenda. *P. 3 c. 1 n. 3.*

1. Nomina omnium domesticorum prope ostium Domus in tabula scripta sint, ubi notis quibusdam illi designabuntur, qui egredientur: neminem vero foras exire permittat, qui facultatem a Superiore generalem aut particularem non habeat; et ab iis, qui egrediuntur, quo eant, intelligat.

Nil intempestive nuntiabit.

2. Nihil cuiquam nuntiabit intempestive, ut cum in mensa sedetur, nisi aut res esset necessaria, aut personae mittentis conditio aliud exigeret.

Litteras Superiori tradat.

3. Litteras omnes et schedulas, quae domesticis mittuntur, Superiori tradat; ii vero, ad quos dabantur, eas esse acceptas ne intelligant: caveat etiam, ne alicuius domestici litteras aut quid simile externis det iniussu Superioris.

Quid cum peregre venientibus.

4. Cum aliqui ex Societate peregre veniunt, ianuam ingressis dicat, ut illic exspectent, dum Superior de adventu eorum fit certior.

Praesto sit ad ianuam.

5. Festinet ad ianuam, cum tintinnabulum pulsari audit, et, cum res patietur, per fenestrellam venientes expediat, porta non aperta.

Quando aliquis domi non sit.

6. Si quis ab externis quaeratur, qui domi non sit, modeste intelligat, quis sit ille, qui petit, et quid velit, ut id redeunti, si opus sit, cum facultate Superioris significare possit.

Modus conversandi.

7. Talem cum omnibus conversandi modum teneat, ut discretione, modestia et spiritualibus verbis singulos aedificatos et contentos a se dimittere studeat.

Neminem sine facultate vocet ad ianuam.

8. Cum externi aliquem e Nostris alloqui volent, Superiorem adibit, qui, si ad id facultatem dederit, diligenter eum, qui petitur, quaeret, et ad locum colloquiis destinatum eos remittet.

De eleemosynis.

9. De eleemosynis, quae ad ianuam mittentur, Superioris mentem intelligat illiusque ordinem sequatur; et, si alicuius momenti sint, Procuratorem certiorem faciat.

Praelati et Magnates.

10. Si quando Praelati aut Magnates Domum intrarint, curet, si commode possit, ut Sacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem ipse accersit.

Cum pauperibus benigne se habeat.

11. Cum pauperes eleemosynae causa ad ianuam accedunt, benigne respondeat, et sedulo quaerat, quidnam eis erogari possit iuxta Superioris arbitrium, idque illis cum charitate distribuat.

Mulieres ad ecclesiam remittat.

12. Mulieres, si quando ad ostium accedunt, paucis verbis dimittat, aut, si pluribus opus esse videretur, in ecclesiam eas mittat ad aedituum, ubi responderi ipsis poterit.

Ianua sit semper obserata.

13. Obserata semper ianua sit, clavisque in porta ne relinquatur:

loca etiam portae vicina munda servet, et ut iuxta ianuam omnes submissa voce loquantur curet.

Portas quando claudet.

14. Portas Domus ante noctem claudat, exinde vero eas nullius causa aperiat, nisi de Praepositi vel Rectoris expressa licentia: et, antequam cubitum eat, claves eidem tradens, si quis foris maneat, illi renuntiabit.

Nil externorum custodiat.

15. Nihil custodiendum a quoquam externo recipiat absque Superioris iussu.

Veniente Medico dabit signum.

16. Quoties Medicus Domum ingredietur, signum dabit campana, ut Minister et caeteri, qui debent, adesse possint.

Etiam pro initio scholarum et fine.

17. In Collegiis, in quibus scholae externis aperiuntur, signum campana dabit pro initio lectionum ac fine: et gymnasia statis temporibus aperiet atque claudet; nisi horum cura aliis demandetur.

REGULAE CUSTODIS VESTIUM.

Quae servabit.

1. SERVARE debet omnem supellectilem, sive lineam sive laneam, et quidquid ad indumenta, et, ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta, attinet; quae diligenti cura, ut rem pauperum Christi, custodiet.

Inventarium rerum.

2. Inventarium rerum, quas ipse custodit, si alicuius momenti sint, in libro habeat, et seorsum scribat, quae de novo fiant, addito die, mense, et anno; ut, cum a Superiore iubebitur, possit sui muneris rationem reddere.

Cura vestium.

3. Vestes ordine dispositas servet, et novas et integras a vetustioribus seiungat, et ne corrumpantur videat; eas etiam aptandas et resarciendas curet, ut decet religiosam paupertatem: quas vero non amplius usui Nostrorum futuras iudicabit, eas Superiori ostendat, ut ille quid de eis faciendum sit statuat.

A Novitiis allata asserventur. *Exa. c. 4 n. 4. P. 1 c. 4 n. 6.*

4. Quae singuli Novitii Domum attulerunt, ea alicubi separatim asservabit, inscripto nomine eius, qui attulit; donec, biennio expleto, consueta vota Societatis emittant.

Singulis mensibus cubicula visitet. *C. 7 d. 80 n. 8. Instr. 1 n. 5.*

5. Singulis mensibus omnia Domus visitabit cubicula, ut ex Superioris arbitrio, si quid eis desit, suppleri possit; si quid etiam superfluum invenerit, v. gr. vestes duplices, instrumenta itineris et similia, in vestiaria officina custodiantur.

Vestibus indigentes. *C. 6 d. 80.*

6. Inspiciat etiam quinam vestibus indigeant, ut Superiori dicat, eiusque ordinem exsequatur; eo vero inconsulto, nihil cuiquam dabit. Coadiutores autem temporales sottanis dimidio palmo brevioribus, quam Sacerdotes, et pallio sottanis breviori utantur.

Linei panni.

7. Linei panni lotori, sive exter-

nus ille sit sive domesticus, scripto numero dentur et accipiantur.

Subuculae signentur, etc.

8. Subuculae singulorum, quae staturae induentium convenire debent, signis particularibus internoscantur, ne permisceri contingat.

Pannos lineos pro refectorio, etc. numerato det et recipiat.

9. Pannos lineos omnes, quos utendos refectorii praefecto, coquo, aliisque ministris dividet, numerato det et recipiat.

Quando linea distribuet et colliget.

10. Sabbati vespere linea munda per omnia cubicula distribuat; dominica vero die mane ex iisdem cubiculis immunda colligat; et an omnia, quae dederat, recipiat, animadvertat.

Linteamina munda pro lectis quando mutabit.

11. Aestivo tempore linteamina munda pro lectis decimo quinto quoque die; hiberno vero post tres hebdomadas distribuat, ubi id fieri poterit.

12. Haec omnia custos vestium praestabit, nisi eius officium in magno aliquo Collegio aut Domo in plures personas distribuere necesse sit.

REGULAE EMPTORIS.

Quomodo emat.

1. Diligens sit in emendis iis, quae ad quotidianum usum, Superioris arbitrio, Domum comportanda sunt, eaque tempestive dispensatori tradat; emat autem res bonas, et quam commodissimo pretio poterit, licet longius sint petendae.

Pecuniae acceptae et expensae rationem quotidie reddat. Reg. 8 Proc. Coll.

2. Adnotet pecuniae summam, quam a Procuratore in dies accipiet, et quas in res eam expendet; et rationem ei quotidie reddat dati et accepti; quid autem sequenti die empturus sit, a Ministro intelliget.

Curet aedificationem.

3. Curet, quantum poterit, eos, quibuscum aget, discretione ac modestia aedificare, et, quatenus eius officium decet, religiosis verbis in spiritu iuvare.

REGULAE DISPENSATORIS.

Quomodo res distribuat.

1. In rebus distribuendis ordinem Superioris sequatur: et, quamvis communiter aequalitatem inter omnes servare debet, habeat tamen infirmorum et convalescentium rationem, prout ei fuerit praescriptum.

Infirmorum curam habeat.

Vinum.

2. Vinum in mensa ponendum aqua temperabit, ubi et quantum Superiori videbitur.

Quae supersunt, servet.

3. Quae ex mensis supersunt, diligenter conservabit, memor paupertatis, ut et domesticis et externis pauperibus iuxta ordinem Superioris usui esse possint.

Res ad victum necessarias curet.

4. Curam habeat conservandi res ad victum necessarias, quae ipsi committentur, clausasque custodiat, advertens ne corrumpantur; quod si corruptionis sit periculum, Superiorem admoneat. Ut autem haec melius observet, visitet saepe penum et alia loca, ubi illa reconduntur.

Munditiem curet.

5. Tam penum, quam reliqua omnia, quae in eo sunt, munda habeat.

Cibi quando emendi.

6. Antequam penitus absumantur cibi, qui Domi reconduntur, Superiorem admoneat, ut alii coemi tempestive possint.

Dolia purganda, etc.

7. Curet concinnanda dolia et purganda, cum opus est, ad novum vinum infundendum; cuius rei, cum tempus impendet, Superiorem admonebit.

REGULAE PRAEFECTI REFECTORII.

Curet munditiem.

1. Curet refectorium et quae eius usibus serviunt omnia esse quam mundissima.

Aqua, et mantilia non desint.

2. Ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis desint, advertat: horum autem (quae bis in hebdomada saltem mutabuntur) alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus destinata erunt.

Mantilia, et mappae, quando mutanda.

3. Mantilia singulis saltem hebdomadis semel, mappae vero, quae singulis singulae servient, bis mundae

ponentur; omnia autem lintea numerato accipiat et reddat.

Vasa munda non desint.

4. Curet, ne vasa et caetera in refectorio necessaria desint, et ut quam maxime munda sint; cultellos autem frequenter acuere faciat.

Parva mensa.

5. Parvam mensam paratam habeat.

Quando signum campana dabit.

6. Signum campana temporibus suis dabit conveniendi ad primam et secundam mensam; sed ante primum pulsum (qui quarta parte horae secundum praecedat) a coquo intelligat, an sint omnia parata.

Quae in primo signo, quae item in secundo mensae apponentur.

7. Mensae rebus necessariis paratae esse debent, cum campana signum primo dabitur; quae autem ad potum pertinent, circa secundum signum apponantur, et aquae ac vini vasa supra orbes collocentur.

Quae infirmis parabit.

8. Sit certus locus iis, qui curae infirmarii subsunt, quibus nihil, nisi quod ab eo praescriptum erit, apponat: servet autem cum omnibus aequalitatem, nisi secus necessitatis causa esset a Superiore monitus, sine cuius arbitrio, neque ientaculum, neque aliud quidquam ulli concedet.

Ante finem pro secunda, quae praeparanda.

9. Priusquam e mensa surgatur, inferantur orbes aliquot in mensam, ut quisque locum suum mundet; quamprimum vero pro secunda praeparata omnia habuerit, signum campana dabit, providebitque, ne desint, qui ministrare debent.

Quae supersunt cui tradet.

10. Quae ex mensis supersunt, colliget atque illi tradet, ad quem id ex officio pertinet, sive coquus is sive dispensator sit.

Notet in tabula, qui cibum capiunt.

11. Nomina eorum, qui Domi, tam in refectorio quam extra, vescuntur, in quadam tabula habeat; et eos, qui cibum cepere, notabit, ut intelligat quinam supersint; et coquum, qui portiones distribuit, commonefaciet.

Quae post mensam agenda.

12. Mensis expeditis, mantilia plicentur, verraturque refectorium; et, si quis inter comedendum silentium non servaverit, aut aliquid minus modestum fecerit, ipse Superiori significabit.

Qui ministraturi in mensa, et qui lecturi.

13. Habeat a Ministro catalogum, in quo scriptum sit, quinam, et quibus diebus in prima et secunda mensa ministraturi sint; eumque ordinem servet. Intelligat etiam sabbato, quinam per hebdomadam sequentem in refectorio legere debeant, eosque faciat certiores.

Rerum refectorii catalogum habeat.

14. Catalogum habeat rerum, quae in refectorio serviunt; ut, cum ratio ab eo requiretur, in promptu sit, et in loco ad id designato eas custodiat.

Signa ad finem recreationis.

15. Ad finem recreationis, quae una hora post primam mensam, altera post secundam a prandio et a coena durare debet, distincta signa campana dabit.

REGULAE COQUI.

Munditiam in se et aliis curet, praesertim in iis, quae ad aegrotos spectant.

1. In iis omnibus, quae ad suum munus pertinent, munditiam servet ipse, et ab aliis servandam curet; detque operam, ut omnia recte et opportune parentur, ea praesertim, quae ad aegrotos pertinent.

Epulae ut tractandae.

2. Carnes, pisces et alia, quae ad mensam portanda sunt, dum secat et distribuit, digitis minime contrectet, sed fuscinula aut cultello ad eam rem utatur.

Cibi quo tempore parati.

3. Semihora, aut saltem quarta horae parte, antequam in mensa sit sedendum, praeparati cibi omnes esse debent.

Portiones.

4. Circa qualitatem et quantitatem portionum, ordinem a Superiore datum sequetur.

Nemo praeter Infirmarium in culina quippiam praeparet.

5. Coquere, aut aliud quippiam pro aliquo particulari parare, infirmario tantum excepto, neminem sinet, neque ipse faciet sine Superioris facultate.

Catalogus rerum.

6. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est usus in coquina, quas ipse servare debet.

Paupertatis cura.

7. Diligenter advertat, ne plura, quam necessaria sint, ligna comburantur. Hanc similiter diligentiam in rebus quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur, ut religiosam paupertatem decet.

Quae supersunt ut conservabit.

8. Quae ex mensa supersunt, eique traduntur, conservabit, memor paupertatis, ut et domesticis, et externis pauperibus usui esse possint iuxta ordinem Superioris.

Adiutores aedificet.

9. Si quem haberet adiutorem, curet ut eum verbo et exemplo suo aedificet, praesertim Novitios.

REGULAE EXCITATORIS.

Quo tempore cubitum ibit, alios excitabit. *P. 3 c. 2 n. 2. E. P. 4 c. 10 n. 9.*

1. MEDIA saltem horae parte ante caeteros cubitum eat, eodemque temporis spatio ante alios mane surgat, et hora constituta campanam pulset, statimque, ad omnia cubicula lumen deferens, cunctos excitet. Quod ut certius et melius praestare possit, horologium excitatorium a Superiore habeat.

Quando visitabit.

2. Quarta horae parte ab excitatione elapsa, cubicula rursus inviset, ac, si quos nondum surrexisse comperiat, Superiori nuntiet.

Quando pulsabit ad orationem.

3. Post aliam quartam horae partem ad orationem pulsabit, ita ut ab excitatione ad orationis usque initium semihora intercedat: absoluto vero tempore orationi deputato, finis signum dabit.

Adiutores has Regulas observent.

4. Si quorum opera indigebit propter multitudinem eorum, quos excitare aut visitare debet, eos a Superiore petet, quos servare easdem Regulas curabit; si qui autem debiles aut valetudinarii erunt, eos iuxta ordinem Superioris excitabit.

Minus decenter dormientes observet.

5. Si quem videret communem illam regulam minus observantem, qua omnes decenter cooperti dormire iubentur, Superiorem monebit.

REGULAE

NOCTU CUBICULA VISITANTIS.

Quando ad examen pulsabit. *P. 3 c. 2 n. 2. P. 4 c. 10 n. 9.*

1. HORA a Superiore praescripta, ad nocturnum conscientiae examen pulsabit, transactoque quadrante, signum dabit ad cubandum.

Postea cubicula visitabit.

2. Elapsa quarta horae parte a cubandi signo, singula cubicula adibit, et, an omnes ad lectum se receperint ac lucernas exstinxerint, videbit: si quos invenerit extra lectum, aut qui lucernas non exstinxerint, Superiori renuntiabit.

RATIO ATQUE INSTITUTIO

STUDIORUM SOCIETATIS IESU.

REGULAE PROVINCIALIS.

Finis studiorum Societatis. *P. 4 prooem. P. 4 c. 12 n. 1. P. 10 n. 8.*

1. Cum ex primariis Societatis nostrae ministeriis unum sit, omnes disciplinas Instituto nostro congruentes ita proximis tradere, ut inde ad Conditoris ac Redemptoris nostri cognitionem atque amorem excitentur, omni studio curandum sibi putet Praepositus Provincialis, ut tam multiplici scholarum nostrarum labori fructus, quem gratia nostrae vocationis exigit, abunde respondeat.

Praefectus Studiorum generalis. *P. 4 c. 17 n. 2.*

2. Proinde, non solum id Rectori valde commendet in Domino, sed ei etiam Praefectum Studiorum vel Cancellarium adiungat, virum in litteris egregie versatum, qui et zelo bono et iudicio ad ea, quae sunt ei committenda, polleat; cuius sit munus generale Rectoris instrumentum esse ad studia bene ordinanda; cui Professores et Scholastici omnes, tum qui in eodem Collegio, tum etiam, si qui in Convictorum et Alumnorum Seminariis forte degunt, et Praefecti ipsi Studiorum in Seminariis, in rebus ad studia pertinentibus, ea, qua par est, humilitate pareant.

Praefectus Studiorum inferiorum et atrii.

3. Quod si ob gymnasii amplitudinem ac varietatem per unum Studiorum Praefectum non videatur scholarum omnium rationibus satis esse consultum, alterum constituat, qui ex generalis Praefecti praescripto inferioribus studiis moderetur: quin etiam, si ita res exigat, adiiciatur tertius, qui scholarum atrio praesit.

Professores quomodo comparandi. *P. 4 c. 6 n. 6.*

4. Multo ante provideat, quosnam pro unaquaque Facultate Professores habere possit, observatis iis, qui ad eam rem videntur aptiores, qui docti, diligentes et assidui, ac profectus studentium, tum in lectionibus tum in aliis litterariis exercitationibus, studiosi sint.

Sacrae Scripturae studium et Magister. *P. 4 c. 12 n. 2, B. C. 18 d. 15.*

5. Magnam diligentiam adhibeat in promovendo Sacrarum Litterarum studio: quod perficiet, si viros ad id muneris eligat, non solum linguarum peritos, id enim maxime necessarium est, sed etiam in Theologia schola-

stica caeterisque scientiis, in historia variaque eruditione, et, quoad eius fieri potest, in eloquentia bene versatos.

Auditores et tempus.

6. Hanc autem Sacrae Scripturae lectionem per biennium, hoc est secundo fere et tertio Theologiae anno, Theologi audiant quotidie per tres circiter horae quadrantes, ubi duo sunt Theologiae Professores; ubi vero tres, vel singulis diebus breviorem, vel, si magis placeat, longiorem alternis.

Hebraeae linguae Professor qualis. *P. 4 c. 12 n. 2, B.*

7. Linguam hebraeam, si commode possit, doceat Sacrae Scripturae Professor, vel saltem aliquis, qui sit Theologus: optandumque, ut esset etiam linguarum peritus, non solum graecae, propter Novum Testamentum et versionem LXX interpretum, sed etiam chaldaicae et syriacae, cum ex his linguis multa in libris canonicis sparsim habeantur.

Auditores, et studium. *P. 4 c. 6, D.*

8. Ab hac lectione per annum audienda, hoc est secundo fere vel tertio Theologiae, Theologi non eximantur, nisi qui ad eam inepti penitus censerentur. Praeterea, ut monent Constitutiones, deliberare debet, quinam sint huic studio addicendi; qui vero addicti fuerint, biennio, quod repetendae Theologiae praescribitur, plus studii in hebraicis ponant, immo in ipso cursu Theologiae privata academia saltem in vacationibus, si fieri potest, iuventur.

Theologiae cursus et Magistri. *P. 4 c. 9 n. 8. P. 4 c. 15 n. 3. P. 5 c. 2 n. 2. C. 7 d. 33 n. 7.*

9. § 1. Quadriennio ex Constitutionibus Theologiae cursum absolvi curet, idque a duobus, vel, si omnino aliter fieri non possit, a tribus ordinariis Professoribus, pro diverso Provinciarum usu. Ubi autem tres erunt, tertia lectio erit moralis Theologiae, in qua ex professo et solide explicentur materiae morales, quae ab ordinariis Professoribus, vel omnino praetermitti, vel brevissime perstringi solent. Quam quidem lectionem Nostri biennio saltem audiant, alteroque biennio Scripturam Sacram.

§ 2. Illud autem in primis meminerit, non esse ad cathedras theologicas promovendos, nisi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint; qui vero ab eo alieni sunt, vel etiam eius parum studiosi, a docendi munere repellantur. *C. 5 can. 9 d. 41, 56.*

Biennium ad Theologiam repetendam. *Reg. 52 Prov. P. 4 c. 6 n. 14, 16. P. 4 c. 15 n. 3.*

10. Initio quarti anni cum Rectore, Praefecto, Magistris suisque Consultoribus designet aliquos, qui et probatae virtutis in primis sint, et ingenio polleant, ut ad Theologiam privatim repetendam et habendos actus, Superioris arbitrio, biennio, ut Constitutiones iubent, privatum et quietum studium habeant, de quo privata inferius erit instructio; ex quibus, ubi regionis mos est, poterunt aliqui, facta a Generali potestate, ad gradus Doctoratus vel Magisterii promoveri. *Reg. 62 Prov.*

Promotio ad gradus. *P. 4 c. 6 n. 17. P. 4 c. 15 n. 4. P. 4 c. 17 n. 8, M.*

11. Ubi est consuetudo, ut publica fiat promotio ad gradus, Constitutio accurate servetur; nec ullus promoveatur, nisi theses aliquot ex insignioribus Scripturae locis scholasticis conclusionibus intermisceat. Ratio quoque promovendi et reliqui ritus, modo ne Constitutionibus repugnent, pro cuiusque loci consuetudine statutisque teneantur.

Casuum Professor. *Reg. 56 Prov. De examine vide C. 18 d. 16 n. 2, 3, 4.*

12. Duos in eo Collegio, ubi est pro Nostris Seminarium, casuum conscientiae Professores constituat, qui universas eius generis materias inter se divisas biennio explicent; vel unum, qui binas quotidie lectiones habeat.

Collatio casuum. *Reg. 57 Prov. Reg. 57 Praep. C. 9 d. 8. C. 18 d. 17.*

13. Bis in hebdomada in Domibus Professis, in Collegiis bis aut semel, ut melius esse in Domino iudicaverit, sive in iis aliqua sit sive nulla publica

casuum lectio, Sacerdotes nostri conveniant ad habendam inter se de casibus collationem, aliquo Praeside a se constituto, qui prudenter ac tuto possit hanc provinciam sustinere: atque is Praeses Regulas Professoris casuum, in quibus modus huius collationis praescribitur, legat ac servet.

Reg. 7, 8, 9, 10.

Eadem collatio in Collegiis primariis. *C. 13 d. 17.*

14. Fiat etiam huiusmodi casuum collatio in primariis Collegiis, sive unus duove sint casuum Professores, sive nullus, potissimum pro omnibus Theologiae auditoribus, sed semel tantum in hebdomada.

Ab ea non eximendi. *C. 9 d. 8.*

15. Ab his autem omnibus, quas diximus, collationibus, praeter Theologiae ac Philosophiae Professores, et si quos alios excipiendos Superior iudicaverit, nulli praeterea casistae, nullique Sacerdotes, qui ex instituto vel interdum confessiones audiant, eximantur: immo Superior ipse non nisi raro et graves ob causas absit.

Philosophiae Professores quales. *P. 4 c. 9 n. 2, 3. C. 5 d. 41.*

16. Philosophiae Professores, nisi gravissima necessitas aliud exigat, oportet, non modo cursum Theologiae absolvisse, sed eamdem biennio repetiisse, ut eorum doctrina tutior esse possit, magisque Theologiae deserviat. Si qui autem fuerint ad novitates proni, aut ingenii nimis liberi, hi a docendi munere sine dubio removendi.

Philosophiae cursus. *P. 4 c. 15 n. 2.*

17. Philosophicum cursum triennio absolvent, non autem minore tempore, ubi sunt Nostri: si autem soli sint externi auditores, relinquatur Provincialis iudicio. Quotannis vero, si fieri potest, unus cursus absolvendus, et alter inchoandus.

Rhetoricae et Humanitatis tempus. *P. 4 c. 5 n. 2, 3, C. P. 4 c. 6 n. 4. P. 4 c. 11 n. 1, A. P. 4 c. 13 n. 4.*

18. Licet cursus temporis ad Humanitatis et Rhetoricae studium definitus esse nequeat, et ad Superiorem pertineat expendere, quantum in his litteris quemque haerere oporteat, Nostros tamen non ante ad Philosophiam mittat, quam biennium in Rhetorica consumpserint, nisi ratio aetatis, aut aptitudinis, aut aliquid aliud obstare in Domino iudicetur. Quod si aliqui indole ingenii ad magnos progressus in his potissimum studiis faciendos praediti sint, ut solidius fundamentum iaciant, videndum erit, an operae pretium sit triennium impendere.

Triplex examen Philosophorum. *C. 7 d. 33 n. 1. C. 22 d. 35.*

19. § 1. Postquam cursum philosophicum ingressi fuerint, singuli sub anni cuiusque finem serio examinandi erunt per designatos Examinatores, Rectore praesente, et ipso Provinciali, si possit: nemoque a primo anno Philosophiae ad secundum, aut e secundo ad tertium admittendus, qui mediocritatem non attigerit: hoc est, ut ea, quae audivit, bene intelligat, ac de iis etiam rationem possit reddere. Ad Theologiam vero scholasticam audiendam nemo admittetur, qui mediocritatem in Philosophia non superarit: ita nimirum, ut eius assertiones defendere tuerique cum approbatione possit; nisi forte praeclara in mediocri aliquo ad gubernandum aut concionandum talenta eluceant, propter quae aliud statuendum Provinciali videatur; cui nulla in caeteris dispensandi sit facultas.

Virtutis ratio habenda.

§ 2. In hac autem tota re, quia magni momenti in Domino iudicanda est, et considerate admodum ob maiorem Dei gloriam transigenda, servet in primis Provincialis regulas 49 et 56 officii sui, et potissimum rationem habeat virtutis.

Quadruplex Theologorum examen. *C. 7 d. 33 n. 2.*

§ 3. Simili ratione, qui Theologiae dant operam, sub finem singulorum annorum examinandi sunt; nemoque ad insequentem progredi permittendus, qui in iis, quae illo anno audivit, mediocritatem Examinatorum iudicio

non excesserit; iis dumtaxat exceptis, quos alioqui mediocres, ob praeclara, ut dictum est, talenta continuare debere Provincialis iudicabit.

Qui casibus destinandi

§ 4. Si qui ergo in studiorum decursu inepti ad Philosophiam aut ad Theologiam eo modo deprehensi fuerint, ad casuum studia vel ad docendum Provincialis arbitrio destinentur.

Examinandi, qui extra Societatem studuerunt.

§ 5. Eodem etiam examine probandi sunt, qui vel totum cursum Philosophiae, aut eius partem, vel partem etiam aliquam Theologiae, antequam in Societatem ingrederentur, audiverunt, ut idem de illis etiam statuatur; nisi mallent, quod emensi sunt, illorum studiorum iter remetiri, quod tamen iustas ob causas Superior negare poterit. *C. 11 d. 24 n. 4.*

C. 11 d. 24 n. 1. De iudicio Examinatorum vide C. 12 d. 22 n. 4.

§ 6. Metaphysici, et a tertio ad quartum Theologiae annum gradum facturi, unius horae spatio examinandi sunt. In reliquis tum Philosophiae tum Theologiae annis, dimidia minimum hora subeatur examen. Initium examinandi Metaphysicos statim post ferias Paschatis fiat, nisi examinandorum multitudo cogat antevertere; reliqui sub finem anni. Et materia examinis sit ea omnis, quae a Magistris toto anni currentis spatio tradita fuerit, iis exceptis, quae sub ipsum examinis tempus decurrunt, Praefecti Studiorum iudicio designandis.

§ 7. Examina haec, quibus decernitur, an pergere ad insequentes annos debeant, qui Philosophiae vel Theologiae student, secretis fiant suffragiis; et quod constitutum fuerit, simul cum Examinatorum iudicio, scriptum constet in libro ad id designato, serventque rem secretam qui examini intererunt.

De suffragiis vide C. 8 d. 37 n. 3, 6, C. 11 d. 24 n. 5.

C. 8 d. 37 n. 5.

§ 8. Porro si Metaphysicus aliquis vel Theologus Examinatorum iudicio, cui standum est, mediocritatem attigerit, et insuper iudicio Provinciae Consultorum aliorumque virorum gravium, qui in consilium adhiberi debent, praeclara ad gubernandum aut concionandum talenta habuerit, penes Provincialem erit, re bene perpensa, id decernere, quod in Domino iudicaverit expedire ad maiorem Dei gloriam et commune Societatis bonum. Quod si iudicarit non esse quempiam ulterius illis studiis applicandum, notet hoc in libro, ut dictum est.

De talentis quomodo iudicandum. C. 8 d. 37 n. 5.

§ 9. De illa autem bonitate talenti ad concionandum vel gubernandum, quam habere debent, quibus indulgetur, ut ad scholasticam Theologiam, etiamsi mediocriter tantum in Philosophia profecerint, admittantur, aut ut in eadem scholastica pergant, quamvis in eius progressu mediocritatem non excedant, Provincialis serio cum suis Consultoribus et aliis gravioribus viris, qui eos bene norunt et de huiusmodi rebus iudicare possint, consideret.

§ 10. Maxime autem caveat, ne hac studiorum indulgentia et privilegio utatur, nisi erga humiles et vere pios et mortificatos, qui eo non putentur indigni.

Examen ad professionem. C. 7 d. 33 n. 3.

§ 11. Sub finem anni quarti Theologiae, ultimum examen, duarum saltem in unoquoque horarum, professionis causa instituatur, in quo varia e praecipuis Philosophiae ac Theologiae capitibus percurrantur. Ad professionem autem idoneus nemo censebitur, qui tantum doctrinae in Philosophia et Theologia assecutus non sit, quantum ad utramque Facultatem cum approbatione docendam necesse sit. Quod si in aliquo imparis doctrinae tam illustria gubernandi *C. 12 d. 22 n. 1.*

C. 12 d. 24. C. 13 d. 19. C. 14 d. 15, 17, 18.

C. 15 d. 11. *C. 21 d. 17, 18.* concionandive talenta erunt, ut habenda eorum ratio videatur, iudicium erit penes Praepositum Generalem. Cuius etiam erit de iis iudicare, quibus ob eximiam Litterarum Humaniorum vel indicarum linguarum cognitionem indulgendum censuit sexta Congregatio decreto 29. *Hic d. 15.*

Secreta in eo suffragia. *C. 7 d. 33 n. 4.* § 12. Hoc vero ultimum examen, quo decernitur, utrum quis ad professionem quatuor votorum sufficientem habeat doctrinam, non solum secretis fiet suffragiis (in quibus dubium suffragium pro nullo habendum sit), sed tenebuntur etiam Examinatores iuramento, tum de non revelandis suffragiis suis, tum de sincero examinandorum doctrinae et aptitudinis ferendo iudicio. **Iuramentum Examinatorum.**

Suffragiorum modus. *C. 7 d. 97.* § 13. Scribent autem singuli suffragium suum, tum ad Provincialem tum ad Generalem, subscripto nomine proprio; sed ad Provincialem litteras *soli* inscriptas dabunt. Qui quidem in librum ad id designatum suffragiorum solum numerum, tacitis Examinatorum nominibus, referet, ea secreti cautione, ut nemo, ac ne Socius quidem ipse, in suffragantium cognitionem veniat. Eamque ob causam Examinatorum etiam litteras mox comburet.

Examinatores quot, et a quo designandi. *C. 7 d. 33 n. 4, 5.* *C. 12 d. 22 n. 3.* § 14. Examinatores porro ad examina omnia supra dicta in singulis Seminariis, tum philosophicis tum theologicis, quatuor minimum esse debent, quos Generalis designarit: iique, quoad fieri poterit, ab eorum, qui examinandi sunt, Praeceptoribus diversi. Quorum, si quos vita fungi, aut aliis rebus distentos examini interesse non posse contigerit, Provincialis erit alios substituere, qui iisdem iuramenti legibus in ultimo examine tenebuntur.

§ 15. In Legum Canonumque Doctoribus, qui Societatem ingrediuntur, id observari debet, quod parte 5, capite 2, § 2, B, continetur. Theologiae vero Doctores, si qui sint, de quorum doctrina dubitetur, examinandi pariter erunt; et, nisi mediocritatem excedant, ad quatuor votorum professionem minime admittendi. **Theologiae Doctores an examinandi.** *C. 7 d. 96.* *C. 11 d. 14.*

20. Audiant et secundo Philosophiae anno Philosophi omnes in schola tribus circiter horae quadrantibus mathematicam praelectionem. Si qui praeterea sint idonei, et propensi ad haec studia, privatis post cursum lectionibus exerceantur. **Mathematicae auditores et tempus.**

21. § 1. Scholae studiorum inferiorum (omissis, propter rationes, quae afferuntur in parte quarta Constitutionum, abecedariis) non plures quam quinque esse debent: una Rhetoricae, altera Humanitatis, et tres Grammaticae. **Scholae inferiores quot.** *P. 4 c. 12, C.* *C. 20 d. 21, 22.*

§ 2. Hi enim sunt quinque gradus, ita apte inter se connexi, ut permisceri aut multiplicari nullo modo debeant; tum ne ordinarios etiam Magistros frustra multiplicare necesse sit, tum ne multitudo scholarum et ordinum longiore, quam par sit, tempore egeat ad haec inferiora studia decurrenda. **Cur non permiscendae nec multiplicandae.** *C. 22 d. 32.*

§ 3. Quod si scholae pauciores sint quam quinque, ne tum quidem hi quinque gradus varientur, sed poterunt duo ordines in una classe ita constitui, ut uterque uni ex iis quinque gradibus respondeat eo modo, quo dicetur regula 8 Praefecti Studiorum inferiorum. **Duo ordines in una classe.**

§ 4. Illud porro curandum, ut, quando scholae pauciores sunt, altiores semper, quoad eius fieri potest, retineantur, sublatis infimis. **Altiores classes potius retinendae.**

§ 5. Quando autem dicimus scho- **Multiplicandae**

interdum scholae, non gradus.

las Grammaticae non plures esse debere quam tres, et omnes inferiores non plures quam quinque, intelligimus, non tam de scholarum et Magistrorum numero, quam de numero graduum, quos modo descripsimus. Nam, si multitudo discipulorum tanta sit, quantae sufficere non possit unus Magister, tunc geminari poterit schola, data a Generali facultate, ita tamen, ut idem gradus, eaedem lectiones, eadem ratio ac tempus docendi in utraque retineatur.

Reg. 47 Prov.

Ubi liceat multiplicare.

§ 6. Hanc tamen geminationem fieri non oportet, nisi ubi sunt studia Societatis universalia, aut ratio exigit fundationis, ne plus, quam par sit, Societas oneretur.

Praestantes Humanitatis Magistri comparandi.

22. Ad conservandam Humaniorum Litterarum cognitionem et Magistrorum veluti Seminarium fovendum, binos minimum aut ternos habere studeat in Provincia his litteris et eloquentia praestantes. Quod consequetur, si ex iis, qui ad haec studia idonei propensique sunt, nonnullos subinde huic rei dicare studeat, caeteris Facultatibus, quantum satis est, excultos, quorum opera ac sedulitate bonorum Professorum genus quoddam, ac tamquam seges, ali ac propagari possit.

Grammatica Emmanuelis.

23. Dabit operam, ut nostri Magistri utantur Grammatica Emmanuelis. Quod si methodi accuratioris, quam puerorum captus ferat, alicubi videatur, vel romanam accipiant, vel similem curet conficiendam, consulto Praeposito Generali, salva tamen ipsa vi ac proprietate omnium praeceptorum Emmanuelis.

Magistri perpetui.

24. Perpetuos Grammaticae ac Rhetoricae Magistros, quam potest plurimos, paret. Id autem fiet, si post absoluta casuum aut etiam Theologiae studia nonnullos, quos magis in hoc quam in alio munere Societatem iuvare posse in Domino iudicaverit, ad id strenue applicet, horteturque ut se totos in tam salutare opus ob maius Dei obsequium impendant.

Ab ingressu parandi, nec removendi.

25. Proderit etiam in ipso Societatis ingressu aliquos, qui ad id accommodati viderentur, quique propter aetatem vel ingenium in gravioribus studiis profecturi non essent, hac conditione recipere, ut vitam suam in his litteris docendis divino obsequio dicare velint: quod etiam adnotetur in libro Provincialis. Hi vero, vel ante, vel postquam aliquot annos docuerint, prout in Domino visum fuerit, aliquid ex conscientiae casibus audire, et Sacerdotes fieri poterunt, ad idem docendi munus reversuri, a quo non removeantur sine gravi causa et consultatione; nisi interdum ob defatigationem, ut uno aut altero anno intermittant, Praepositus Provincialis statuerit.

A docendi munere non eximendi. *C. 7 d. 80 n. 9, Instr. 2, 14.*

26. Discipulos interim nostros Provincialis a docenda Grammatica vel Humanitate non eximat, nisi aliter ob aetatem aut aliam rationem statuendum in Domino videatur: curandum tamen, ut, qui talenta ad concionandum ostendunt, praesertim rariora, non diutius, quam par est, in docendi munere tam Humaniores Litteras quam Philosophiam et Theologiam detineantur; ne, si secus fiat, quando in iis studiis pene consenuerint, tum demum ad concionandum accedant.

Ex cursu ad Theologiam eligendi.

27. Ex singulis tamen cursibus seligat singulos, aut binos ternosve seu plures, pro numero discipulorum, qui plus caeteris profecturi videantur, quos Theologiae applicet; quibus tamen, si necesse sit, vel si videatur,

uti poterit, absolutis studiis et tertio anno probationis, ad docendam etiam Grammaticam seu studia Humanitatis.

Magisterii tempus.

28. Enitendum, ut scholis nequaquam praeficiantur, qui Philosophiam, si eam audituri sunt, nondum audierint, cum, qui iam audierint, non desunt.

Initium docendi a qua schola.

29. Curandum etiam, ut Nostri initium docendi faciant ab ea schola, qua superiores scientia sint, ut sic quotannis ad altiorem gradum cum bona parte suorum auditorum possint ascendere.

Academia ad Magistros instituendos.

30. Atque, ut instructiores sint quando ad docendum veniunt, pernecessarium est, ut privata academia ad id exerceantur; quod Rectori valde commendetur, quo, ut est in eius regula 9, diligenter efficiatur.

Confessarii non desint.

31. Efficiat, ut in Collegiis, praesertim primariis, in quibus numerus externorum discipulorum copiosior est, plures sint Confessarii, ne ad unum omnes ire necesse sit; quam etiam ob causam extraordinarii interdum exponantur, ut magis poenitentibus satisfiat.

Nec Coadiutores. *P. 4 c. 3 n. 2. P. 4 c. 6 n. 3, B.*

32. In Collegiis vero, praesertim minoribus, operam dabit, ut Coadiutorum satis sit, ne Magistrorum et discipulorum opera Rector ad munera domestica uti cogatur.

Reditus pro bibliotheca. *P. 4 c. 6 n. 7.*

33. Ne Nostris quantum satis est librorum desit, aliquem reditum annuum, sive ex Collegii ipsius bonis sive aliunde, amplificandae bibliothecae attribuat, quem alios in usus convertere nulla ratione liceat.

Abstinendum a libris inhonestis. *P. 4 c. 5, E. P. 4 c. 14 n. 2.*

34. Omni vigilantia caveat, maximi momenti id esse ducendo, ut omnino in scholis nostris abstineatur a libris poetarum, aut quibuscumque, qui honestati bonisque moribus nocere queant, nisi prius a rebus et verbis inhonestis purgati sint; vel, si omnino purgari non poterunt, quemadmodum Terentius, potius non legantur, ne rerum qualitas animorum puritatem offendat. *P. 4 c. 14, D.*

Constantia in scholarum horis et vacationis. *P. 4 c. 13, A.*

35. Constituat quibusnam toto anno horis inchoandae finiendaeque sint scholae, ubi certis anni temporibus variantur. Quod autem constitutum fuerit, in eo constanter perseverandum; sicut nec facile permittendum, ut dies vacationis hebdomadariae differatur aut anticipetur; curandumque, ut ordo dierum, quibus docendum et quibus vacandum est, omnino servetur.

Vacatio. *P. 4 c. 13 n. 5.*

36. Ut assiduitas in litterario exercitio, sic et aliqua remissio necessaria est; cavendum tamen, ne ullae novae vacationes introducantur, et in iis, quae praescribuntur, constantia servetur. De quibus haec potissimum dicenda sunt.

Vacatio generalis.

37. § 1. Anniversariae vacationes generales classium superiorum breviores non sint uno mense, nec longiores duobus. Rhetorica, nisi mos Universitatis aliud exigat, mense vacet. Humanitas tribus hebdomadis. Suprema Grammaticae duabus; una tantum reliquae.

Dies festi.

§ 2. Ut certi statique sint dies festi, quorum numerum minui, magis quam augeri, oportet, eorum catalogum conficiendum curet pro suae regionis ritu.

§ 3. A vigilia Natalis Domini ad festum usque Circumcisionis diem classes superiores, inferiores vero a meridie eiusdem vigiliae usque ad festum diem sanctorum Innocentium vacent.

§ 4. A quinquagesima vacetur, ubi mos erit, usque ad feriam quartam

cinerum, quo tamen die post meridiem Magistri omnes doceant.

§ 5. A dominica palmarum usque ad dominicam in albis superiores classes, inferiores autem a meridie quartae feriae maioris hebdomadae usque ad feriam tertiam Paschatis vacent.

§ 6. A vigilia Pentecostes in scholis superioribus, in inferioribus a meridie eiusdem vigiliae usque ad feriam tertiam vacetur, et praeterea feria quinta.

§ 7. Pridie solemnitatis Corporis Domini tum inferiores tum superiores a meridie solum vacent; contra vero in commemoratione defunctorum solum ante meridiem.

§ 8. Porro his diebus, quibus scholae tantum inferiores habentur, nihil de legitimo tempore diminuatur.

Supplicationes.

§ 9. Si quando per supplicationes publicas non liceat habere scholas antemeridianas, pomeridianae certe habeantur; in Rogationibus tamen etiam antemeridianae, ubi ea consuetudo viget.

Hebdomadaria vacatio. *P. 4 c. 13, F.*

§ 10. Saltem singulis hebdomadis dies unus quieti destinatus sit. Quod si duo dies festi in unam hebdomadam inciderint, nullus praeterea erit vacationis dies: nisi forte id saepius atque ita accidat, ut alter in diem Lunae, alter in Sabbati diem incidat; tum enim poterit alius dies indulgeri. Quod si unus in hebdomada dies festus fuerit, isque dies Mercurii vel Iovis, eo die vacetur, non alio; sin autem die Lunae aut Sabbati, cessabitur item die Mercurii vel Iovis; si denique die Martis aut Veneris, tunc, si concio non habeatur, et liceat honestae recreationi operam dare, non vacabitur alio die; si non liceat, vacabitur rursus die Iovis aut Mercurii.

Diversa pro ratione classium.

§ 11. Et in superioribus quidem classibus hebdomadariae cessationi dabitur integer dies; in inferioribus vero ante meridiem docetur, in Rhetorica per horam cum dimidiata, in caeteris per duas horas: post meridiem omnes vacant; ab initio tamen Iunii omnes tota die.

Observatio libri Studiorum.

38. Denique, ut totus hic Societatis labor ad maiorem Dei gloriam bene succedat, videat, ut omnes tum Superiores tum inferiores perfecte observent suas, quae ad Rationem Studiorum pertinent, Regulas.

Varietas pro varietate regionum. *P. 4 c. 6, K P. 4 c. 13 n. 2, A. P. 4 c. 14 n. 3.*

39. Et quoniam pro regionum, temporum ac personarum varietate in ordine et statutis horis studio tribuendis, in repetitionibus, disputationibus et aliis exercitationibus, itemque in vacationibus potest varietas accidere; si quid in sua Provincia magis expedire ad maiorem in litteris profectum existimabit, referat ad Praepositum Generalem, ut *P. 4 c. 7 n. 2.* ea demum statuantur, quae ad omnia necessaria descendant, ita tamen, ut ad communem ordinem studiorum nostrorum maxime accedant.

Pietatis et morum praecipua cura.

40. Ad extremum, quae de pietate et disciplina morum ac de doctrina christiana tradenda in Regulis inferiorum Magistrorum, et quae de moribus ac pietate in communibus omnium Magistrorum Regulis praecipiuntur, ut proxime ad salutem animorum spectantia, et toties in Constitutionibus inculcata, sibi praecipue commendata putet.

REGULAE RECTORIS.

Studiorum cura. *P. 4 prooem.*

1. Cum ideo Collegia et Universitates Societas amplectatur, ut in his Nostri commode possint et doctrina caeterisque rebus, quae ad adiuvandas animas conferunt, instrui; et quae didicerint ipsi communicare cum proximis; post religiosarum et solidarum virtutum curam, quae praecipua esse debet, in illud maxime incumbat, ut finem hunc, quem in gymnasiis admittendis Societas sibi proposuit, Deo iuvante consequatur.

Praefecti auctoritas. *P. 4 c. 17 n. 2.*

2. Ad studia moderanda adiutorem habebit Studiorum Praefectum; cui omnem tribuet potestatem, quam ad rectam eius officii administrationem pertinere iudicabit.

Litterariis exercitationibus intersit. *P. 4 c. 6 n. 9.*

3. Ita reliqua negotia dispenset ac temperet, ut omnes litterarias exercitationes fovere atque amplificare possit. Adeat interdum scholas, etiam inferiores; frequenter intersit Theologorum Philosophorumque disputationibus, tum privatis tum publicis; an, et quibus de causis huius exercitationis fructus impediatur, observet.

Praecidendae discipulis occupationes.

4. Nullo modo ferat auditorum quempiam a disputationibus aut repetitionibus abesse; ut omnes eam rem magnae sibi curae esse intelligant: proinde occupationes omnes discipulis praecidat, quae studiis impedimento esse possint.

Reg. 38 Rect.

Praesertim biennio repetentibus.

5. Eos, qui biennio recolunt Theologiam, habendis concionibus in ecclesiis, vel in Coenobiis virginum, quam minime potest, occupet, idque consulto Provinciali.

Magistris qui substituendi.

6. Ex iisdem, si quando ordinarii vel Philosophiae vel Theologiae Praeceptores desint, in eorum locum aliquos suffici par erit: iidemque poterunt, si opus sit, domesticis tum repetitionibus tum disputationibus Praeceptorum loco praesidere; immo etiam, consulto Provinciali, Philosophiam vel Theologiam in scholis ad tempus praelegere.

Linguarum academia. *P. 4 c. 6 n. 5, D.*

7. Efficiat, ut hebraeae graecaeque linguae academiae instituantur inter Nostros, in quibus academici bis aut ter in hebdomada certo aliquo, puta vacationis, tempore, sic exerceantur, ut inde prodire possint qui harum linguarum scientiam et dignitatem privatim ac publice tueantur.

Linguae latinae usus. *P. 4 c. 6 n. 13*

8. Domi linguae latinae usum inter Scholasticos diligenter conservandum curet: ab hac autem latine loquendi lege non eximantur, nisi vacationum dies et recreationis horae; nisi forte in aliquibus regionibus Provinciali videretur his etiam temporibus facile posse hunc latine loquendi usum retineri: faciendum quoque ut Nostri, qui nondum studia absolverunt, litteras, cum ad Nostros

scribunt, scribant latine. Bis praeterea aut ter in anno, cum aliqua celebritas, ut renovationis studiorum aut votorum, agitur, Philosophi etiam ac Theologi carminum aliquid condant affigantque.

Academia ad Magistros instituendos.

9. Ne Magistri classium inferiorum docendi rudes ad docendum accedant, Collegii, ex quo Humaniorum Litterarum et Grammaticae Magistri solent educi, Rector deligat unum aliquem docendi peritissimum, ad quem sub finem studiorum ter in hebdomada per horam conveniant proxime futuri Praeceptores ad novum instituendi magisterium; idque vicissim praelegendo, dictando, scribendo, emendando, aliaque munia boni Praeceptoris obeundo.

Nostri Rhetoricae auditores quomodo erudiendi.

10. Si Nostri Rhetoricae et Humanitatis auditores vel ad publicas non accedunt praelectiones, vel accedunt quidem, is tamen, qui scholae praeest et externos discipulos exercet, non potest nimio fortasse oneri externorum et Nostrorum probe instituendorum sufficere; Nostros alteri cuipiam idoneo Rector committat, a quo ex formula, in Regulis Professoris Rhetoricae praescripta, domi privatim diligenter exerceantur.

Quomodo exercendi. *P. 4 c. 6 n. 12, 13.*

11. Videat etiam, ut interdum aliquae a nostris Rhetoricae auditoribus orationes aut poemata latine vel graece, tum in mensa habeantur, tum in aula de re aliqua ad aedificationem domesticorum et externorum pertinente, qua ad perfectiora in Domino animentur; aliaeque exercitationes non desint, quae in Constitutionibus commendantur.

Externi ad Rhetoricam hortandi.

12. Curandum est, ut Alumni nostri sive Convictores annum, quoad eius fieri potest, Rhetoricam audiant, antequam Philosophiam aggrediantur; eorumque parentibus quantum id expediat demonstrandum. Caeteris quoque externis idem suadendum, qui, *P. 4 c. 13, E.* si volent nihilominus aliam rationem sequi, cogendi non erunt. Si qui tamen adhuc plane pueri ad Philosophiam velint accedere, ex quibus perturbatio potius timeatur, posset cum iis agi, quod cum illis, qui nollent promissione obligari, vel nomina in matriculam dare, agendum Constitutiones statuunt. *P. 4 c. 17, D.*

Tragoediae et comoediae. *Reg. 58 Prov.*

13. Tragoediarum et comoediarum, quas non nisi latinas ac rarissimas esse oportet, argumentum sacrum sit ac pium; neque quidquam actibus interponatur, quod non latinum sit et decorum; nec persona ulla muliebris vel habitus introducatur.

Praemia. *C. 1 can. 16 d. 123.*

14. Praemia distribui publice poterunt semel quotannis; modo id fiat sumptu clarorum hominum, eoque moderato, pro scholarum numero Collegiique ratione. Eorum autem, qui sumptus suppeditant, in ipsa praemiorum distributione honorifica mentio erit facienda. Magna autem cura caveat, ne discipuli, dum se ad huiusmodi res comparant, moram faciant studiorumve iacturam.

Oratio in studiorum renovatione.

15. Non committat, ut oratio in studiorum instauratione publice ab alio, quam a Magistro aliquo insigniore, nisi necessitas cogat, habeatur.

Quae scriptiones in codicem referendae. ** reg. 11.*

16. Servandum curet, quod est in Regulis Praefecti bibliothecae*, de referendis in codicem his rebus, quae publice exhibentur, scribunturque in Collegio, seu extra Collegium, a Nostris, hoc est, dialogis, orationibus, versibus, et aliis huiusmodi, Praefecto aut aliis harum rerum peritis dato negotio seligendi.

Librorum

17. Bibliothecarium in librorum

distributio. distributione a Studiorum Praefecti praescripto iubeat non discedere.

Consultationes Magistrorum. 18. Singulis, aut alternis saltem mensibus, consultationes habeat omnium Magistrorum infra Logicam, praesente utroque Praefecto; caeterorum etiam interdum, praesente Praefecto generali: in quibus primum aliquid ex Regulis Magistrorum, tum communibus omnium, praesertim iis, quae ad pietatem ac morum disciplinam spectant, tum propriis singulorum ex ordine recitetur. Moneat autem cuique licere proponere, si quid in iis difficultatis occurrat, aut si quid forte non observetur.

Hebdomadaria cessatio. *P. 4 c. 13 n. 5, F.* 19. Scholae inferiores hebdomadaria cessatione non careant semel in hebdomada, vel per integrum diem, vel saltem pomeridianis horis, prout regionum usus tulerit.

Magistrorum fovenda alacritas. 20. Studeat etiam diligenter charitate religiosa Magistrorum fovere alacritatem, curetque, ne muneribus domesticis gravius onerentur: quod autem Rectori praescribitur regula 25 sui officii, id peculiari studio cum iis exsequatur.

Exhortationes ad discipulos. 21. Deliberet, an, praeter Magistrorum hebdomadarias exhortationes, alia insuper a Patre quopiam gravi habenda sit singulis vel alternis mensibus in loco aliquo ampliore, in quem inferiores tantum, vel etiam superiores classes cogantur; et an ex usu sit, ut ipsemet Praefectus aliusve per classes interdum monita salutaria et propria puerorum tradat.

22. Ubi Praefecto Studiorum inferiorum a Provinciali socius addetur, qui et atrii Praefectus dici poterit, ad illum pertinebit regula 2 Praefecti inferioris, et regulae eiusdem, quae ad mores pertinent, a numero 37 usque ad finem; et, si videatur, regulae de novis examinandis, a numero 9 usque ad 13. Praefecti atrii Regulae.

23. Det operam, ut Divae Mariae Annuntiatae Congregatio ex romano Collegio in suum propagetur: cui qui nomen non dederit, non esset in academiam, in qua recoli solent litterariae exercitationes, admittendus, nisi forte ipse Rector aliter expedire in Domino iudicaverit. Verum ea, quae ad Congregationem vel academiam spectant, ne fiant eo tempore, quo in templo nostro sacrae conciones seu lectiones habentur. Congregatio B. Virginis.

24. Denique de vacationibus, de gradibus, de Nostris, quibus biennium ad recolendam Theologiam concedendum erit, deque aliis Provincialem consulat; et diligenter, quae ipse statuerit, exsequatur. Quaedam Provinciali permissa.

REGULAE PRAEFECTI STUDIORUM.

Praefecti munus. P. 4 c. 17 n. 2.

1. PRAEFECTI munus est, generale Rectoris instrumentum esse ad studia recte ordinanda, scholasque nostras ita regendas ac moderandas pro facultate ab eo accepta, ut, qui eas frequentant, quam maxime in vitae probitate ac bonis artibus doctrinaque proficiant ad DEI gloriam.

Quae Praefecti, quae Cancellarii Regulae.

2. Sicubi forte Cancellarius est a Praefecto distinctus, Provincialis erit videre, quaenam ex his Regulis utrique communes vel alterutri propriae esse debeant, pro cuiusque Academiae consuetudine et statutis.

Praefectus non dispenset.

3. Nihil immutet ex iis, quae habentur in ordine studiorum, neque dispenset; sed, ubi opus est, referat ad Superiorem.

Liber de Ratione Studiorum.

4. Librum de Ratione Studiorum familiarem habeat, et ab auditoribus Professoribusque omnibus Regulas sedulo curet observandas; praecipue vero eas, quae de doctrina S. Thomae Theologis, et de delectu opinionum Philosophis praescribuntur: in quo praesertim invigilet, cum conclusiones defendendae, maxime vero, cum imprimendae erunt.

Professores materias absolvant.

5. Unicuique ex Professoribus, tum Theologis, tum Philosophis, tum Casistis, praesertim si quem paulo tardiorem compererit, in memoriam revocet, ut progrediatur ita, ut singulis annis materias sibi assignatas absolvat.

Disputationes quomodo moderandae. P. 4 c. 6 n. 6, 10. P. 4 c. 18 n. 3. P. 4 c. 17 n. 2.

6. Omnibus disputationibus, ad quas Professores, sive Theologi sive Philosophi, conveniunt, Praefectus praesit oportet, signumque det finiendi iis, qui disputant; ac tempus sic distribuat, ut omnibus suus sit disputandi locus. Non patietur difficultatem ullam, quae in disputationem veniat, ultro citroque sic agitari, ut non minus quam antea incomprehensa permaneat; sed, posteaquam de re quapiam fuerit concertatum, eam ab eo, qui praeest, diligenter explicandam curet. Neque enim argumenta solvet ipse, sed argumentantibus et respondentibus potius moderabitur: idque maiore cum dignitate praestabit, si non argumentando, quamvis id aliquando decet, sed interrogando faciet, ut difficultas magis explanetur.

De actibus theologicis.

7. Suo tempore in memoriam redigat Superiori, ut, auditis Praeceptoribus, statuat, quibusnam, sive totius Theologiae, sive partis alicuius theses defendendae sint: qui quidem actus ab his, quibus non est tribuendum recolendae Theologiae biennium, habendi sunt anno theologici studii quarto, aut, si aequo pauciores sint Theologi quarti anni, tertio; idque, etiam ubi Nostri domi Theologiam

audiunt, externis invitatis, cum aliquo apparatu. Ad generales vero non necesse est ut omnes admittantur, qui peculiares habuerunt; sed ii, qui ingenio et facultate praestent, eligi poterunt: ii vero, qui habituri sunt biennium, biennio ipso actus suos celebrabunt, ut deinde dicetur.

De actibus peculiaribus. *Ord. pro Stud. Sup. n. 11.*

8. Ad peculiares autem actus, quos singuli singulos habebunt, materias ex quatuor Theologiae partibus Praefectus cum Magistris distribuet; sed ita, ut non nimis frequenter, sed per intervalla quaedam habeantur; ac duabus horis et dimidiata minimum circumscribantur; nec nisi mane, vel a prandio tantum; et argumententur fere non pauciores quam tres, quorum unus sit, ut plurimum, Doctor.

De generalibus.

9. Generales universam fere Theologiam comprehendant, et antemeridianum videlicet ac pomeridianum tempus occupent; vel certe ad quaternas seu quinas horas producantur, ubi non nisi mane vel a prandio disputari moris est.

Conclusiones imprimendae.

10. Generalium horum actuum conclusiones possunt, si videatur, esse communes Nostris omnibus eodem anno defensuris, et publicis typis, (si loci consuetudo ferat), excudi.

Certum conclusionum tempus.

11. Eorum, qui sunt hos actus habituri, unus in ultimam, si commode potest, reservetur hebdomadam, qua studia finienda sunt, alter in eam, qua scholae rursus aperiendae.

De actibus externorum.

12. Ad actus generales habendos aliqui quotannis invitentur externi, qui Theologiae curriculum in nostro gymnasio non exigua cum laude confecerint. Huiusmodi autem actus oportet esse caeteris solemniores, et quanto maximo Nostrorum, externorum Doctorum, ac principum etiam virorum conventu celebrari.

Actibus qui praesideant.

13. Praesideant omnibus actibus Professores, vel alterni vel simul ambo, ita ut de suis uterque quaestionibus respondeat: praesidere etiam possunt alii Doctores nostri.

Conclusionum numerus.

14. In generalibus actibus conclusiones nec nimis longae sint, nec plures fere quam quinquaginta, pauciores, si publicus Academiae mos aliter habet. In peculiaribus vero actibus non plures quam viginti; quam duodecim vel quindecim in menstruis disputationibus; quam octo vel novem in hebdomadariis.

Respondens conclusiones confirmet. *P. 4 c. 6 n. 10.*

15. Responsurus, conclusionem unam aut alteram breviter (antequam ad disputationem veniatur) paulo quidem ornatius, sed theologico tamen more, confirmet.

Disputationes menstruae et hebdomadariae.

16. De menstruis et hebdomadariis disputationibus servanda diligenter curet, quae in Regulis Professorum Theologiae ac Philosophiae praescribuntur.

Audiendi et observandi Praeceptores.

17. Audiat aliquando Praeceptores, minimum semel in mense: interdum etiam commentarios legat a discipulis exceptos. Si quid animadversione dignum vel ipse observaverit, vel audierit ab aliis, ubi id certo compererit, Praeceptorem perquam benigne et comiter admoneat, remque totam ad Rectorem, si necesse sit, deferat.

Recognitio conclusionum. *Ord. pro Stud. Sup. n. 12.*

18. Idem servandum, cum in recognoscendis conclusionibus aliquid incideret, quod inter Praefectum et Praeceptorem non conveniret: neque enim, eo insciente, conclusionem ullam aut delere aut immutare debet. Ipsa vero immutatio fiet, caeteris omnibus insciis praeter Rectorem.

De actibus

19. Sub finem triennii cursusque

philosophicis. philosophici disputationes habeantur de universa Philosophia, ad quas deligantur pauci et egregie instructi, qui eius loci dignitatem sustinere valeant: hoc est, qui multo plus quam mediocriter profecerint.

Examen nostrorum Metaphysicorum. 20. Hi seligendi sunt per Examinatores tres, aut etiam plures. Examinabunt autem semper Praefectus et Praeceptor proprius, quibus a Rectore addetur tertius ex reliquis Magistris, vel alius, qui recte id facere posse iudicetur. Cum his tribus aderunt praeterea saltem duo alii Professores, a Rectore item eligendi, qui vicissim etiam mutari poterunt: vel, si id non possit, alii valde idonei, qui cum tribus Examinatoribus, suffragium scripto ferant; ita ut sint minimum quinque secreta suffragia; et ab omnibus rem omnino secretam servari oportet. *C. 12 d. 22 n. 4.*

Alumnorum et Convictorum. 21. Alumnos seu Convictores satis est examinari a suo Praefecto et duobus Philosophiae repetitoribus: aut, si ii defuerint, a doctioribus duobus Theologiae auditoribus ex Nostris, a Praefecto generali assignandis. Verum, qui ab his iudicati erunt idonei, non prius ad actum sese comparent, quam sui Praeceptoris ac Praefecti generalis iudicio sint probati.

Publicum sit. 22. Hoc examen (a quo, et severe quidem agendo, nullus fere excipiendus e Nostris, et, si fieri potest, nullus etiam ex Alumnis et Convictoribus) publicum erit, nisi quid obstet; videlicet, si Nostrorum est, coram omnibus nostris Philosophiae auditoribus; sin Alumnorum seu Convictorum, coram omnibus sui Collegii Philosophis; sin externorum (qui tamen ut examen hoc subeant cogendi non sunt) coram omnibus externis Philosophis, saltem suae classis.

Examinis tempus et forma. 23. Examinandi initium statim post ferias Paschatis fiat, vel etiam ante, si multitudo cogat examinandorum, distributis diebus eo ordine, quem Rector, audito Praefecto et Praeceptore, existimaverit commodissimum. Duret examen singulorum minimum una hora; eatque per omnes primarias materias, quas Praefectus tempestive ac secreto Examinatoribus assignabit.

De tempore, et forma actuum philosophicorum. *Ord. pro Stud. Sup. n. 11.* 24. Porro philosophici actus totum scholarum tempus occupent minimum, vel mane vel a prandio. Tres fere argumententur, quorum unus sit, ut plurimum, aliquis ex nostris Magistris, sive Theologiae sive Philosophiae, vel Doctor aliquis Religiosus aut externus. Conclusionum autem numerus ac ratio non discrepent ab eo, quod de theologicis generalibus statutum est regula 9, 10, 11 et 12.

Quibus actibus qui intersint. 25. Theologi, non modo auditores, sed etiam Professores, curet Praefectus, ut intersint actibus theologicis, atque adeo philosophicis, et his Philosophi; et Professores quidem argumentando, urgendo alacriorem ac solemniorem reddant disputationem. Adesse etiam omnes debebunt, cum Magisterium erit vel Doctoratus in aliquem conferendus; quo in genere quid Praefectum praestare oporteat, Rectoris erit praescribere.

Qui ad argumentandum mittendi. 26. Cum Nostri vocantur ad disputandum ab externis, vel ad publicas Academias, vel ad Religiosorum conventus, ii potissimum mittendi erunt, qui biennium habent ad Theologiam recolendam.

Praescribenda studendi ratio. 27. Et Nostris, et Alumnis, et externis per Magistros, non modo rationem studendi, repetendi, disputandi praescribat; sed etiam omne tempus

ita distribuat, ut privati studii horas bene collocent.

Recognoscenda, quae publice recitantur.

28. Nihil publice domi forisve recitari patiatur, vel ab iis, qui ad gradus promoventur, vel ab iis, qui actus tum generales tum particulares habent, vel a Rhetoricae auditoribus, quod non ipse tempestive recognoverit et approbaverit.

Librorum delectus et copia. P. 4 c. 6 n. 7.

29. Curet, ne Scholastici libris aut utilibus careant, aut abundent inutilibus. Quare mature Rectori suggerat, ne librorum, quibus in dies utimur, aut proximum in annum usuri sunt, tum Nostri tum externi, copia desideretur.

Qui libri quibus distribuendi.

30. Theologiae ac Philosophiae auditoribus non quoslibet, sed certos quosdam, Rectore conscio, ex Magistrorum consilio concedat libros; scilicet, praeter Summam S. Thomae Theologis, et Aristotelem Philosophis, commentarium aliquem selectum, quem privato studio consulere possint. Tridentinum Concilium omnes Theologi habeant, et Bibliorum volumen, quorum lectio sit illis familiaris. An etiam aliquem ex Patribus habere debeant, cum Rectore consideret. Theologis praeterea ac Philosophis omnibus librum aliquem ad Humanitatis studia pertinentem distribuat; moneatque, ut certis quibusdam temporibus legere, ubi commodum sit, non omittant. P. 4 c. 6, M.

REGULAE COMMUNES

OMNIBUS PROFESSORIBUS

SUPERIORUM FACULTATUM.

Finis. P. 4 c. 8, A. P. 4 c. 16 n. 4.

1. Feratur Praeceptoris peculiaris intentio tum in lectionibus, cum se occasio obtulerit, tum extra eas, ad auditores suos ad obsequium et amorem Dei ac virtutum, quibus ei placere oportet, movendos, et ut omnia sua studia ad hunc finem referant.

Orandum ante lectionem. P. 4 c. 16, C.

2. Quod ut ad memoriam eis reducatur, ante lectionis initium dicat aliquis brevem orationem ad id institutam, quam Praeceptor et discipuli omnes aperto capite attente audient; vel saltem ipse Praeceptor signo crucis se muniat aperto capite et incipiat.

Discipuli ad pietatem iuvandi.

3. Discipulos praeterea iuvet crebris apud Deum precibus, ac religiosis vitae suae exemplis. Exhortationes par erit non omittere, saltem pridie solemniorum dierum, et cum paulo longiores vacationes conceduntur. Hortetur potissimum ad orandum Deum, ad excutiendam conscientiam vesperi, ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae frequenter ac P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 1, A.

rite obeunda, ad Missam quotidie, concionem singulis diebus festis audiendam, ad vitandas noxias consuetudines, ad vitiorum detestationem, ad virtutes colendas christiano homine dignas.

Praefecto obtemperandum. *Ord. pro Stud. Sup. n. 11.*

4. Praefecto Studiorum in rebus, quae ad studia et scholarum disciplinam spectant, obtemperet: conclusiones omnes, antequam proponantur, eidem tradat recognoscendas; neque librum ullum aut scriptorem extraordinarium explicandum suscipiat, neque novam ullam docendi aut disputandi consuetudinem introducat.

In refellendo modestia. *C. 5 d. 41 n. 5.*

5. In iis quaestionibus, in quibus liberum est quamcumque partem sequi, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo magis prioris Professoris, si contrarium docuerat, existimationi modeste ac benevole consulatur. Quin etiam, si conciliari possunt auctores, id ne negligatur, optandum est. Denique in nominandis aut confutandis auctoribus modeste se gerat.

Novitas opinionum fugienda. *C. 5 d. 41 n. 3.*

6. In iis etiam, in quibus nullum fidei pietatisque periculum subest, nemo in rebus alicuius momenti novas introducat quaestiones, nec opinionem ullam, quae idonei nullius auctoris sit, iis, qui praesunt, inconsultis; nec aliquid contra Doctorum axiomata, communemque scholarum sensum doceat: sequantur potius universi probatos maxime Doctores, et quae, prout temporum usus tulerit, recepta potissimum fuerint in catholicis Academiis.

In alienis confutandis suisque probandis brevitas.

7. Opiniones inutiles, obsoletas, absurdas, manifesto falsas non adducat: nec in illis referendis ac refutandis nimis immoretur. Conclusiones non tam probare studeat argumentorum numero, quam pondere. Ad alienas materias non digrediatur; aut e suis alias fusius, quam res postulat, alias alieno loco pertractet. Ne coacervet, quae obiici possent; sed ex iis potissima breviter referat; nisi ex iactis fundamentis facile pateat eorum confutatio.

In auctoritatibus parcitas et fidelitas.

8. In afferendis Doctorum auctoritatibus non sit nimius: si tamen habeat insigniorum auctorum testimonia ad sententiam suam confirmandam, verba ipsa, quoad fieri potest, pauca tamen et fideliter recitet; multo magis Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Sanctorum Patrum. E dignitate autem Magistri est, nullum fere auctorem proferre quem ipse non legerit.

De dictando.

9. Si quis citra dictationem ita docere potest, ut quaecumque scribenda sunt, commode valeant ab auditoribus excipi, is ne dictet, optandum: certe ita omnino dictent, ut non verbatim interposita mora, sed uno fere spiritu pronuntient; et, si oportuerit, repetant totidem verbis: nec totam quaestionem dictent, mox explicent; sed identidem dictent, atque explicent vicissim.

Discipuli quando ad auctores reiiciendi.

10. Ea, quae in auctoribus in promptu positis habentur, si afferenda sint, explicet potius, quam dictet; quin etiam auditores ad eos auctores, qui copiose et accurate materiam aliquam pertractarunt, reiiciat.

Repetitiones in schola. *P. 4 c. 13 n. 3.*

11. Post lectionem, in schola vel prope scholam maneat saltem per quadrantem, ut possint ad eum interrogandum auditores accedere: et lectionum rationem interdum exigat, curetque, ut eae repetantur.

Repetitiones domi. *P. 4 c. 6 n. 8, H. P. 4 c. 13 n. 3, D*

12. Domi quoque quotidie, praeter sabbata, vacationes et dies festos, hora una designanda, qua repetatur a Nostris et disputetur; ut ea ratione

et ingenia magis exerceantur, et difficilia, quae occurrent, magis elucidentur. Praemoneatur itaque unus aut alter ad repetendum memoriter non plus quam per quadrantem; postea argumentetur unus item aut alter, totidem respondentibus: si quid vero temporis supersit, dubia proponantur; ut autem supersit, Magister argumentandi formam severe tueatur, et cum novi nihil affertur, praecidat argumentum.

Repetitiones generales. *P. 4 c. 18 n. 3, D.*

13. Sub finem anni ita instituendae erunt praeteritarum lectionum repetitiones, ut, nisi quid obstet, mensis integer vacuus ab illis etiam, non solum a lectionibus, relinquatur.

Disputationes hebdomadariae. *P. 4 c. 6 n. 10.*

14. In sabbato aliove, quem Academiae consuetudo exigit, die, habeant in scholis disputationes per duas horas, longiores etiam, ubi sint magni externorum concursus. Quod si quam in hebdomadam duo festi dies, vel cum festo uno hebdomadaria vacatio incidat, non disputetur, sed legatur sabbato; id vero si tribus continuaretur hebdomadis, una interponatur disputatio.

Disputationes menstruae. *P. 4 c. 18 n. 3.*

15. Ubi receptus Academiae mos nihil obstat, singulis, praeter tres menses aestivos ultimos, aut, (si pauci sint auditores) alternis mensibus communes certo aliquo die disputationes, tum ante tum post meridiem, habeantur: quot fuerint Magistri, totidem auditores defendant, singuli singulorum Magistrorum quaestiones.

Argumenta qui resumant.

16. Intersint disputationibus, quoad eius fieri potest, alii quoque Doctores nostri Professoresque, licet diversarum Facultatum: qui, quo magis concertatio ferveat, argumentorum, quae agitantur, vim urgeant; modo ne prosequendum suscipiant argumentum, cui utiliter ac strenue adhuc argumentans insistit. Id ipsum praestare liceat externis etiam Doctoribus, atque adeo ad argumentandum ex instituto, nisi ea consuetudo alicubi minus probetur, invitari possunt.

Non disputent nisi doctiores.

17. Ex auditoribus publice non disputent nisi doctiores; caeteri privatim exerceantur, quoad ita instructi sint, ut eo loco non putentur indigni.

Disputationis cura.

18. Existimet disputationis diem non minus esse laboriosum fructuosumque, quam lectionis, omnemque disputationis utilitatem ac fervorem a se pendere; cui ita praesit, ut ipse videatur esse, qui in utroque concertatore concertet; collaudet, si quid afferatur boni, et attendere omnes iubeat: cum gravior aliqua proposita fuerit difficultas, suggerat subinde breve aliquid, quo vel fulciat respondentem, vel argumentantem dirigat: neque diu taceat, neque semper loquatur, ut ipsi etiam discipuli promant, quod sciunt; ipse vero, quod depromptum fuerit, emendet aut expoliat; disputantem progredi iubeat, dum difficultas vim obtinet; immo augeat ipse difficultatem, nec dissimulet, si is, qui argumentatur, prorepserit ad aliud argumentum; non patiatur vel argumentum bene solutum longius urgeri, vel responsionem non bene constantem diu sustineri; sed post aliquam concertationem rem totam breviter definiat et explanet. Si quid denique aliud uspiam in usu est, quo disputationes reddi soleant frequentiores ac ferventiores id sedulo retinendum.

Cum Bidello agendum.

19. Cum adiutore seu Bidello a Rectore constituto agat interdum, eumque de totius classis statu, et de externorum etiam auditorum diligen-

tia ac profectu percontetur; detque operam, ut idem suo munere fideliter et accurate fungatur.

Profectus studentium. P. 4 c. 6 n. 6.

20. Sit denique in omnibus, divina aspirante gratia, diligens et assiduus, et profectus studentium, tum in lectionibus tum in aliis litterariis exercitationibus, studiosus; non uni se magis quam alteri familiarem ostendat; contemnat neminem; pauperum studiis aeque ac divitum prospiciat, profectumque uniuscuiusque e suis Scholasticis speciatim procuret. P. 4 c. 18 n. 3.

REGULAE

PROFESSORIS SACRAE SCRIPTURAE.

Praecipua sensus litteralis cura.

1. INTELLIGAT suas partes esse, divinas Litteras iuxta germanum litteralemque sensum, qui rectam in DEUM fidem bonorumque morum instituta confirmet, pie, docte, graviter explicare.

Et vulgatae editionis. P. 4 c. 6 n. 5.

2. Inter caetera, ad quae eius intentio feratur, illud praecipuum sit, ut versionem ab Ecclesia approbatam defendat.

Phrases Sacrae Scripturae observandae, et inter se conferendae.

3. Eum sensum ut assequatur, locutiones ac figuras Sacrarum Scripturarum proprias observet: nec modo loci, quem in manibus habet, antecedentia et consequentia, sed alia quoque loca, in quibus eadem phrasis idem aut non idem valeat, solerter inter se conferat.

Hebraeus, graecusve textus.

4. Ex hebraeis graecisque exemplaribus, quod usui fuerit, in eam rem proferat, breviter tamen; nec nisi cum vel ipsorum latinaeque editionis vulgatae aliqua diversitas conciliationis indiget, vel aliarum linguarum idiotismi ad maiorem conferunt sive perspicuitatem sive significationem.

Aliis versionibus quomodo utendum.

5. Aliarum versionum, sive latinarum recentiorum, sive chaldaicae, syriacae, Theodotionis, Aquilae, Symmachi, nec errores, nisi et insignes et in speciem probabiles, suscipiat refellendos; nec ea vicissim praetereat, quae latinae editioni vulgatae, fideique nostrae mysteriis valde faveant; praesertim, si fuerint apud septuaginta interpretes, de quibus honorifice semper loquendum est.

Pontificum et Conciliorum expositiones tuendae.

6. Si quem litteralem cuiuspiam loci sensum esse significant Pontificum seu Conciliorum, praesertim generalium, canones, eum omnino litteralem esse defendat, nec alios praeterea litterales addat, nisi eximiis adductus coniecturis. Si quem etiam

ad aliquod fidei dogma confirmandum ex instituto proferunt; eum quoque sensum, aut litteralem aut mysticum, certum tamen esse doceat.

Patrum vestigiis insistendum.

7. Sanctorum Patrum vestigiis reverenter insistat: inter quos, si de uno aliquo sensu litterali vel allegorico conveniat, praesertim dum disertis verbis loquuntur et ex proposito de Scripturis aut de dogmatibus disputant, ab eo non recedat: si non conveniat, ex eorum variis expositionibus eam praeferat, in quam a multis iam annis Ecclesia magno consensu videtur propensior.

Fidei dogmata Sacris Litteris confirmanda.

8. Quin etiam, si quod est fidei dogma, quod fere quam plurimi Patres aut Theologi e Scripturis probare contendunt, id ipse probari inde posse non neget.

Rabbinis auctoritas non concilianda.

9. Si quid sit in hebraeorum Rabbinis, quod vel pro latina editione vulgata vel pro catholicis dogmatibus utiliter possit afferri, id ita afferat, ut illis propterea non conciliet auctoritatem, ne ad eos aliqui afficiantur; praesertim si fuerint ex iis, qui post Christi Domini tempora scripserunt.

In rebus aut erroribus Rabbinorum non laborandum.

10. In caeteris Rabbinorum rebus conquirendis, aut etiam erroribus exagitandis, nisi valde celebres sint, non laboret: idemque servet in legendis quibusdam christianis interpretibus, qui plus nimio Rabbinos secuti sunt.

Non admodum punctis fidendum.

11. Immo neque punctis, quod Rabbinorum inventum est, confidat admodum; sed diligenter expendat, quomodo noster, vel septuaginta, vel antiqui interpretes alii legerint, cum puncta non essent.

Brevitatis studium.

12. In quolibet Scripturae loco, nisi magnum sit et morae et operae pretium, non haereat nimium, ne lenti fiant progressus: quod maxime consequetur, si faciliora percurrat vel etiam omittat.

Quaestiones scholastico more non tractandae.

13. Quaestiones Sacrarum Scripturarum proprias scholastico more non tractet.

Chronologiae, et his similibus non immorandum.

14. In varia temporum ratione pervestiganda, in perscrutandis Terrae Sanctae locis, aut in huiusmodi aliis parum utilibus rebus (nisi locus ipse id exigat necessario) non multum temporis ponat. Auctores, qui de his copiose disserunt, satis erit indicare.

Nec allegoriis, et moralibus.

15. Allegorias et moralia, si pervulgata non sint, et in sensu ipso litterali quodammodo nata videantur, atque ingeniosum ac perspicax aliquid prae se ferant, ne praetermittat: quae eiusmodi non fuerint, significet tantum quibus ex Patribus depromi possint.

Nec controversiis.

16. Si quem incidat in locum, vel nobis cum haereticis controversum, vel in theologicis concertationibus in utramque partem iactari solitum, exponat tantum, graviter tamen et strenue, praesertim si adversus haereticos agat, quantum is locus ponderis habeat ad eam quaestionem definiendam; omittat caetera, ut, instituti sui memor, nihil aliud, quam Sacras Litteras docere videatur.

Novum et Vetus Testamentum alternis annis explicet.

17. Novum et Vetus Testamentum, nisi aliud interdum satius esse iudicetur, alternis annis explicet.

Quotannis novus liber praelegendus.

18. Inchoatum uno anno librum non extrahat in alterum, nisi gravem ob causam: immo ad eumdem librum interpretandum ne recurrat, nisi post explicatam maiorem partem praecipuorum librorum.

Repetitiones et lectiones domesticae.

19. Praeter repetitiones domi semel in hebdomada, lectiones etiam in

refectorio interdum, ut Rector praescripserit, habeantur.

Praelectiones publicae.

20. Loco ordinariae lectionis designetur interdum ex discipulis aliquis, qui ordinate et copiose locum aliquem e Sacris Litteris celebriorem explicet: contra quem, ubi absolverit, ex condiscipulis unus aut alter argumentetur, non aliunde tamen quam ex variis sive Sacrae Scripturae locis, sive linguarum idiotismis, sive Patrum interpretationibus.

REGULAE

PROFESSORIS LINGUAE HEBRAEAE.

Interpretandi fidelitas.

1. Nihil antiquius habeat, quam ut prima ipsa Sanctae Scripturae verba perquam integra fide interpretetur.

Vulgatae defensio.

2. Inter caetera ad quae eius intentio feratur, illud sit, ut versionem ab Ecclesia approbatam defendat.

Grammatica sacro textui iungenda.

3. Initio anni prima Grammaticae rudimenta explicet: deinde, dum reliquas persequitur institutiones, aliquem Sacrae Scripturae librum ex facilioribus explanet.

Praecipua cura verborum.

4. Dum Sacros Libros interpretatur, non tam in rebus ac sententiis expendendis laboret, quam in vi ac potestate verborum, ac propriis eius linguae idiotismis, et in Grammaticae praeceptis iuxta germanum auctorum usum observandis.

Linguae peregrinitas industria mollienda.

5. Ita denique se gerat in docendo, ut peregrinitas et asperitas ea, qua nonnullis linguae huius studium laborare videtur, sua industria leniatur.

REGULAE

PROFESSORIS SCHOLASTICAE THEOLOGIAE.

Finis.

1. Sui muneris esse intelligat, solidam disputandi subtilitatem ita cum orthodoxa fide ac pietate coniungere, ut huic in primis illa deserviat.

S. Thomas sequendus. P. 4 c. 14 n. 1. C. 5 can. 9 d. 41, 56, n. 1, 2. C. 20 d. 37 n. 1. C. 23 d. 15.

2. Sequantur Nostri omnino in scholastica Theologia doctrinam S. Thomae, eumque ut Doctorem proprium habeant: ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quam optime afficiantur. Non sic tamen S. Thomae adstricti esse debere intelligantur, ut nulla prorsus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipsi, qui se thomistas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant, nec arctius Nostros S. Thomae alligari par sit, quam thomistas ipsos.

Cum qua exceptione. C. 5 d. 41 n. 1, d. 56 n. 3.

3. Ergo de Conceptione B. Mariae ac de solemnitate votorum sequantur sententiam, quae magis hoc tempore communis est, magisque recepta apud Theologos; et in quaestionibus mere philosophicis, aut etiam in iis, quae ad Scripturas et Canones pertinent, licebit sequi etiam alios, qui eas Facultates magis ex professo tractaverunt.

In dubiis utramvis partem sequi licet.

4. Si quando, vel ambigua fuerit S. Thomae sententia, vel in iis quaestionibus, quas S. Thomas forte non attigit, Doctores catholici inter se non consenserint, licebit quamcumque partem sequi, ut dictum est in Regulis Communibus, regula quinta. C. 5 d. 41 n. 5.

Fidei et pietatis cura. C. 5 d. 41 n. 2.

5. In docendo corroborandae primum fidei, alendaeque pietatis cura habeatur. Quare in iis quaestionibus, quas S. Thomas ex professo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Ecclesiae sensu receptisque traditionibus non bene conveniat, quodque aliquo modo solidae pietatis firmitatem minuat. Quo pertinet, ut nec receptas iam, quamvis congruentes tantum rationes, quibus fidei res probari solent, refellant; nec temere novas excogitent, nisi ex constantibus solidisque principiis.

Opiniones, quae catholicos offendunt, non asserendae. C. 5 d. 41 n. 4.

6. Quae opiniones, cuiuscumque auctoris sint, in aliqua Provincia aut Academia catholicos graviter offendere scirentur, eas ibi non doceat aut defendat. Ubi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in discrimen adducitur, prudens charitas exigit, ut Nostri se illis accommodent, cum quibus versantur.

Quadriennio cursus absolvendus. P. 4 c. 9 n. 3. P. 4 c. 15 n. 3. P. 5 c. 1 n. 2.

7. Quadriennio totus Theologiae cursus absolvendus. Si ergo duo fuerint scholasticae Theologiae Professores.

Quaestionum divisio.

§ 1. Primus 43 quaestiones ex prima parte explicet primo anno; secundo anno materiam de Angelis, atque unam et viginti quaestiones ex prima secundae; tertio anno a quaestione 55 vel 71 ad finem primae secundae; quarto anno ex secunda secundae materiam de fide, spe et charitate.

§ 2. Alter Professor, primo anno explanet ex secunda secundae quaestiones de iustitia et iure, et praecipua quaedam de religione; secundo, ex tertia parte quaestiones de Incarnatione, et, si potest, graviora saltem quaedam explicet de sacramentis in genere; tertio, de baptismo et Eucharistia, et, si quid potest, de ordine, confirmatione, extrema unctione; quarto de poenitentia et matrimonio.

§ 3. Ubi vero tres erunt Theologiae professores, primus primo anno exponat 26 quaestiones ex prima parte; secundo, reliquas eiusdem partis quaestiones quascumque poterit; tertio, ex prima secundae quidquid poterit ante quaestionem 81; quarto anno, reliquum primae secundae.

§ 4. Alter, primo anno, ex secunda secundae controversias de Scriptura et traditionibus, de Ecclesia, de Concilio, de Romano Pontifice; secundo, quaestiones de fide, spe et charitate; tertio, quaestiones de iustitia et iure, de restitutione et usura, de contractibus, quantum potest; quarto, si quae de contractibus superfuerant, et quae de religione ac statibus disputat.

§ 5. Tertius, primo anno, quaestiones de Incarnatione; secundo, de sacramentis in genere, de baptismo et Eucharistia; tertio, de poenitentia ac matrimonio; quarto, de censuris ecclesiasticis et de reliquis sacramentis.

Cuiusque anni quaestiones absolvendae.

8. Ex quaestionibus autem, quae sibi explanandae fuerint, singulas intra annum, cui adscriptae sunt, absolvat; si quas non poterit, praetermittat omnino, nec alium in annum reiiciat, sed auditores ad certum aliquem auctorem remittat.

A quibus quaestionibus abstinendum.

9. Ut autem facilius in Theologia scholastica huiusmodi progressus faciant, par est, ut a quibusdam rerum generibus abstineant, quoad eius fieri poterit: sunt autem in primis haec quatuor:

A Sacrae Scripturae propriis.

§ 1. Unum genus quaestiones aut commentationes divinarum Scripturarum proprias complectitur. Has concedant interpreti Scripturarum.

A controversiis.

§ 2. Alterum genus in controversiis adversus haereticos positum est; in quibus pertractandis, quoties in S. Thomae partibus occurrerint, servent scholasticam, potius quam historicam, rationem, et satis esse putent conclusionem quamlibet duobus aut tribus firmis munire fundamentis; diluere etiam totidem fere praecipuas haereticorum calumnias: in singulis tamen indicent auctorem aliquem, ex quo caetera promere possit, qui velit.

A philosophicis.

§ 3. In tertio genere sunt philosophicae res, quas haudquaquam ex instituto tractent, nec tam disputent, quam vel ab aliis, vel a se explicatas indicent.

A casibus conscientiae.

§ 4. Ad quartum genus pertinent conscientiae casus. In quo, generalibus quibusdam rerum moralium principiis, de quibus disputari theologico more solet, contenti, subtiliorem illam ac minutiorem praetereant casuum explicationem.

Eadem non iteranda.

10. Si quando S. Thomas eamdem difficultatem in plures distrahit articulos, praesertim diversarum quaestionum, ne idem duobus repetatur

locis, poterunt vel in unam disputationem, vel etiam, si res ipsa longiorem non exigat explicationem, in compendium articulos illos redigere, ut distincte dicetur in Catalogo quaestionum hisce Regulis adiuncto, modo nihil praetereant, quod in articulis singulis observatione dignum sit.

Articuli S. Thomae quomodo explicandi.

11. Faciles percurrant articulos. Itaque, praelecto titulo, mox vel indicent breviter conclusionem S. Thomae, vel dicant: S. Thomas respondet negando, vel affirmando. In difficilioribus vero progrediantur hoc fere modo atque ordine. Explicetur primum articuli titulus, si quid habet obscuritatis; tum exponatur distinctio, si qua est, ex cuius membris conclusiones nascuntur; mox conclusio primaria S. Thomae, atque aliae deinceps ponantur; singulisque conclusionibus, nisi perspicuae sint, adiiciatur aliqua eiusdem ratio: quae etiam ita explicetur, ut intelligant auditores, in distinctionibus ac rationibus S. Thomae maiorem inesse vim quam prima fronte aliquando videatur.

Longiores tractatus non instituendi.

12. Explicato quolibet articulo, si res exigat, quaestionem instituat; non tamen longiorem ullum tractatum, nisi in iis materiis, quae vel in S. Thoma non habentur, vel habentur quidem, sed utilius explicantur compendio.

Aut defendendus S. Thomas, aut quaestio omittenda.

13. Non satis est Doctorum sententias referre, et suam reticere; sed defendat opinionem S. Thomae, ut dictum est, vel quaestionem ipsam omittat.

Disputationes menstruae.

14. In disputationibus menstruis, quibus totidem defendent, quot fuerint Praeceptores, terni fere ante meridiem argumententur, totidem post meridiem, quilibet adversus omnes defendentes; et quidem, si nihil impediat, qui mane responderit primo loco, a prandio secundo respondeat.

CATALOGUS ALIQUOT QUAESTIONUM

EX SUMMA S. THOMAE.

EX PRIMA PARTE.

Quaest. 1, art. 1.

Nihil hic de potentia neutra. Utrum insit homini naturalis appetitus ad claram Dei visionem differatur in 1. 2. q. 3, art. 8; vel q. 5. art. 8.

art. 2.

Quae pertinent ad naturam scientiae, et ad subalternationem scientiarum, non disputentur hic, sed supponantur ex Logica.

art. 3.

Non agatur hic de rationibus formalibus obiectorum scibilium, neque an scientia sit unus simplex habitus et qualitas in genere; haec enim Philosophorum sunt; sed, his suppositis,

sufficit quaerere, an Theologia ex aliqua ratione peculiari sit unus habitus et una simplex qualitas.

art. 4. Non disputentur, sed supponantur quae dici solent de speculativo et practico, ut sunt differentiae scientiarum.

art. 5. Non tractetur, quid sit certitudo assensus, quid firmitas, quid veritas, quid evidentia, et quotuplex; sunt enim Logicorum.

art. 9. An decuerit Scripturam abundare metaphoris et parabolis, et an Sacrae Litterae apertae et clarae sint, relinquantur Lectori Scripturae et controversiarum, sicut etiam tractatus de sensibus Scripturae.

quaest. 2. Non explicetur, sed ex Logica supponatur, quid et quotuplex sit propositio per se nota et immediata; nec rationes S. Thomae, quibus demonstrat Deum esse, confutentur, sed potius corroborentur.

quaest. 3, art. 1. An aliquod corpus moveat immotum, et an vivens nobilius sit non vivente, et an Aristoteles recte probaverit Deum esse incorporeum, relinquatur Philosophis.

art 2. Nihil hic de principio individuationis.

art. 3. Non agatur de distinctione suppositi et naturae, pertinet enim ad 3. par. q. 3, art. 3. Quomodo autem distinguantur in creaturis esse et essentia, relinquatur Metaphysico.

art. 5. In quaestione, an Deus sit in praedicamento, rescindantur quae sunt propria Philosophorum. Quaestio vero, an Angeli et coeli sint in praedicamento, tota Philosopho relinquatur.

art. 7. An simplicitati divinae repugnet personarum et relationum pluralitas, non tractetur hic, sed infra q. 28, art. 2.

quaest. 4, art. 1. An aliqua perfectio, quae formaliter sit in Deo, libere ei conveniat, differatur in q. 19, art. 3. An autem relatio divina secundum se sit aliqua perfectio, remittatur ad materiam de Trinitate.

Praetermittatur, et ex Metaphysica supponatur, quid sit bonum. *quaest. 5.*

Quid Aristoteles senserit de Dei infinitate, relinquatur Philosopho. *quaest. 7, art. 1.*

An creari possit aliquod infinitum in quantitate, vel in qualitatibus naturalibus, Philosophi est disputare; sicut et de infinito in genere substantiae: cum tam hoc quam illud infinitum esse creabile, iisdem fere argumentis probari soleat aut oppugnari. An autem possibile sit infinitum in qualitatibus supernaturalibus, a Theologo disseratur, sed in 2. 2. q. 24, art. 7 tantummodo. *art. 2, 3 et 4.*

De ubiquitate humanitatis Christi non agatur hic, sed in 3. par. q. 2. *quaest. 8.*

An Angeli et coeli sint entia necessaria et immutabilia, non est quaestio Theologi, sed Metaphysici. *quaest. 9.*

De uno, ut est passio entis, nihil dicat Theologus, cum sit metaphysica res. *quaest. 11.*

An repugnet in subiecto quanto inhaerere accidens spirituale, vel in subiecto immateriali accidens corporale, differatur im materiam de Eucharistia. *quaest. 12, art. 3.*

Tractare de inaequalitate praemiorum, sicut et meritorum, pertinet ad 1. 2. q. 4. *art. 6.*

De cognitione beatifica animae Christi non disputetur hic, sed in 3. parte. *art. 8.*

An puro viatori possit communicari evidens notitia abstractiva articulorum fidei, non hic disputandum est, sed supra q. 1, art. 1. *art. 12.*

De distinctione attributorum et essentiae nihil hic repetatur, si de ea supra disputatum est, q. 3. *quaest. 13, art. 3 et 4.*

art. 5. Non disputetur de analogia entis, cum spectet ad Metaphysicum.

art. 7. Nihil hic dicatur de relationibus in genere, cum id metaphysicae speculationis sit.

art. 8, 9, 10, 11 et 12. Modi, quibus sumitur nomen Dei, et ea, quae dici solent de nomine tetragrammato, relinquantur interpreti Scripturae.

quaest. 16 et 17. Disputatio de vero et falso, Metaphysici negotii est.

quaest. 19, art. 9 et 12. An Deus sit causa peccati, et an teneamur voluntatem nostram divinae conformare, pertinent ad primam secundae.

quaest. 22. Non moretur Theologus in explicanda peripateticorum aliorumque Philosophorum sententia de providentia Dei.

quaest. 23, art. 1. Ad quem finem ordinaretur homo, si non esset finis supernaturalis, non disputetur hic, sed in prima secundae, q. 2.

art. 3. Quid agendum sit ei, cui sua damnatio revelaretur, non tractetur hic, sed in materia de spe.

art. 5. De praedestinatione Christi, et quomodo Christus sit causa nostrae praedestinationis, relinquatur tertiae parti.

quaest. 24. Disputatio de libro vitae, qua parte scholastica est, explicetur: caetera pertinent ad interpretem Scripturae.

quaest. 25, art. 1. An actio sit in agente, ut in subiecto, quaestio Physicorum est, non Theologorum.

art. 3. An Deus per se solum possit efficere rem, quae est peccatum, pertinet ad primam secundae; sicut ad secundam secundae, an possit per se vel per alium dicere falsum.

quaest. 26. Nihil hic de beatitudine in genere, vel de nostra.

quaest. 27, art. 1. De verbo mentis nihil aliud tractetur, quam, an producatur ab intellectu nostro, ut terminus actionis, et quomodo ab ea distinguatur.

An notitia concurrat active ad actum voluntatis, ad primam secundae pertinet. *art. 3.*

Quid suppositum addat supra naturam singularem, pertinet ad tertiam partem. *quaest. 29.*

An evidenter dilui possint argumenta contra mysterium Trinitatis, pertinet ad credibilitatem articulorum fidei, de qua agitur in 2. 2. q. 1, art. 4. *quaest. 32, art. 1.*

De varia censura et qualitate propositionum non disputetur hic, sed in materia de fide. *art. 4.*

Non disputetur hic, quomodo persona divina distinguatur ab essentia, si q. 28 actum fuit de distinctione relationum et essentiae. *quaest. 39.*

De visibilibus signis, in quibus apparuit Spiritus Sanctus, commodius disputare potest interpres Scripturae. *quaest. 43.*

Idem de apparitionibus visibilibus, quae in Veteri, seu Novo Testamento tribuuntur Deo, an fuerint factae immediate per Deum, an per Angelos.

An motus Angelorum possit fieri in instanti, supponit multa philosophica, quae hic non tractentur. Id quod etiam servetur in iis, quae disputantur q. 54, art. 1 et 3. *quaest. 53.*

EX PRIMA SECUNDAE.

Hic nihil, aut brevissime disserendum est de deliberata voluntate, de consensu perfecto et imperfecto, et quid sit hominem esse dominum suarum actionum; haec enim locum suum habent inferius. Item nihil hic dicatur de causalitate finis, est enim quaestio physica. *quaest. 1, art. 1.*

art. 2. An Deus agat propter finem, pertinet ad primam partem in materia de voluntate Dei.

Item utrum natura agat propter finem, quaestio philosophica est.

art. 3. Cavendum est, ne hic et inferius eadem quaestio disputetur, nempe, utrum actus hominis recipiant speciem a fine. Leviter igitur hic attingatur, et plene disseratur inferius.

art. 4. Quomodo bonum sit sui diffusivum, non disputetur hoc loco.

quaest. 2. Vel omittatur, vel compendio exponatur, cum tota in ethicis Aristotelis contineatur.

quaest. 3, art. 1. An Deus videatur a beatis visione Dei increata, hic explicetur, non in 1. parte.

art. 2. An habitus sit melior suo actu, non videtur hic explicandum, cum sit quaestio philosophica, et inferius habeat suum locum.

art. 3. De perfectione sensuum in corpore glorioso eiusque dotibus, hic et q. 4, art. 6 aliquid dicatur, si vacat, cum ad materiam de novissimis non perveniatur. Item, an Deus videri possit per aliquem sensum, seu sensitivam notitiam, non hic, sed in 1. parte disputetur.

art. 4. In quo consistat summa miseria damnatorum, non explicetur hoc loco, sed inferius, ubi de poena peccati agitur.

art. 5. Nihil dicatur de intellectu practico et speculativo, nec de praxi et speculatione.

art. 7. De obiecto intellectus, et utrum anima naturaliter possit cognoscere substantias separatas, relinquatur Philosophis.

quaest. 4, art. 1. Quidquid hic disseri solet de differentia delectationis et amoris fruitionis differatur in quaestionem de frui et uti. Item, an cum visione Dei possit aliquo modo stare tristitia, reiiciatur in 3. partem, ubi quaeritur, an Christus secundum rationem superiorem passus sit.

An delectatio quaeratur propter operationem, an contra, tractetur in ethicis; hic vero nihil, vel brevissime. *art. 2.*

An animae Sanctorum a corporibus separatae statim Deum videant, hic tractetur, non in 1. parte. *art. 5.*

Relinquatur fere primae parti totus. *quaest. 5, art. 3.*

Nihil dicatur de merito, aut de necessitate luminis gloriae. *art. 5.*

An vero appetitu ordinato magis appetat damnatus non esse, quam sic esse, pertinet ad quaestionem de poena peccati. *art. 8.*

Non disseratur hoc loco de libero arbitrio contra haereticos, sed in materia de gratia. *quaest. 6, art. 1.*

Unde proveniat, quod homo sui compos sit proprie liber, et dominus suorum actuum, tractetur infra, in quaestione de electione. *art. 2.*

Nihil dicatur de pura omissione. *art. 3.*

Disputetur hic, an voluntas possit cogi, non autem, an possit necessitari, quia de hoc inferius tractandum est. *art. 4.*

Quomodo metus irritet matrimonium, votum, iuramentum et contractus, reservetur secundae secundae, vel tertiae parti. *art. 6.*

Difficultates de ignorantia reserventur in q. 76. *art. 8.*

Plenior consideratio circumstantiarum non est huius loci, cum de illis saepe inferius disserendum sit. *quaest. 7.*

Nihil hic disseratur de praescientia seu praedefinitione actuum liberorum, neque de gratuita motione, qua Deus movet voluntatem humanam. *quaest. 10, art. 4.*

Non videtur hic quidquam disserendum de obiecto spei, neque an *quaest. 11.*

possit beatus frui divina essentia, non fruendo personis, vel una persona et non aliis; hoc enim pertinet ad 1. partem.

quaest. 12, art. 8. Non tractetur, utrum intellectus possit simul multa intelligere.

quaest. 15. De consensu formali vel interpretativo, et an pertineat ad rationem superiorem, inferius tractandum est.

quaest. 17. Quomodo ratio imperet membris externis, nempe despotice an politice, disputare Philosophi moralis est; breviter igitur hoc loco expediatur.

quaest. 18, art. 9. Utrum in homine exsistente in gratia detur aliquis actus indifferens ad meritum et demeritum, disputetur in materia de merito.

art. 11. Praetereantur ea, quae pertinent ad confessionem circumstantiarum.

quaest. 20, art. 5. Haec difficultas repetitur in materia de peccatis; quare in eum locum reservetur.

quaest. 21, art. 4. Difficultates huius articuli differantur in materiam de merito.

Quaestiones, quae sunt inter 21 et 71, omitti possunt; explicentur tamen pauca de habitibus et de virtutibus in genere.

quaest. 71, art. 4. Quomodo peccatum virtutes, praesertim infusas, expellat, non hic explicetur, sed in 2. 2., in materia de charitate.

quaest. 72, art. 5. Nihil hic de distinctione mortalis et venialis.

art. 8. Haec difficultas satis explicata manet ex q. 18, art. 5.

quaest. 73, art. 8. Non descendatur ad casus particulares, de scandalo vel restitutione; neque hic tractetur, utrum is, qui alium ad peccatum inducit, gravius peccet, quam qui occidit, pertinet enim ad materiam de scandalo.

quaest. 79. Nihil dicatur de immediato Dei concursu cum secundis causis.

Immaculata Conceptio B. Mariae non est huius loci, sed tertiae partis; ubi etiam, dum de eiusdem sanctificatione agitur, tractetur quoque de fomite, et quomodo ligetur aut tollatur. *quaest. 81, art. 3.*

Quomodo natura lapsa differat a puris naturalibus, tractetur in materia de gratia. *quaest. 85.*

Quomodo Deus peccata patrum puniat in filiis, relinquatur interpreti Scripturae. *quaest. 87, art. 8.*

Expositio S. Pauli relinquatur Lectori Scripturae. *quaest. 89, art. 2.*

De primis motibus sensualitatis in infidelibus satis esse videntur, quae superius de primis motibus dicta sunt. Utrum autem omnia opera infidelium sint peccata mortalia, differatur in 2. 2. q. 10, art. 4. *art. 5.*

Non disputetur hic, utrum peccent, qui poenae metu legem servant; nec utrum Deus peccata permittat, an velit. *quaest. 92.*

Quaestiones 101, 102, 104, 105, et expositio S. Pauli in q. 89, art. 2 praetereantur, cum Scripturarum sint.

Materia huius articuli differatur in quaestionem 114, art. 7. *quaest. 109, art. 5.*

Non disputetur hic de macula peccati, nec de reatu poenae, nec de corruptione boni naturalis, nec de aliis huiusmodi, quae in materia de peccatis explicata sunt. *art. 7.*

An gratia ponat aliquid in anima, vel hic tractetur, vel in q. 113, de iustificatione, art. 2. *quaest. 110.*

Nihil hic dicatur de causalitate sacramentorum circa gratiam. *quaest. 112, art. 1.*

Utrum gratia primi hominis et Angelorum in eorum creatione data fuerit, supposita ipsorum dispositione, non hic tractetur, sed in 1. p. *art. 2.*

Non videtur hic agendum de contritione continuata Caietani, vel de *art. 3.*

intentione Scoti; pertinent enim ad materiam de poenitentia.

quaest. 113, art. 4. De necessitate fidei in Christum ante vel post Evangelium promulgatum, non disputetur, nisi in 2. 2.

art. 7. Utrum augmentum gratiae detur in principio, an in fine actionis meritoriae; et utrum, si operatio meritoria successiva sit, ipsa etiam gratia successive augeatur, melius reservantur in quaestionem de augmento charitatis in 2. 2.

art. 8. De numero et ordine et necessitate omnium actuum, qui concurrunt ad iustificationem, hic disputetur, non in materia de poenitentia.

quaest. 114, art. 6. Nihil hic de merito Christi dicatur, cum pertineat ad tertiam partem.

art. 8. Utrum per quaelibet opera augeatur gratia et charitas, reservetur in materiam de charitate in 2. 2.

EX SECUNDA SECUNDAE.

quaest. 4, art. 3. Non tractetur hic, sed infra in materia de charitate, an charitas sit forma omnium virtutum in genere.

art. 6. Disputetur hic, an fides sit unus habitus; non tamen, an sit simplex qualitas.

quaest. 5, art. 1. Nihil de fide Angelorum in genere, de hac enim in materia de Angelis; sed hic tantum, an fuerit fides in primo Angelo, si erat ei evidens Deum esse, qui loquebatur et revelabat ei mysteria.

quaest. 6. Non nisi brevissime, quia difficultas in materia de gratia tractatur.

quaest. 10, art. 12. Quaestio de baptizandis pueris infidelium reservetur in materiam de baptismo.

quaest. 12. Hic non fiant longi tractatus de potestate ecclesiastica et civili.

quaest. 23, art. 2. Materia huius articuli non hic discutienda, sed in quaestionibus de gratia; ubi etiam de distinctione charitatis et gratiae, sed an charitas sit virtus specialis, hic, in art. 4.

Nihil hic de contritione, sed tantum, an Deus sit summe diligendus *quaest. 26.* intensive, seu solum aestimative; quod in materia de poenitentia non repetatur.

In materia de merito, non hic, *quaest. 61.* disputetur, utrum retributio meritorum apud Deum sit secundum iustitiam commutativam, an distributivam.

EX TERTIA PARTE.

Nec de potentia obedientiali videtur hic agendum, nisi obiter, cum *quaest. 1, art. 1.* pertineat ad primam partem in quaest. de omnipotentia Dei; nec de Incarnationis possibilitate; de qua tamen, si quid hic agendum videretur, non repetatur in q. 2. Nec de distinctione suppositi et naturae, sed remittatur ad q. 3, art. 3. Tandem, an sit de ratione boni se actu communicare, pertinet potius ad primam partem in quaestione de bonitate Dei, vel in quaestione de libero arbitrio Dei.

Quo modo nos satisfaciamus pro *art. 2.* peccatis, et quomodo satisfactio nostra nitatur satisfactioni Christi, differatur in materiam de poenitentia.

An in Deo sint tres subsistentiae, *quaest. 2.* et an essentia secundum se subsistat, an per relationes, non hic disputetur, sed supponatur ex prima parte in materia de Trinitate. Utrum autem possit unum essentialiter dependere a multis dependentia causali, supponatur ex Philosophia.

Non disputetur de esse obiectivo *quaest. 4, art. 4.* contra Scotum, sed supponatur ex prima parte in q. de scientia Dei.

An virtus heroica differat specie *quaest. 7.* a virtute communiter dicta, suppo-

natur ex Philosophia morali, vel ex 1. 2.

quaest. 8, art. 1. An humanitas Christi active concurrat ad infusionem gratiae, et ad opera miraculorum, cum habeat eamdem difficultatem cum sacramentorum causalitate, ideo, ne saepe repetatur idem, possunt ista coniungi, et simul tractari in materia de sacramentis in genere. Ex iis tamen, si quis voluerit nonnihil in hac 8. q. attingere ad explicandum instrumentarium humanitatis concursum, hoc quidquid attigerit, nullo modo repetat in materia de sacramentis.

art. 2 et 3. Non videtur disputandum, qui sint aut non sint membra Ecclesiae, cum id pertineat ad materiam de Ecclesia.

quaest. 9, art. 1. An intelligere divinum possit communicari animae Christi, pertinet ad 1. 2. q. 3, art. 1.

quaest. 10, art. 2. Ea, quae ad cuiusque beati statum pertinent, quando et quomodo videantur, non tractentur hic, sed in prima parte, sicut et reliqua, quae pertinent ad visionem Dei in communi.

quaest. 11, art. 1. An viator possit habere notitiam evidentem abstractivam Trinitatis, non huc pertinet, sed ad primam partem.

art. 5. Quidquid de habitu hic disputari solet in communi, supponatur ex Philosophia, vel ex 1. 2.

quaest. 18, art. 4. Quae actiones dicantur humanae, quae non humanae, quaestio est primae secundae.

quaest. 22. De Christi Sacrificio incruento in coena, et de ratione Sacrificii et hostiae in communi, commodius disputatur in materia de Eucharistia et Missa: item de sacerdotio Melchisedech, et ut fuit figura Christi, melius est ut disputet interpres Scripturae.

Non repetantur hic, quae pertinent ad praedestinationem hominum et Angelorum. *quaest. 24.*

Omittenda videntur, quae hic nonnulli disserunt de phantasticis imaginibus, et variis Daemonum illusionibus. *quaest. 25.*

Caeterae quaestiones de Incarnatione possunt omitti, praeter sex fere, quarum prima sit de officio mediatoris; ubi etiam aliquid de invocatione Sanctorum dicendum est. Secunda de Conceptione B. Mariae. Tertia de miraculis Christi, propter quosdam haereticos nostri temporis, qui vim miraculorum Christi, quantum possunt, elevare conantur. Disputare autem de miraculis in genere, et quae possibilia sint Deo, pertinet ad quaestionem de omnipotentia Dei in 1. parte; nulli vero creaturae esse possibilia, fere disputatur in materia de Angelis. Quarta, an sint in Christo duae filiationes; sed non disputetur in genere, num una numero relatione possit quippiam referri ad diversos terminos. Quinta, an ratio superior sit passa in Christo. Sexta, de descensu Christi ad inferos, contra Calvinum.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quaestio, an sacramentum sit in aliquo praedicamento, non videtur admodum digna Theologo. *quaest. 60.*

Utrum semper, etiam in lege naturae, fuerit necessaria fides, non huc pertinet, sed ad secundam secundae. *quaest. 61.*

Utrum Deus possit uti creatura tamquam instrumento ad creandum, potius est primae partis, in materia de creatione. *quaest. 62.*

DE BAPTISMO.

De solemnitatibus et caeremoniis baptismi breviter.

Nihil dicatur de cognatione spirituali in baptismo contrahi solita, sed ad matrimonium transmittatur.

De poena parvulorum sine baptismo decedentium non agatur hic, sed in materia de peccato originali in 1. 2.

Sacramenta confirmationis, ordinis, extremae unctionis tractentur, prout vacaverit, plene vel breviter, aut etiam praetereantur, cum et faciliora sint, et habeatur in promptu unde peti possint. Ubicumque tamen propter haereticos ea tractatio videbitur necessaria, nequaquam omittatur.

DE EUCHARISTIA.

An quantitas distinguatur a substantia, Philosophis relinquatur; sicut et illud, de quo Scotus hic disputat, an accidens possit producere substantiam.

De figuris Eucharistiae multiplicibus earumque comparationibus, vel nihil vel breviter.

DE POENITENTIA.

An repugnet sine ulla infusione qualitatum supernaturalium, vel sine ullo poenitentis actu iustificari peccatorem; et an poenitere, sicut oportet, indigeat DEI auxilio gratuito, pertinent ad 1. 2. de iustificatione. Illic etiam agendum est, non hic, de ordine inter dispositionem et infusionem gratiae.

An in peccatore post peccatum transactum aliquid aliud remaneat praeter obligationem ad poenam, supponatur ex 1. 2. in materia de peccato.

Utrum poena damni sit eadem in omnibus damnatis, pertinet potius ad materiam de peccatis et eorum effectibus.

Quaestiones de restitutione, de eleemosyna, de ieiunio, de oratione, de correptione fraterna, remittantur ad 2. 2.

Multa etiam, quae ad casus conscientiae spectant, relinqui possunt, ut superius annotatum est.

DE MATRIMONIO.

Omittendum videtur, quod a quibusdam hic tractatur, an virginitas sit virtus, et qualis virtus.

An maleficium maleficio possit dissolvi, pertineret sane ad secundam secundae; sed quoniam ad eum locum raro pervenitur, et maleficium inter matrimonii impedimenta numeratur, commodius hic videtur collocandum.

De substantia voti, tam simplicis quam solemnis, tractandum potius videtur in 2. 2. quam hic.

REGULAE

PROFESSORIS CASUUM CONSCIENTIAE.

Finis.

1. Eo suam omnem operam atque industriam conferre studeat, ut peritos Parochos seu sacramentorum administratores instituat.

Quaestionum distributio.

2. Unus Professorum biennio explicet sacramenta omnia et censuras, et praeterea omnium status atque officia; alter, biennio item decalogum, in cuius septimo praecepto aget de contractibus, semper leviter attingendo, quae minoris momenti aut non ita propria esse videantur, v. g. de depositione, degradatione, magia, et alia huiusmodi.

A theologicis quatenus abstinendum.

3. Etiamsi a theologicis rebus, quae vix ullam habent cum casibus necessariam connexionem, penitus abstinere necesse sit; aequum tamen est, interdum theologica quaedam, a quibus casuum doctrina pendet, brevissima definitione perstringere, ut quid character, et quotuplex sit, quid peccatum mortale aut veniale, quid consensus, et horum similia.

Quaestionum ratio et modus.

4. Citra scholasticum apparatum unaquaeque difficultas evolvatur per dubitationes et conclusiones; in quibus confirmandis seligantur ad summum duae tresve rationes, nec plus aequo auctoritates coacerventur; unicuique autem generali praecepto seu regulae subiiciantur exempli gratia tres circiter peculiares casus.

Probabilis opinio opposita significanda.

5. Ita suas confirmet opiniones, ut, si qua alia fuerit probabilis, et bonis auctoribus munita, eam etiam probabilem esse significet.

Hebdomadaria disputatio.

6. Quolibet sabbato, praetermissa lectione, per duas horas, vel aliquanto minus pro arbitrio Provincialis et discipulorum numero, de propositis conclusionibus disputetur in schola coram Magistro; in ea vero disputatione interrogationibus potissimum agatur: ut, vel exigatur explanatio alicuius difficultatis; vel novus casus, mutata circumstantia aliqua, proponatur; vel alicui conclusioni opponatur canon, seu Doctor ex primariis; seu nonnulla brevis argumentatio, quo res plus habeat dignitatis, temperate tamen, et longe infra philosophicam consuetudinem.

Domesticae collationis forma. *C. 18 d. 17.*

7. Si ipse domesticae casuum collationi a Rectore ex Provincialis praescripto praeficiatur, hunc ordinem teneat: primum, materiam aliquam, de qua disserendum sit, proponat; et interdum etiam aliquid pertinens ad usum; ut de modo interrogandi poenitentem, remedia ac poenitentias imponendi, et horum

similibus. Deinde, eius materiae praecipua capita ac fundamenta ipsemet aperiat breviter, ut generalem quamdam notitiam, ac tamquam lucem in omnes illius tractationis partes praebeat. Tum, de proposita materia tres quatuorve casus seligat, quos in collationum loco iubeat affigi, notato die, quo excutiendi sint.

Privatum studium.

8. De his casibus propositis consulant aliqui privato studio, singuli singulos auctores a Praeside distributos.

Exponendae et disputandae sententiae.

9. Postquam convenerint, primum utile esset a singulis, quid suus Doctor habeat, quam brevissime referri; tum, qui praeest, interroget fere tres (quos satius est tempestive praemoneri, et vicissim variari) quid sentiant de primo casu: postea ex his, quae dicta sunt ab illis, colligat ipse doctrinam tutiorem et probabiliorem: eodem deinde ordine casum secundum, et reliquos deinceps eadem ratione excutiat. Illis casibus sic explicatis a Praeside quam brevissime, et eo modo, qui servandus est in disputationibus casuum, proponantur iisdem de rebus dubitationes, respondente uno ex praemonitis, et ipso tandem, quid sentiendum sit, ad extremum edocente.

Extraordinaria collationum materia.

10. Si quid vero alicui occurrat extra ordinariam harum collationum materiam, deferatur, si nihil obstat, ad Praesidem, ut in proxime futura collatione agitetur.

REGULAE PROFESSORIS PHILOSOPHIAE.

Finis. *P. 4 c. 12 n. 8. C. 3 can. 8 d. 47.*

1. QUONIAM artes vel scientiae naturales ingenia disponunt ad Theologiam, et ad perfectam cognitionem et usum illius inserviunt, et per se ipsas ad eumdem finem iuvant; eas, qua diligentia par est, Praeceptor, in omnibus sincere honorem et gloriam DEI quaerendo, ita tractet, ut auditores suos ac potissimum Nostros ad Theologiam praeparet, maximeque ad cognitionem excitet sui Creatoris.

Sequendus Aristoteles,

2. In rebus alicuius momenti ab Aristotele non recedat, nisi quid incidat a doctrina, quam Academiae ubique probant, alienum; multo magis, si orthodoxae fidei repugnet: adversus quam, si quae sunt illius aliusve Philosophi argumenta, strenue refellere studeat, iuxta lateranense Concilium.

sed quatenus. *P. 4 c. 14 n. 8. C. 5 d. 41 n. 1.*

Auctores male de christiana fide meriti. *C. 3 can. 8 d. 47. C. 5 d. 41 n. 2.*

3. Aristotelis interpretes, male de christiana religione meritos, non sine magno delectu aut legat, aut in scholam proferat; caveatque, ne erga illos afficiantur discipuli.

Averroes. *C. 5 d. 41 n. 2.*

4. Eam ob rem nec Averrois (idem de eiusmodi aliis iudicium) digres-

siones in separatum aliquem tractatum conferat: et, si quid boni ex ipso proferendum sit, sine laude proferat; et, si fieri potest, id eum aliunde sumpsisse demonstret.

Nulli sectae adhaerendum. *C. 5 d. 41 n. 8.*

5. Nulli sectae, ut Averroistarum, Alexandrinorum et similium, vel se vel suos addicat: nec Averrois, aut Alexandri, aut caeterorum errata dissimulet; sed inde acrius deprimat eorum auctoritatem.

S. Thomas sequendus. *C. 5 d. 41 n. 8.*

6. Contra vero de S. Thoma numquam non loquatur honorifice; libentibus illum animis, quoties oporteat, sequendo; aut reverenter et gravate, si quando minus placeat, deserendo.

Philosophiae cursus non minor triennio. *P. 4 c. 15 n. 2.*

7. Universam Philosophiam non minus quam triennio praelegat, idque binis quotidie horis, antemeridiana una, altera pomeridiana, nisi aliter in aliqua Universitate constitutum sit.

Quando absolvendus.

8. Ac proinde nusquam cursus absolvatur, antequam venerint aut valde proximae sint vacationes, quae sub anni finem dari solent.

Quae primo anno tradenda, vel omittenda.

9. § 1. Explicet primo anno Logicam, eius summa primo circiter bimestri tradita, non tam dictando, quam ex Toleto seu Fonseca, quae magis necessaria videbuntur, explicando.

§ 2. In prolegomenis Logicae disputet tantum, an sit scientia, et de quo subiecto, et pauca quaedam de secundis intentionibus: plenam de universalibus disputationem differat in Metaphysicam, contentus hic mediocrem quamdam eorum notitiam tradere.

§ 3. De praedicamentis etiam faciliora quaedam proponat, quae fere attinguntur ab Aristotele: caetera in postremum reiiciat annum. De analogia tamen et relatione, quoniam frequentissime in disputationes cadunt, quantum satis est agat in Logica.

§ 4. Librum secundum Perihermenias, et ambos Priorum libros, praeter octo vel novem prima capita primi, compendio percurrat: exponat tamen proprias illorum quaestiones; brevissime vero eam, quae est de contingentibus, in qua nihil de libero arbitrio.

§ 5. Atque, ut secundus annus integer rebus physicis tribuatur, in fine primi anni plenior instituatur disputatio de scientia, in eamque coniiciantur prolegomena Physicae maxima ex parte, ut scientiarum divisiones, abstractiones, speculativum, practicum, subalternatio, diversus quoque procedendi modus in Physicis et Mathematicis, de quo Aristoteles lib. 2 Physicorum, demum quidquid de definitione dicitur lib. 2 de anima.

§ 6. Ex Topicis vero et Elenchis, loci et fallaciae, commodiorem in ordinem redactae, melius explicantur initio Logicae, in summa.

Quae secundo.

10. § 1. Secundo anno explicet libros octo Physicorum, libros de coelo, et primum de generatione. In octo libris Physicorum compendio tradatur textus libri sexti et septimi, etiam primi ex ea parte, quae est de antiquorum opinionibus. In octavo libro nihil disseratur de numero intelligentiarum, nec de libertate, nec de infinitate primi motoris; sed haec in Metaphysicis disputentur; et quidem solum ex sententia Aristotelis.

§ 2. Textus secundi, tertii, quarti de coelo breviter perstringantur, magna etiam ex parte praetereantur. In his libris non tractentur, nisi paucae de elementis quaestiones; de coelo autem, dumtaxat de eius substan-

tia, et de influentiis: caeterae Mathematicae Professori relinquantur, vel conferantur in compendium.

§ 3. Meteorologica vero percurrantur aestivis mensibus ultima pomeridiana scholae hora, idque sive ab ordinario, si possit, Philosophiae Professore, sive ab extraordinario; nisi aliter fieri commodius videretur.

Quae tertio.

11. § 1. Tertio anno explanabit librum secundum de generatione, libros de anima, et Metaphysicorum. In primo libro de anima veterum placita Philosophorum summatim percurrat. In secundo, expositis sensoriis, non digrediatur in anatomiam, et caetera, quae Medicorum sunt.

§ 2. In Metaphysica quaestiones de Deo et intelligentiis, quae omnino, aut magnopere pendent ex veritatibus divina fide traditis, praetereantur. Prooemium, ac septimi et duodecimi libri textus magna ex parte diligenter explicetur: in caeteris libris seligantur ex unoquoque quidam praecipui textus, tamquam fundamenta quaestionum, quae ad Metaphysicum pertinent.

Textus Aristotelis maximi faciendus.

12. Summopere conetur aristotelicum textum bene interpretari, in eoque nihil minus operae, quam in quaestionibus collocet. Auditoribus etiam persuadeat, mutilam valde ac mancam futuram Philosophiam eorum, quibus id studii in pretio non sit.

Qui maxime textus, et quomodo interpretandi.

13. Quoties incidit in textus aliquos admodum celebres, et iactari saepe solitos in disputationibus, eos accurate perpendat, illustrioribus aliquot interpretationibus inter se collatis, ut quae quibus anteferenda sit, ex antecedentibus et consequentibus possit intelligi, vel ex vi graeci sermonis, vel ex aliorum locorum observatione, vel ex insigniorum interpretum auctoritate, vel denique ex momentis rationum. Tum demum veniatur ad dubitatiunculas quasdam, non nimium exquirendas quidem, sed, si cuius momenti sint, non omittendas.

Quaestionum delectus et ordo.

14. Magnum etiam quaestionum delectum habeat: et eae quidem, quae non ex ipsa Aristotelis disputatione nascuntur, sed ex occasione cuiuspiam axiomatis, quod is obiter inter disputandum usurpat, si aliis in libris proprium locum habent, eo reiiciantur; sin minus, continuo post textum ipsum, in quo se obtulerint, explicentur.

Quaestiones textui interserendae.

15. Quaestiones vero, quae per se ad materiam, de qua disputat Aristoteles, pertinent, ne tractentur ante explicatos textus omnes ad propositam rei summam pertinentes; si quidem plures textus hi non sint, quam ut una aut altera lectione possint exponi. Sin autem excurrant longius, ut qui sunt de principiis, de causis, de motu, in his nec fusiores tractatus habeantur, nec totus Aristotelis contextus quaestionibus anteponatur; sed cum illis ita coniungatur, ut post aliquam textuum seriem quaestiones aliquae, quae ex illis exsistant, interserantur.

Repetitio in scholis. *P. 4 c. 13 n. 2.*

16. Absolutis lectionibus, aliqui inter se audita recolant per semihoram, circiter deni, uno aliquo ex condiscipulis e Societate, si fieri potest, singulis decuriis praeposito.

Disputationes menstruae. *P. 4 c. 6 n. 10. P. 4 c. 18 n. 3.*

17. Disputationes menstruae fiant, in quibus argumententur non pauciores quam tres mane, totidem a prandio; primus quidem per horam, caeteri vero per ternos circiter quadrantes. Et mane quidem primo loco disputet Theologus aliquis (si Theologorum suppetit copia) contra Metaphysicum,

contra Physicum Metaphysicus, Physicus contra Logicum; sed a prandio Metaphysicus cum Metaphysico, Physicus cum Physico, Logicus cum Logico. Mane item Metaphysicus, a prandio Physicus unam aut alteram conclusionem confirmabit breviter et philosophice.

Summae tempore quatenus disputandum.

18. Quo tempore summam Logicae Praeceptor tradit, nec ipse nec eius auditores ad has disputationes conveniant. Immo prima aut altera circiter hebdomada Logici nihil disputent, una fere rerum explanatione contenti: ex quo tempore poterunt in sua classe defendere theses aliquas die sabbati.

Disputationes solemnes.

19. Ubi non est nisi unus Philosophiae Magister, ter aut quater in anno instituat solemniores aliquas disputationes festo aliove feriato die; idque eo splendore atque apparatu, invitatis etiam Religiosis aliisque Doctoribus ad argumentandum, ut ex ea re studiis nostris non infructuosus aliquis fervor accedat.

Formae ratio in disputando.

20. Sic ab ipso Logicae initio iuvenes instituantur, nihil ut eos magis pudeat in disputando, quam a formae ratione deflexisse; nihil ab illis severius exigat Praeceptor, quam disputandi leges ac statas vices. Itaque, qui respondet, repetat primum totam argumentationem, nihil ad singulas propositiones respondendo; tum iterum propositiones, addatque *Nego*, vel *Concedo maiorem, minorem, consequentiam;* interdum etiam distinguat; raro autem vel declarationes, vel rationes, praesertim invitis, obtrudat.

REGULAE

PROFESSORIS PHILOSOPHIAE MORALIS.

Officium.

1. INTELLIGAT sui instituti nequaquam esse, ad theologicas quaestiones digredi, sed, progrediendo in textu breviter, docte et graviter praecipua capita scientiae moralis, quae in decem libris Ethicorum Aristotelis habentur, explicare.

P. 4 c. 14 n. 8.

Tempus huius lectionis.

2. Ubi ab ipsomet philosophici cursus Professore Ethica praelegi non solent, exponat, qui Ethica tradit, Metaphysicis graviores huius scientiae quaestiones; idque per tres quadrantes quotidie, aut semihoram.

Repetitio.

3. Ethicae repetitiones saltem decimo quinto quoque die habeantur, quo tempore Rector statuerit, etiam si ob eam causam una esset metaphysica repetitio praetermittenda.

Conclusiones.

4. Cum Metaphysicae auditores vel domi privatas, vel in schola menstruas habent disputationes; propositionem aliquam ethicam conclusionibus semper adiungant, adversus quam per quadrantem Metaphysicus disputet, qui argumentatur.

REGULAE PROFESSORIS MATHEMATICAE.

Qui auctores, quo tempore, quibus explicandi. P. 4 c. 12, C.

1. PHYSICAE auditoribus explicet in schola tribus circiter horae quadrantibus Euclidis elementa: in quibus, postquam per duos menses aliquantisper versati fuerint, aliquid Geographiae, vel Sphaerae, vel eorum, quae libenter audiri solent, adiungat: idque cum Euclide, vel eodem die vel alternis diebus.

Problema.

2. Singulis, aut alternis saltem mensibus, ab aliquo auditorum, magno Philosophorum Theologorumque conventu, illustre problema mathematicum enodandum curet; posteaque, si videbitur, argumentandum.

Repetitio.

3. Semel in mense, idque fere die sabbati, praelectionis loco praecipua quaeque per eum mensem explicata publice repetantur.

REGULAE

PRAEFECTI STUDIORUM INFERIORUM.

Finis. P. 4 c. 7 n. 1. P. 4 c. 16 n. 4.

1. INTELLIGAT se ad id esse delectum, ut omni ope atque opera Rectorem adiuvet in scholis nostris ita regendis ac moderandis, ut, qui eas frequentant, non minus, quam in bonis artibus, in vitae probitate proficiant.

Subordinatio generali Praefecto.

2. In rebus, quae ad morum disciplinam in scholis nostris pertinent, Rectorem tantum; in iis vero, quae ad studia, generalem studiorum Praefectum consulat: ab eorum praescripto non recedat; nullam consuetudinem aut receptam tollat, aut novam introducat.

Declamationes a quo probandae.

3. Eidem Praefecto, quidquid ab auditoribus Rhetoricae et inferiorum Facultatum publice domi forisque declamabitur, tradi curet recognoscendum. Emblemata vero et carmina,

quae celeberrimis aliquot diebus propalam collocantur, a duobus per Rectorem designandis legantur omnia, atque optima seligantur.

Magistri observandi et iuvandi.

4. Regulas Magistrorum inferiorum et auditorum habeat, et perinde ac suas sedulo curet observandas. Magistros ipsos iuvet ac dirigat, maximeque caveat, ne quid apud alios, praesertim vero discipulos, de eorum existimatione atque auctoritate detrahatur.

Una docendi ratio.

5. Magnopere caveat, ut novi Praeceptores decessorum suorum docendi morem, et alias consuetudines, a nostra tamen ratione non alienas, sedulo retineant; quo minus externi frequentem Magistrorum mutationem incusent.

Scholae visendae.

6. Quinto decimo quoque die minimum singulos docentes audiat; observet, an doctrinae christianae debitum tempus atque operam tribuant, an quantum satis est in suo penso, tum persolvendo tum recolendo, progrediantur; an denique cum discipulis decore ac laudabiliter se in rebus omnibus gerant.

Feriati dies et horarum mutatio.

7. Tum festos dies et vacationes, sive Provinciis omnibus communes, sive suae proprias, praesertim hebdomadarias; tum horas, quibus quoque anni tempore inchoandae scholae sint ac finiendae, mature cognoscat, Magistrisque significet: quando item discipuli, ad publicas supplicationes, aliaque id genus dimittendi, aut aliquid extra ordinem agere iubendi, seu vetandi.

Quinque scholarum gradus.

8. § 1. Caveat ne gradus, quibus quinque scholae inferiores, videlicet Rhetorica, Humanitas et tres Grammaticae constant, ulla ratione permisceantur, ut, si quando classis aliqua ob multitudinem discipulorum ex Provincialis praescripto geminetur, eumdem utraque gradum retineat; et, si quando plures in una classe ordines statuantur, iis gradibus respondeant, qui in Regulis Professorum describuntur.

Divisio Grammatices in tres libros.

§ 2. Quae distinctio quo melius faciliusque servetur, omnia Emmanuelis praecepta tres in libros dividenda sunt, quorum singuli singularum scholarum sunt proprii.

Primus liber pro infima classe continebit primum Emmanuelis librum, et brevem introductionem syntaxeos e secundo depromptam.

Secundus liber pro media classe continebit secundum librum Emmanuelis de octo partium constructione usque ad figuratam, additis facilioribus appendicibus.

Tertius liber pro suprema classe continebit e secundo libro appendices secundi generis, et a figurata constructione usque ad extremum, ac librum tertium, qui est de syllabarum dimensione.

Similis autem huic in tres partes, quae tribus classibus respondeant, divisio ab iis etiam Provinciis facienda esset, quae aliam methodum quam romanam sequuntur.

§ 3. Cuiusque classis librum Magister primo fere semestri absolvet, altero a capite repetet. Quoniam vero infimae classis liber maior est, quam explanari uno anno ac recoli totus possit, ideo bifariam dividitur. Et expediret quidem pueros non admittere, nisi in prima parte bene instructos, ut omnibus secunda pars, sicut caeteris classibus, uno anno explicaretur et repeteretur. Verum, ubi id fieri non poterit, haec infima classis dividenda erit in duos ordines, quorum uni prima pars libri, alteri se-

Infimae classis geminus ordo.

cunda primo fere semestri praelegatur; secundo vero semestri utraque ab initio repetatur: quae sicubi geminetur, cum in ea duplex sit ordo, unus poterit Magister inferiorem ordinem docere, alter superiorem.

Repetitionis utilitas.

§ 4. Huius repetitionis duplex erit utilitas: prima, quod altius inhaerebunt, quae saepius fuerint iterata; altera, ut, si qui sint praestanti ingenio, celerius quam caeteri cursum conficiant; cum singulis semestribus possint ascendere.

Collegium quinque classium.

§ 5. Ubi igitur quinque scholae sunt, serventur in singulis singuli gradus eo modo, quo descripti sunt in Regulis Magistrorum; nec in ulla earum plus quam unus ordo, excepta infima, permittatur.

Quatuor.

§ 6. Ubi sunt quatuor scholae, vel, sublata Rhetorica, caeterae quatuor nihil differant ab iis, quas modo diximus; vel quod magis placet, suprema sit Rhetorica, servetque prorsus gradum in Regulis Professoris Rhetoricae descriptum; altera sit Humanitatis, itemque servet gradum in Regulis Professoris expressum; tertia in duos secetur ordines, quorum superior supremae classi Grammaticae respondeat, inferior mediae; quarta denique respondebit infimae classi; duosque in ordines, ut in eius Regulis dicitur, tribui poterit: si superior tantum ordo admittatur, tertia unum tantum gradum teneat, sitque suprema Grammaticae; quarta vero duos, sitque media, et infima.

Trium.

§ 7. Ubi sunt tres scholae, duae inferiores retineant gradum modo praescriptum duabus ultimis in Collegio quatuor classium; suprema vero vel sit pura Humanitas, vel in duos dividatur ordines, quorum superior Rhetoricae, inferior Humanitati respondeat. Atqui ordo superior non introducetur, nisi consulto Rectore, cum bonus numerus discipulorum erit, qui eius ordinis sint capaces, atque ita, ut Magister studio et curae inferiori ordini debitae nullo modo desit.

Duarum.

§ 8. Ubi sunt duae scholae, inferior duos habeat ordines, quorum alter supremo ordini infimae classis, alter mediae classi; superior item duos, quorum alter supremae classi Grammaticae, alter Humanitati respondeat.

Repetitio pensi in scholis duorum ordinum.

§ 9. In his etiam scholis, ubi est ordo geminus, eadem erit pro utroque ordine, quae dicta est § 3, annui pensi repetitio. Et quidem, ubi fieri posset, ut utrique sua cuique pars primo semestri explicaretur, secundo iteraretur; discipuli per biennium in eadem classe aeque progrederentur atque in duabus, quae singulis constarent ordinibus: verum, ubi id difficilius videatur, plus etiam erit temporis tribuendum.

Quae ibidem communia, quae propria.

§ 10. Hoc ut obtineri possit, in his scholis, in quibus ordo erit geminus, omnia praeter Grammaticae praelectionem erunt omnibus communia. Ac primum quidem ciceroniana praelectio communis erit, ita ut faciliora ab inferiore, difficiliora a superiore ordine reposcantur. Deinde thema etiam unicum dari poterit, ita ut totum ordo superior excipiat, inferior primam solum vel ultimam partem, quae sit praeceptis illi explicatis accommodata. Denique exercitationes et concertationes plerumque omnibus communes esse possunt. Sola ergo Grammaticae praelectio distincta cum sit, aut alternis diebus singulis ordinibus, aut, tempore bifariam diviso, sua utrique quotidie explicabitur recoleturve.

Novi discipuli.

9. Nullum, quoad eius fieri potest, in discipulorum numerum referat, qui non adducatur a parentibus, aliisve, quibus curae sit, aut quem ipse non noverit, aut de quo facile non possit ab aliis sibi iam notis edoceri. Neminem vero, eo quod ignobilis sit aut pauper, excludat.

Eorum examen.

10. Eos, qui de novo adveniunt, in hunc fere modum examinet: roget quaenam studia coluerint, quatenus; deinde seorsim aliquid scribere, certo argumento proposito, iubeat; nonnulla item praecepta Facultatum, quibus studuerint, exigat; breves aliquas sententias, sive latine convertendas, sive, si sit opus, e scriptore quopiam interpretandas, proponat.

Admissio.

11. Quos probe instructos, et bonorum morum aut indolis esse cognoverit, admittat; iisque Regulas auditorum nostrorum ostendat, ut quales se esse oporteat, norint. Eorum nomen, cognomen, patriam, aetatem, parentes, aut eos, in quorum cura sunt, ecquis discipulorum noverit eorum domos, in libro scribat; diemque et annum, quo quisque admissus est, adnotet. Demum unumquemque in ea classe, et cum eo Praeceptore collocet, qui ipsi conveniat; ut superiore dignus potius, quam suo indignus videri possit.

Qui non admittendi.

12. In ultimam classem fere neque admittat iuvenes aetate provectos, neque puerulos nimium teneros, nisi admodum idoneos; etiam si probae tantum educationis gratia mitterentur.

Promotio.

13. Generalis solemnisque promotio semel in anno post anniversarias vacationes facienda est. Si qui tamen longe excellant, atque in superiore schola, magis quam in sua, profecturi videantur, (quod inspiciendis catalogis, rogandisque Magistris cognoscet) nequaquam detineantur, sed quocumque anni tempore post examen ascendant. Quamquam a prima classe ad Humanitatem, tum ob alias causas, tum propter artem metricam, quae secundo semestri explicatur, et ab Humanitate ad Rhetoricam propter Cypriani compendium, vix patet adscensus.

Ad examen scribendum.

14. Ad examen semel, aut, si opus sit, iterum ab omnibus classibus soluta oratione; a suprema vero Grammaticae et Humanitate semel etiam carmine, et, si videatur, semel graece aliquo dierum intervallo in schola scribendum est.

Examinis leges recitandae.

15. Efficiat ut, biduo vel triduo ante examen, Magistri scribendum examinis causa denuntient: scribendique ad examen leges, in fine harum Regularum positae, singulis in classibus recitentur.

Praefectus praesit.

16. Scribentibus praesit ipse Praefectus, aut alius, quem ipse sibi substituerit, qui, quo die scribendum est, signo dato, argumentum breve, potius quam longum, tradat.

Compositiones tribuendae Examinatoribus.

17. Compositiones in fasciculum ordine alphabeti coniectas apud se habeat; et, si nihil impediat, dividat Examinatoribus, ut, si videatur, legere, et errata in margine notare possint.

Examinatores.

18. Examinatores tres esse oportet. Unus erit, ut plurimum, ipse Praefectus; alios duos rerum Humaniorum bene peritos, qui, si fieri potest, Magistri non sint, Rector cum Praefecto constituet. In decernendo autem plura horum trium suffragia spectabuntur. Ubi vero ingens est numerus, duo aut plura Examinatorum ternaria constitui nihil vetat.

Examinandorum numerus.

19. Terni ad examen, aut etiam plures, ex classibus praesertim infe-

rioribus evocentur; totidemque deinceps a Magistro, servato alphabeti ordine aut alio commodiore, submittantur.

Catalogi cognoscendi.

20. Examinatores in primis perlegant Magistri catalogum, et in eo recognoscant adscriptas cuique notas, dum ad examen accedit; conferendo, si opus sit, cum superioribus eiusdem anni catalogis, ut, quid quisque profecerit aut profecturus sit, facilius appareat.

Examinis ratio.

21. Examinis ratio haec erit: primum suae quisque compositionis partem, si videatur, recitet. Deinde errata corrigere et eorum rationem reddere iubeatur, praecepto, contra quod peccatum sit, indicato. Postea Grammaticis vernaculum aliquid statim latine vertendum proponatur; omnesque de praeceptis et rebus, quae in quaque schola traditae sunt, interrogentur. Denique brevis, si sit opus, loci cuiuspiam ex libris in schola explicatis interpretatio exigatur.

Quando ferendae sententiae.

22. Post cuiusque ternarii examen, recentibus adhuc Examinatorum iudiciis, sententiae de interrogatis ferantur, habita compositionis, notae a magistro additae, et interrogationis ratione.

De dubiis.

23. Ad constituendum de dubiis, Praefectus quotidianas eorum scriptiones per intervalla exigat; cum iisdem iudicibus conferat, ut eos, si videatur, rursus scribere iubeant, et examinent. Porro in dubiis ratio aetatis, temporis in eadem classe positi, ingenii ac diligentiae habenda erit.

Silentio sententiae supprimendae.

24. Peracto demum examine, quid de unoquoque statuendum sit, silentio supprimatur, nisi quod, antequam publice recitetur, suus cuique Magistro catalogus ostendendus erit.

Non apti, et rudes.

25. Si quis nulla ratione ad gradum faciendum videatur idoneus, nullus deprecationi sit locus. Si quis, aegre quidem aptus, sed tamen propter aetatem, tempus in eadem classe positum, aut aliam rationem promovendus videatur; id ea conditione, nisi quid obstiterit, fiat, ut, si minus suam Magistro probarit industriam, ad inferiorem scholam remittatur, nec in catalogo eius ratio habeatur. Si qui denique ita sint rudes, ut nec eos promoveri deceat, nec ullus in propria classe fructus speretur, agatur cum Rectore, ut, eorum parentibus aut curatoribus perhumaniter admonitis, locum non occupent.

Promulgatio.

26. Publice promovendorum catalogus, vel ad singulas seorsim classes, vel in aula simul ad omnes recitetur. Si qui longe inter caeteros emineant, primi honoris causa nominentur, in caeteris alphabeti vel doctrinae ordo servabitur.

Librorum catalogus.

27. Ante instaurationem studiorum, de catalogo librorum, qui eo anno explicandi sunt in scholis nostris, conficiendo mature referat ad Rectorem, ut res cum Praefecto generali et cum Magistris communicetur; eodemque modo statuatur, si qui forte in anno libri sive scriptores commutandi sint.

Librorum copia.

28. Efficiat, ut tempestive cum publicis bibliopolis agatur, ne librorum, quibus aut in dies utimur aut sequentem in annum usuri sumus, tum nos tum externi, copia desideretur.

Locorum assignatio.

29. Cuiuslibet anni initio sua singulis auditoribus scamna et consessores, vel per se vel per Magistros, Alumnis etiam et Convictoribus per eorum moderatores assignet (nisi forte alicubi ex doctrinae ordine se-

dendi ordo statuatur) nobilibus quidem commodiora, Nostris vero, et aliis item Religiosis, si adsint, ab externis separata subsellia: neque committat, ut magna aliqua commutatio, se inscio, fiat.

Privati studii tempus.

30. Permagni interest, ut auditoribus, non modo nostris, sed Alumnis etiam vel Convictoribus, et, si nihil obstiterit, externis quoque Praefectus per Magistros, vel per alios illorum Collegiorum Praefectos tempus ita distribuat, ut privati studii horas bene collocent.

Immunitas nulla.

31. Nullam det cuipiam, praesertim diuturnam, nisi gravi de causa, a versibus et graecis discendis immunitatem.

Declamationes menstruae.

32. Curet, ut declamationes menstruae, quae publice in aula a Rhetoricae auditoribus habentur, superiorum etiam classium frequentia, non modo Rhetoricae et Humanitatis auditorum, cohonestentur. Ideoque Magistri admoneantur, ut suos quisque auditores invitent. Ex Nostris vero nemini abesse liceat, nisi a Rectore potestatem impetrarit.

Scholarum disputationes.

33. Consideret quando, qua ratione, et quo convenire debeant scholae ad disputandum inter se: nec solum disputandi rationem ante praescribat, sed etiam, dum certatur, praesens ipse sedulo curet, ut fructuose, modeste, pacate gerantur omnia. Eodemque modo Rhetoricae et Humanitatis auditorum declamationibus seu praelectionibus, quas in gymnasio habere solent, intersit.

Academiae.

34. Ad litterarias exercitationes altius imprimendas, det operam, ut, si Rectori videbitur, in classibus, non modo Rhetoricae et Humanitatis, sed etiam Grammaticae, academiae instituantur: in quibus statis diebus certisque legibus, quae in fine libri habentur, vicissim praelegatur, disputetur, aliaeque boni auditoris partes agantur.

Praemia publica.

35. De praemiis distribuendis, ac declamatione dialogove tum fortasse habendo, tempestive Superiori in memoriam revocet. In qua distributione leges, quae in fine harum Regularum collocantur, servandae erunt, et in singulis classibus ante scriptionem promulgandae.

Privata.

36. Det quoque operam, ut, praeter publica praemia, privatis etiam, quae Rector Collegii suppeditabit, praemiolis, vel signo aliquo victoriae Magistri in sua quisque schola discipulos excitent; cum vel adversarium vincendo, vel totum aliquem librum repetendo memoriterve reddendo, vel illustre aliquid eiusmodi agendo in dies commeruisse videbunt.

Censor, seu praetor.

37. Suum in unaquaque classe pro regionum consuetudine publicum censorem, vel, si censoris nomen minus placeat, decurionem maximum, aut praetorem constituat: qui, ut in honore sit apud condiscipulos, privilegio aliquo cohonestandus erit; iusque habebit, Magistro approbante, leviores poenas a condiscipulis deprecandi. Is observet, si quis aut ante signum datum, ex condiscipulis vagetur in atrio, aut scholam alienam ingrediatur, aut a propria seu a suo loco discedat; deferat etiam ad Praefectum, quinam quotidie desiderentur, si quis non discipulus scholam intrarit, demum si quid, absente seu praesente Magistro, peccetur in schola.

Corrector. *P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 5.*

38. Propter eos, qui, tum in diligentia, tum in iis, quae ad bonos mores pertinent, peccaverint, et cum quibus sola verba bona et exhortatio-

nes non sufficiunt, corrector, qui de Societate non sit, constituatur: ubi haberi non poterit, excogitetur modus, quo castigentur, vel per aliquem ex ipsis scholasticis, vel alia convenienti ratione: propter domestica vero delicta non plectantur in schola, nisi raro, et magna de causa.

Correctionem recusantes.

39. Qui autem plagas recusant, aut cogantur, si tuto possint; aut, si quando id indecore fiat, cum grandioribus videlicet, iis gymnasium nostrum interdicatur, Rectore tamen antea consulto; sicut et iis, qui frequenter absunt a schola.

A scholis removendi. *P. 4 c. 16 n. 5.*

40. Cum nec verba nec correctoris officium satis esset, et in aliquo emendatio non speraretur, aliisque is esse offendiculo videretur; praestat a scholis eum removere, quam, ubi parum ipse proficit et aliis nocet, retinere. Hoc autem iudicium Rectori, ut omnia ad gloriam et servitium DEI, ut par est, procedant, relinquetur.

Coercendi. *P. 4 c. 16, D.*

41. Si casus aliquis acciderit, ubi, in remedium offendiculi praestiti, satis non esset a scholis expellere; ad Rectorem referat, ut is videat, quid praeterea conveniat providere. Quamvis, quoad eius fieri poterit, in spiritu lenitatis, pace et charitate cum omnibus conservata, sit agendum.

Reditus ad scholas nemini pateat.

42. Reditus ad scholas nostras nemini pateat eorum, qui vel semel eiecti sunt, vel ultro sine legitima causa discesserunt: quin prius Rector admoneatur, cuius erit, quid expediat, iudicare.

Atrii quies. *P. 4 c. 16 n. 4.*

43. Nihil, neque in atrio neque in scholis, etiam superioribus, patiatur armorum, nihil otiosorum, nihil concursationum atque clamorum; nec iuramenta, nec iniurias verbo aut facto illatas, nec inhonestum aut dissolutum quid in eis permittat: si quid acciderit, componat statim, et cum Rectore agat, si quid est, quod atrii quietem ullo modo perturbet.

Atrium et scholae lustrandae.

44. Non modo toto scholarum tempore in atrio, sive in conclavi, unde atrii prospectus pateat, sit assiduus, verum etiam scholas ante datum signum ad ingrediendum interdum lustret; semperque ad atrii ianuam cunctis exeuntibus praesto sit.

Templum et Missa.

45. Curet, ut scholarum ingressus in templum egressusve strepitu careat; et numquam, nisi praesente aliquo Magistrorum, aut etiam pluribus, Missam audiant; cui, non modo omnes quotidie religiose intersint, sed etiam recte atque ordine distributi.

Confessio.

46. Diebus et horis ad excipiendas discipulorum confessiones constitutis, videat, ut Confessarii tempestive adsint; templum ipse per id tempus ingrediatur identidem, curetque, ut modeste ac pie se pueri gerant.

E schola non evocandi.

47. Ne ipse quidem Praefectus, nisi parce, praesertim praelectionum tempore, e scholis discipulos evocet: si quid in ea re peccetur ab aliis, Rectorem edoceat.

Discipulorum opera non utendum.

48. Nullo autem tempore discipulorum opera, aut ad scribendum, aut ad ullam rem aliam utatur, aut alios uti sinat.

Regulae palam collocandae.

49. Regulae omnium externorum discipulorum communes, in loco, ubi publice legi possint, et in quavis praeterea classe propalam sunt affigendae, et cuiusque fere mensis initio in Rhetorica caeterisque inferioribus recitandae.

Vices Praefecti generalis.

50. Ubi non erit Praefectus studiorum superiorum, curam subeat ipse, Rectore probante, recognoscendi ea, quae publice declamantur; et libros nostris scholasticis, eodem conscio Rectore, distribuendi.

SCRIBENDI AD EXAMEN LEGES.

Scriptioni intersint.

1. INTELLIGANT omnes, ipso scriptionis die, si qui, nisi gravibus distenti causis, desiderentur, eorum in examine nullam habitum iri rationem.

Scribendi tempus.

2. Mature veniendum ad scholam, ut scribendi argumentum, et ea, quae tum Praefectus per se vel per alium traditurus est, fideliter excipiant, absolvantque omnia intra finem scholarum. Nam post indictum silentium, nemini cum aliis, ne cum Praefecto quidem ipso, sive cum eo, quem ipse sibi substituerit, loqui licitum fore.

Apparatus.

3. Accedere oportet instructos libris, caeterisque rebus ad scribendum necessariis, ne ab ullo quidquam petere inter scribendum necesse sit.

Forma.

4. Apposite ad uniuscuiusque classis gradum dilucideque scribendum, et ex thematis verbis modisque praescriptis; ambigue scripta in deteriorem partem acceptum iri; verba etiam omissa, vel temere immutata difficultatis evitandae causa, pro erratis fore.

Cavendum a consessoribus.

5. Cavendum a consessoribus; nam, si duae forte compositiones similes ac geminae reperiantur, utramque habitum iri pro suspecta, cum, uter ab utro furatus sit, exploratum esse non possit.

Egressus e schola.

6. Ad fraudes evitandas, si cui forte potestatem exeundi, postquam scribi coeptum sit, dare necessitas cogat, is, et argumentum scriptionis et quidquid scripserit, apud Praefectum relinquat, sive apud eum, qui tum scholae praeest.

Scriptionis traditio.

7. Compositione absoluta, suo quisque loco, quae scripsit, diligenter recolat, castiget, expoliat quantum velit: nam, simul atque compositio tradita Praefecto sit, si quid deinde correctum oporteat, haudquaquam redditum iri.

Adscribendum nomen.

8. Rite complicanda, ut Praefectus iusserit, sua unicuique compositio, atque in tergo nomen tantum scriptoris cum cognomine latine adscribendum, quo facilius compositiones omnium in alphabeti, si libeat, ordinem redigi possint.

Scriptionis absolutio.

9. Cum, suam quisque compositionem redditurus, accedit ad Praefectum, secum suos habeat libros, ut, ea tradita, statim silentio exeat e schola: caeteri vero, aliis discedentibus, loca non mutent; sed compositionem, quo coeperint loco, perficiant.

Tempus.

10. Si quis tempore ad scriben-

dum attributo non absolverit; eam ipsam partem, quam scripserit, tradet. Idcirco probe intelligi ab omnibus oportebit, quantum temporis ad scribendum concedatur, quantum ad describendum, et recognoscendum.

Accessus ad examen.

11. Denique, cum ad examen accedunt, libros, qui explicati sint eo anno, de quibus interrogandi sunt, afferant: dumque unus interrogatur, caeteri, qui adsunt, diligenter attendant, verum neque annuant aliis, neque corrigant, nisi rogati.

LEGES PRAEMIORUM.

Praemiorum numerus.

1. RHETORICAE octo praemia proponentur: duo solutae orationis latinae, duo carminis; duo solutae orationis graecae, totidem graeci carminis. Sex item, sed eodem plane ordine, in Humanitate et in prima classe Grammaticae, relicto scilicet graeco carmine, cuius infra Rhetoricam fere non est usus. Quatuor deinceps in omnibus aliis inferioribus, relicto etiam latino carmine. Unus praeterea aut alter in singulis classibus, qui optime omnium christianam doctrinam recitaverit, praemio donetur. Poterunt tamen, ubi ingens aut parvus est numerus discipulorum, plura vel pauciora dari, dummodo potior semper solutae orationis latinae ratio habeatur.

Scriptionum dies.

2. Scribendi certamen in distinctos dies dividatur, ita ut alius dies orationi latinae, alius scribendis versibus, alii item duo dies graecae orationi ac versibus tribuantur.

Constitutae horae.

3. Omnes in suam quisque scholam diebus et horis ad scribendum constitutis conveniant.

Egressus, et colloquium interdicitur.

4. Accepto scribendi argumento, ante absolutam scriptionem ac traditam, nemo e sua schola egrediatur, neque cum alio, intra sive extra gymnasium, colloquatur: si egredi, facta tamen potestate, necesse sit, argumentum et quidquid scripserit, apud eum, qui tum scholae praeest, relinquatur.

Tempus ut prorogandum.

5. Si quis longius spatium ad rem accuratius perficiendam expetit, is, modo ne pedem e schola efferat, neque ultra occasum solis tempus proroget, quamdiu voluerit maneat.

Scriptiones obsignandae.

6. Suam quisque scriptionem accurate descriptam, aliquo addito, quo maluerit, signo, sine nomine tamen, cum discedere volet, gymnasii Praefecto, vel alteri, quem ipse sibi substituerit, reddat: aliam item chartam, in qua cum nomine et cognomine sit

idem signum expressum, diligenter obseratam, ne nomen inspici possit, eidem tradat.

Tuto asservandae.

7. Gymnasii Praefectus omnia sedulo et fideliter asservet: neque chartas nomina continentes, priusquam factum sit iudicium, resignet.

Iudices.

8. Iudices tres, et docti et graves, quorum aliquis externus esse poterit, si loci postulet consuetudo, qui nesciant cuius quaeque sit scriptio, deligantur. Hi, perlectis omnibus scriptis et re diligenter inspecta, plurium suffragio omnes ordine victores, et eorum quoque, qui ad victores proxime accesserunt, unum aut alterum in unoquoque genere declarent.

Iudicii forma.

9. In iudicio, cuius melior erit orationis forma, is caeteris omnibus, etiamsi plura scripserint, anteferatur. Si qui genere ipso et stilo pares in scribendo erunt, plura paucioribus anteponantur. Si in hoc etiam sint pares, qui orthographia praestiterit, victor sit. Si orthographia et caeteris rebus pares fuerint, ei, qui elegantius expresserit litterarum notas, praemium adiudicetur. Si pares omnino sint, vel dividatur praemium, vel geminetur, vel sorte ducatur. Si quis in omnibus generibus scribendi caeteros vicerit, is etiam omnium generum praemia consequatur.

Nomina resignanda.

10. Iudicio perfecto, Praefectus cum Rectore et Praefecto generali chartas, in quibus nomina certantium cum signis adscripta erunt, resignet: nomina victorum e signis diligenter, ne erret, investiget; cognita nemini, praeterquam Magistris, enuntiet.

Praemiorum apparatus.

11. Constituto deinde die, quanto maximo fieri poterit apparatu et hominum frequentia, nomina victorum publice pronuntientur; et in medium procedentibus praemia cuique sua honorifice dividantur. Si quis non aderit, nisi potestatem iustis de causis, quae Rectori probentur, acceperit a Praefecto, praemium, vel optimo iure sibi debitum, amittat.

Distributio.

12. Unumquemque victorem praeco evocabit hoc fere modo: *Quod felix faustumque sit rei litterariae, omnibusque nostri gymnasii alumnis, primum, secundum, tertium etc. praemium solutae orationis latinae, graecae, carminis latini, graeci etc. meritus et consecutus est* N. Tum victori tradat praemium, nec fere sine aliquo ad rem maxime apposito carmine brevissimo, quod statim, si commode fieri possit, a cantoribus repetatur. Ad extremum addat idem praeco, si qui proxime accesserint, quibus aliquid etiam praemii loco dari licebit.

Fraudum poena.

13. Contra has leges si quis peccarit, aut fraudem ullam commiserit, eius scriptionis nulla ratio habeatur.

REGULAE COMMUNES

PROFESSORIBUS CLASSIUM INFERIORUM.

Finis. *P. 4 c. 7 n. 2.*

1. ADOLESCENTES, qui in Societatis disciplinam traditi sunt, sic Magister instituat, ut una cum litteris mores etiam christianis dignos in primis hauriant.

P. 4 c. 16 n. 4.

Feratur autem eius peculiaris intentio, tam in lectionibus, cum se occasio obtulerit, quam extra eas, ad teneras adolescentium mentes obsequio et amori DEI ac virtutum, quibus ei placere oportet, praeparandas; sed praecipue ea, quae sequuntur, observet.

Oratio ante lectionem. *P. 4 c. 16, C.*

2. Orationem brevem ante scholae initium dicat aliquis ad id institutam; quam Praeceptor et discipuli omnes aperto capite et flexis genibus attente audient: ante lectionis vero initium ipse Praeceptor signo crucis se muniat aperto capite, et incipiat.

Missa et concio. *P. 4 c. 16 n. 1. P. 4 c. 7 n. 2.*

3. Missae et concioni curet ut intersint omnes, Missae quidem quotidie, concioni vero diebus festis: ad quam praeterea bis saltem singulis hebdomadis eos in Quadragesima mittat, aut etiam pro regionis consuetudine ducat.

Doctrina christiana. *P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 2.*

4. Doctrina christiana, in classibus praesertim Grammaticae, vel etiam in aliis, si opus sit, feria sexta aut sabbato ediscatur ac memoriter recitetur; nisi forte alicubi, et a novis discipulis, etiam saepius recitanda videretur.

Adhortatio. *P. 4 c. 7 n. 2.*

5. Piam cohortationem vel doctrinae explicationem feria item sexta aut sabbato habeat per semihoram: hortetur autem potissimum ad orandum DEUM quotidie, praecipue vero ad coronam B. Virginis aut officium quotidie recitandum, ad excutiendam conscientiam vesperi, ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae frequenter ac rite obeunda, ad vitandas noxias consuetudines, ad vitiorum detestationem, ad virtutes denique colendas christiano homine dignas.

Colloquia spiritualia. *P. 4 c. 4 n. 6. P. 7 c. 4 n. 8.*

6. Privatis etiam colloquiis eadem ad pietatem pertinentia inculcabit, ita tamen, ut nullum ad Religionem nostram videatur allicere: sed, si quid huiusmodi cognoverit, ad Confessarium reiiciat.

Litaniae, et devotio erga B. Virginem.

7. Litanias Beatissimae Virginis sabbato sub vesperum in sua classe recitari iubeat, vel, si moris sit, in templum ad easdem cum caeteris audiendas ducat: pietatem vero in eamdem Virginem et Angelum etiam Custodem discipulis diligenter suadeat.

Lectio

8. Lectionem spiritualem, praeser-

spiritualis. P. 4 c. 5, E.

tim de Sanctorum vitis, vehementer commendet: contra vero, non solum ipse ab impuris scriptoribus, et omnino in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, iuventuti praelegendis abstineat; sed ab iisdem etiam extra scholam legendis discipulos, quam maxime potest, deterreat.

Confessio. P. 4 c. 16 n. 1, A.

9. Confessiones singulis mensibus, ut a nemine omittantur, efficiat: iubebit autem eos tradere suum in schedula descriptum nomen, cognomen et classem Confessariis, ut, schedulas postea recognoscens, quinam defuerint, intelligat.

Orandum pro discipulis.

10. Oret Deum saepe pro suis discipulis, eosque religiosae vitae suae exemplis aedificet.

Praefecto obtemperandum.

11. Praefecto horum studiorum obtemperabit in iis, quae ad haec studia et scholae disciplinam pertinent: quo inconsulto, neque ullum in scholam admittet aut dimittet, nec librum ullum suscipiet explicandum, nec ullam cuivis a communibus scholae exercitationibus immunitatem dabit.

Gradus cuiusque scholae. P. 4 c. 13, B.

12. Scholae omnes in suo se gradu contineant. Et de Rhetorica quidem et Humanitate dicetur seorsim: Grammaticae vero tres scholae esse debent, quibus eiusdem quidam quasi cursus absolvatur. Omnia proinde Emmanuelis praecepta tres in partes dividenda sunt, quarum singulae singularum scholarum sint propriae, ita tamen, ut in unaquaque classe ea semper, quae in schola proxime inferiore tradita sunt, recurrantur, prout in cuiusque Magistri Regulis indicabitur.

Graecae Grammaticae divisio.

13. In graeca etiam Grammatica haec fere divisio erit. Prima pars, a primis elementis ordiendo, simplicia nomina, verbum substantivum et verba item simplicia complectitur pro infima classe. Secunda, nomina contracta, verba circumflexa, verba in μι, et faciliores formationes pro media classe. Tertia, reliquas partes orationis, seu quaecumque rudimentorum nomine continentur, exceptis dialectis ac difficilioribus annotationibus pro suprema classe. Quarta, quae Humanitati tribuitur, omnem syntaxim. Quinta denique pars, quae est Rhetoricae, artem metricam.

Divisio temporis.

14. Divisio temporis, quod in Rhetorica binis minimum horis, in Humanitate vero et caeteris scholis duabus et dimidiata mane, totidemque a prandio, binis item minimum die vacationis definitur, eadem semper esse debebit; ut certum sit, quae horae quibus exercitationibus impendantur.

Quatenus commutanda. P. 4 c. 13 n. 2.

15. Harum tamen exercitationum ordo ad Provincialis praescriptum pro loci consuetudine immutari potest, dummodo eaedem omnino eademque spatia temporis, illis in cuiusque Magistri Regulis assignata, retineantur, et in semel coepto constantia servetur.

Dies festus in sabbatum incidens.

16. Si festus dies inciderit in sabbatum, eius diei exercitationes in antecedentem diem revocentur, vel omittantur.

Die vacationis quae divisio.

17. Eadem divisio die vacationis erit, ubi non assignantur propriae exercitationes: singulae enim, quae aliis diebus fiunt, proportione contrahendae, aut earum aliqua in orbem praetermittenda, tempusque aliquod concertationi relinquendum.

Latine loquendi usus.

18. Latine loquendi usus severe in primis custodiatur, iis scholis exceptis, in quibus discipuli latine nesciunt, ita ut in omnibus, quae ad

scholam pertinent, numquam liceat uti patrio sermone; notis etiam adscriptis, si qui neglexerint: eamque ob rem latine perpetuo Magister loquatur.

Memoriae exercitatio.

19. Memoriae traditas praelectiones discipuli decurionibus recitent, de quorum officio infra, regula 36, dicetur, nisi forte alius placeat mos in Rhetorica: ipsi vero decuriones decurioni maximo vel Magistro persolvent. Qui Magister aliquot quotidie, ex desidiosis fere, quique serius ad ludum venerint, recitare iubeat, ad explorandam decurionum fidem, omnesque in officio continendos. Sabbato audita per unam vel etiam plures hebdomadas publice memoriter reddantur. Libro autem absoluto, deligi poterunt interdum, qui illum e suggestu ab initio pronuntient, non sine praemio.

Scriptiones afferendae.

20. Scriptiones afferendae in classibus Grammaticae quotidie praeter diem sabbati; in caeteris solutae quidem orationis quotidie praeter diem vacationis et sabbati; carminis vero bis tantum, proximo scilicet post dominicum et vacationis diem; graeci demum thematis saltem semel, quo die Magistro libuerit, a prandio.

Corrigendae.

21. Scriptiones corrigendae ferme privatim et submissa voce cum unoquoque discipulorum, ut iis interim stilum exercendi tempus detur. Expedit tamen quotidie aliquot exempla, modo ex optimis, modo ex deterrimis, tum initio tum in fine publice recitare atque perpendere.

Corrigendi ratio.

22. Modus corrigendae scriptionis in universum est: indicare, si quid contra praecepta peccatum sit; interrogare quomodo emendari possit; iubere, ut aemuli, statim ut aliquid deprehenderint, publice corrigant, praeceptumque, contra quod peccatum est, proferant; laudare denique, si quid apte perfectum sit. Hoc autem dum publice peragitur, primum disciputi scriptionis exemplum (quod semper praeter id, quod Magistro describitur, afferendum est) secum ipsi legant et emendent.

Corrigendae quam plurimae.

23. Quotidie scriptiones singulorum a Magistro corrigi oporteret, cum praecipuus et maximus inde fructus exsistat: si tamen multitudo non patiatur, corrigat quamplurimos, ita ut quos uno die discipulos praeteriit, altero vocet. Eam ob causam, diebus praesertim, quibus carmina afferuntur, scriptiones aliquas aemulis emendandas dispertiat, (quod quo commodius fiat, unusquisque non suum tantum, sed etiam aemuli nomen a tergo scriptionis inscribat) aliquas ipse Magister pomeridiano tempore, dum memoriter recitatur; aliquas, si libuerit, domi corrigat.

Exercitationes inter corrigendum.

24. Exercitationes varias, dum scripta corrigit, pro scholae gradu, modo hanc, modo illam imperet. Nulla enim re magis adolescentium industria, quam satietate languescit.

Repetitio.

25. Repetitio praelectionis, tum hesternae tum praesentis, eodem se habeat modo; fiatque, vel ab uno tota, vel potius a pluribus per partes, ut omnes exerceantur: repetantur autem praecipua et utilissima, primum fere a provectioribus, deinde etiam ab aliis; idque vel continenti oratione, vel ad singulas Magistri interrogationes interrupta, aemulo inter repetendum corrigente, si alter erret, vel, si cunctetur, antevertente.

Repetitio die sabbati.

26. Die sabbati omnia, quae per hebdomadam praelecta sunt, recolantur. Quod si qui interdum profiteantur de iis omnibus, vel de toto libro

se responsuros, ex iis aliquot delectos reliqui binis ternisve lacessant interrogationibus, non sine praemio.

Praelectio.

27. In praelectionibus veteres solum auctores, nullo modo recentiores explicentur; multum autem proderit, si Magister, non tumultuario ac subito dicat, sed quae domi cogitate scripserit; totumque librum vel orationem, quam prae manibus habet, ante perlegerit: forma autem praelectionis haec ferme erit.

Primum, totam continenter pronuntiet, nisi aliquando in Rhetorica et Humanitate longior esse debeat.

Secundo, brevissime argumentum exponat, et connexionem, ubi erit opus, cum iis, quae antecesserant.

Tertio, unamquamque periodum praelegens, si quidem latine interpretetur, obscuriores explanet; unam alteri nectat; ac sententiam, non quidem inepta metaphrasi unicuique verbo latino alterum verbum latinum reddendo; sed eamdem sententiam, si quidem sit obscurior, apertioribus phrasibus declarando aperiat. Si vero vulgi sermone, servet, quoad fieri potest, collocationem verborum: sic enim numero assuescunt aures. Quod si sermo patrius non patitur, prius ad verbum fere omnia, postea ad vulgi consuetudinem explicet.

Quarto, a capite recurrens, nisi malit ipsi explicationi inserere, observationes tradat cuique scholae accommodatas; quas vero excipiendas censuerit, quae multae esse non debebent, vel interrupte inter explicandum, vel seorsim, praelectione iam habita, dictet: utile autem solet esse, ut Grammatici nihil scribant nisi iussi.

Praelectio historici et poetae.

28. Historici et poetae praelectio illud habet peculiare, quod historicus celerius fere excurrendus; in poeta saepe oratoria paraphrasis accurate facta plurimum decet: faciendumque, ut discipuli poetae oratorisque stilum internoscere consuescant.

Praelectio praeceptorum.

29. In praelegenda, tum Cypriani Rhetorica, tum arte metrica, tum latina graecave Grammatica, et horum similibus ad praecepta spectantibus, res ipsae, potius quam verba, perpendenda sunt. Locutiones vero brevissimae ab optimis scriptoribus proponendae, et statim reddendae. In Grammaticae vero praesertim inferioribus classibus, cum incidit aliquid difficilius, illud ipsum uno aut pluribus diebus recolatur, aut faciliora quaedam ex aliis Grammaticae partibus interponantur, repetanturve.

Scribendi argumentum.

30. Scribendi argumentum non dictandum ex tempore, sed meditato, et fere de scripto, quod ad imitationem Ciceronis, quantum fieri potest, et ad normam cuiusdam narrationis, suasionis, gratulationis, admonitionis, aliarumque id genus rerum dirigatur: et quidem tum latina lingua, tum patria scribendum esset, ubi dictatur ad verbum. Dictatum porro statim Magister iubeat recitari; explicet, si quid forte difficilius; vocabula, phrases, aliaque praesidia subministret; semperque, excepto Rhetore, inter dictandum admoneat, quomodo quaevis pars conscribenda sit et interpungenda. Aliquid vero extraordinarium solito amplius praescribendum est cum plures dies festi incidunt, vel cum vacationes, tum maiores tum minores, indicuntur.

Concertatio.

31. Concertatio, quae vel Magistro interrogante aemulisque corrigentibus, vel ipsis invicem inter se aemulis percontantibus, fieri solet, magni facienda, et quoties tempus pati-

tur usurpanda, ut honesta aemulatio, quae magnum ad studia incitamentum est, foveatur. Poterunt autem, vel singuli vel plures ex utraque parte, committi, praecipue ex magistratibus; vel unus etiam plures lacessere. Privatus fere privatum petet, magistratus magistratum; privatus etiam interdum magistratum; eiusque dignitatem, si vicerit, sive aliud praemium aut victoriae signum consequi poterit, prout scholae dignitas et locorum ratio postulabit.

Extraordinariae exercitationes.

32. Extraordinariae exercitationes utilitatem magnam habent: in quibus illud universe dicendum est, ea, quae publice pronuntiabuntur, ut non memoria solum discipulorum, sed ingenium etiam excolatur, a Magistro expolienda quidem diligenter, numquam tamen de integro facienda: eademque de versibus, qui in publico proponuntur, ratio est. Laborandum etiam, ut vocem, gestus et actionem omnem discipuli cum dignitate moderentur.

Praelectio, seu declamatio in schola.

33. Praelectio, vel graeca latinave oratio aut carmen, in Rhetorica quidem et Humanitate alternis fere sabbatis, una schola alteram invitante, habeatur; in reliquis sola praelectio, non tam habeatur, quam audita ex cathedra repetatur, nullis fere invitatis; nec nisi singulis mensibus.

Concertatio cum proxima classe. *P. 4 c. 13 n. 3.*

34. Concertatio cum proxima classe erit aliquoties in anno, quo die Praefecto studiorum inferiorum visum fuerit, per horam fere, de iis tantum rebus, quae utrique classi communes sunt, utroque moderante Praeceptore. Bini ternive aut plures disputabunt ex optimis utriusque classis discipulis, vel ex condicto ad singulas interrogationes responsionesque antea instructi; vel ex ingenio quidquid libeat percontantes; vel dubitationes ab uno propositas, praesertim de Rhetorica, oppugnantes.

Magistratus.

35. Magistratus eligendi, praemiisque etiam, si videbitur, afficiendi (nisi id alicubi in Rhetorica minus necessarium videretur) singulis fere aut alternis mensibus: ad eam rem semel soluta oratione, semel etiam, si videatur, in superioribus classibus carmine graeceve scribant in schola toto scholae tempore, nisi in inferioribus melius videatur semihoram concertationi relinquere. Qui omnium optime scripserit, summo magistratu; qui proxime accesserint, aliis honorum gradibus potientur: quorum nomina, quo plus eruditionis res habeat, ex graeca romanave republica militiave sumantur. Duas autem fere in partes ad aemulationem fovendam schola dividi poterit, quarum utraque suos habeat magistratus, alteri parti adversarios, unicuique discipulorum suo attributo aemulo. Summi autem utriusque partis magistratus primum in sedendo locum obtineant.

Decuriones.

36. Decuriones etiam a Praeceptore statuantur, qui memoriter recitantes audiant, scriptaque Praeceptori colligant, et in libello punctis notent, quoties memoria quemque fefellerit, qui scriptionem omiserint, aut duplex exemplum non tulerint; aliaque, si iusserit Praeceptor, observent.

Ad examen praeparatio.

37. Ad promotionem generalem uno ferme ante examen mense strenue discipuli in praecipuis quibusque rebus, in omnibus classibus, excepta fortasse Rhetorica, exerceantur. Quod si quis longe in ipso anni decursu excelleret, de eo Magister referat ad Praefectum, ut, privatim examinatus, gradum ad superiorem scholam facere possit.

Catalogus.

38. Catalogum discipulorum alphabeti ordine conscriptum Praefecto tradat sub anni initium; quem catalogum interdum in anno recognoscat, ut, si quid sit opus, immutari queat; accuratissime vero, cum generale discipulorum examen impendet. In eo autem catalogo quamplurimos discipulorum gradus distinguat, videlicet optimos, bonos, mediocres, dubios; retinendos, reiiciendos: quae notae numeris significari possent 1, 2, 3, 4, 5, 6.

Disciplinae cura.

39. Disciplinam omnem nihil aeque continet atque observatio Regularum. Haec igitur praecipua sit Magistri cura, ut discipuli, tum ea, quae in eorum Regulis habentur, observent, tum ea, quae de studiis dicta sunt, exsequantur; quod spe honoris ac praemii, metuque dedecoris, facilius quam verberibus, consequetur.

Puniendi ratio. *P. 4 c. 7 n. 2, D.*

40. Nec in puniendo sit praeceps, nec in inquirendo nimius; dissimulet potius, cum potest sine cuiusquam damno. Neque solum nullum ipse plectat, id enim per correctorem praestandum, sed omnino a contumelia dicto factove inferenda abstineat; nec alio quempiam, quam suo nomine vel cognomine appellet: poenae etiam loco aliquid litterarium addere ultra quotidianum pensum utile interdum erit. Inusitatas autem et maiores poenas, ob ea praesertim, quae extra scholam deliquerint, sicut eos, qui plagas recusant, praesertim si grandiores sint, ad Praefectum reiiciat.

Assiduitas.

41. Assiduitatem maxime a discipulis requirat; nec proinde ad publica spectacula sive ludos eos dimittat. Si quis abfuerit, aliquem ex condiscipulis, vel alium, ad eius domum mittat; et, nisi idoneae afferantur excusationes, absentiae poenam sumat. Qui plures dies sine causa abfuerint, ad Praefectum remitti, nec sine eius consensu recipi debent.

Confessionum dies.

42. Ne confessionum causa quidquam remittatur ex iis, quae scholarum propria sunt, terni vel plures, ubi sit opus, initio mittantur ad confitendum; deinde, ut singuli redeunt, ita ex caeteris singuli binive submittantur, nisi forte alicubi ad confessionem simul omnes ire consueverint.

Silentium et modestia.

43. Silentium et modestiam servandam in primis curet, ut nemo per scholam vagetur, nemo locum mutet, nemo ultro citroque munera schedasve mittat, ut a schola non egrediantur, praesertim duo vel plures simul.

Egressus e schola.

44. Cavendum est, ne facile, praesertim praelectionis tempore, a quopiam discipuli evocentur. Ut confusio etiam et clamor, in egressu praecipue, vitetur, Magistro sive e suggestu sive ad ianuam spectante, proximi quique valvis primi exeant; vel alia ratione curetur, ut modeste omnes et silentio egrediantur.

Academiae.

45. Academias instituat, si Rectori videbitur, ex Regulis, quae propterea seorsim conscriptae sunt: ad quas discipuli, maxime festis diebus, vitandi otii et malarum consuetudinum causa, conveniant.

Agere cum discipulorum parentibus.

46. Si necesse videretur discipulorum causa cum eorum parentibus interdum loqui, Rectori proponat, an ii per Praefectum vel alium accersendi sint, vel etiam, si personae dignitas postulet, conveniendi.

Familiaritas et colloquia.

47. Familiarem non se uni, magis quam alteri, ostendat; cum iisque extra scholae tempus non nisi breviter ac de rebus seriis, loco etiam patenti, hoc est, non intra scholam, sed pro scholae foribus, aut in atrio, aut ad ianuam Collegii, quo magis aedificationi consulat, colloquatur.

Paedagogi.

48. Nemini paedagogum, inconsulto Rectore, proponat, nec a paedagogis permittat aliis domi praelectionibus onerari discipulos, sed tantum auditas exigi.

Nullus pro schola sumptus.

49. Nullius opera utatur in describendo, aut in aliquo, quod ad usitatas scholae exercitationes non pertineat; nullaque in re illos pro schola sumptum facere patiatur.

Profectus studentium. P. 4 c. 6 n. 6.

50. Sit denique in omnibus, divina aspirante gratia, diligens et assiduus, profectus studentium, tum in lectionibus tum in aliis litterariis exercitationibus, studiosus. Contemnat neminem, pauperum studiis aeque ac divitum bene prospiciat, profectumque uniuscuiusque e suis scholasticis speciatim procuret. P. 4 c. 13 n. 3.

REGULAE PROFESSORIS RHETORICAE.

Gradus.

1. Gradus huius scholae non facile certis quibusdam terminis definiri potest: ad perfectam enim eloquentiam informat, quae duas Facultates maximas, oratoriam et poeticam, comprehendit; ex his autem duabus primae semper partes oratoriae tribuantur; nec utilitati solum servit, sed etiam ornatui indulget.

Illud tamen in universum dici potest, tribus maxime rebus, praeceptis dicendi, stilo, et eruditione contineri.

Praecepta, etsi undique peti et observari possint, explicandi tamen non sunt in quotidiana praelectione nisi rhetorici Ciceronis libri, et Aristotelis tum Rhetorica, si videbitur, tum poetica.

Stilus (quamquam probatissimi etiam historici et poetae delibantur) ex uno fere Cicerone sumendus est: et omnes quidem eius libri ad stilum aptissimi; orationes tamen solae praelegendae, ut artis praecepta in orationibus expressa cernantur.

Eruditio denique ex historia et moribus gentium, ex auctoritate scriptorum et ex omni doctrina, sed parcius ad captum discipulorum, accersenda.

Ex graecis ad Rhetoricam pertinet syllabarum maxime dimensio, et plenior auctorum et dialectorum cognitio. Summam Logicae in fine anni Rhetoricae Magister non explicet.

Divisio temporis.

2. Divisio temporis haec erit. Prima hora antemeridiana memoria exerceatur; scripta a decurionibus collecta Praeceptor corrigat; varias interim, de quibus infra regula quinta, discipulis exercitationes iniungens; denique hesterna praelectio recolatur.

Secunda hora antemeridiana praelectioni detur, vel praeceptorum, si a prandio explicetur oratio, vel ora-

tionis, si praecepta; dummodo in eo, quod anni initio coeptum est, constantia servetur. Succedat repetitio, et, quando opus est, argumentum detur scribendae orationis vel carminis; reliquum, si quid est, temporis, vel concertationi, vel iis, quae prima hora scripserint, recognoscendis tribuatur.

Prima hora pomeridiana habeatur post repetitionem postremae nova praelectio, vel orationis, si mane praecepta exposita, vel praeceptorum, si oratio. Huic repetitio de more succedat.

Secunda hora pomeridiana, graeci auctoris postrema praelectione repetita, nova explicetur atque exigatur. Reliquum tempus, modo corrigendis graecis scriptionibus, modo graecae syntaxi et arti metricae, modo graecae concertationi reservetur.

Die vacationis explicetur historicus, vel poeta, vel aliquid ad eruditionem pertinens, et recolatur.

Die sabbati, post brevem totius hebdomadae repetitionem, mane prima hora explanetur historicus vel poeta. Ultima hora, aut habeatur ab aliquo discipulorum declamatio vel praelectio, aut ad Humanistas audiendos eatur, aut concertetur. A prandio explicetur poeta vel historicus; graeca recolantur.

Sicubi vero praeter duas horas tum mane tum vesperi semihora additur, ea historico vel poetae tribuenda: quod si fiat, sabbati praelectiones, vel non differant ab aliis diebus, vel, iis omissis, repetitio plenior instituatur et concertatio.

Memoriae exercitatio.

3. Quoniam memoriae quotidiana exercitatio Rhetoricae auditori necessaria est, atque in hac classe saepe longius praelectiones excurrunt, quam ut tradi commode memoriae possint; Praeceptor statuet ipse quid quantumque ediscendum, et quomodo, si exigere velit, recitandum. Immo ex usu esset ut subinde aliquis e suggestu recitaret, quae ex optimis auctoribus didicisset, ad memoriae exercitationem simul cum actione iungendam.

Scriptionis corrigendae ratio.

4. In scriptione corrigenda indicet, si quid in artificio oratorio aut poetico, in elegantia cultuque sermonis, in connectenda oratione, in numeris concinnandis, in orthographia, aut aliter peccatum fuerit; si quis locus perperam, si obscure, si humiliter tractatus; si decorum minime servatum; si qua digressio longior fuerit, et alia generis eiusdem. Denique, oratione absoluta, suam quisque, quam ante per partes attulerat, totam simul descriptam, aut saltem correctam Praeceptori offerat, ut eas esse ab omnibus perfectas appareat.

Exercitationes inter corrigendum.

5. Exercitationes discipulorum, dum scripta Magister corrigit, erunt, exempli gratia, locum aliquem poetae vel oratoris imitari; descriptionem aliquam, ut hortorum, templorum, tempestatis et similium efficere; phrasim eamdem modis pluribus variare; graecam orationem latine vertere, aut contra; poetae versus, tum latine tum graece, soluto stilo complecti; carminis genus aliud in aliud commutare; epigrammata, inscriptiones, epitaphia condere; phrases ex bonis oratoribus et poetis, seu graecas seu latinas excerpere; figuras rhetoricas ad certas materias accommodare; ex locis rhetoricis et topicis plurima ad rem quampiam argumenta depromere et alia generis eiusdem.

Praelectio.

6. Praelectio duplex est: altera ad artem pertinet, in qua praecepta;

altera ad stilum, in qua orationes explicantur. In utraque autem duo animadvertenda. Primum, qui auctores ad praelegendum suscipiantur, deinde quis modus interpretandi teneri possit. De primo satis dictum est regula 1; unus enim Cicero ad orationes; ad praecepta, praeter Ciceronem, Aristoteles adhibendus est. Oratio numquam praetermittenda. Praeceptorum etiam explicatio toto fere anno continuanda esset (ingens enim est vis oratoriorum praeceptorum). Huius tamen loco, ubi mos ferat, inclinante iam anno, alicuius auctoris usus, qui maiorem eruditionem aut varietatem contineat, non interdicitur. Poetae vero aliqua praelectio poterit interdum aestivo tempore vel praeceptorum vel orationis praelectionibus interponi.

Auctores.

Praeceptorum interpretatio.

7. Quod autem ad interpretandi rationem attinet, sic explicentur praecepta: primo, praecepti sensus aperiendus, interpretum collatis sententiis, si obscurior sit, nec inter eos conveniat. Secundo, alii Rhetores, qui idem praecipiant, vel idem auctor, si alibi idem praecipit, afferendus. Tertio, ipsius praecepti ratio aliqua excogitanda. Quarto, oratorum ac poetarum loci aliquot similes, maxime illustres, in quibus eo praecepto usi sint, adducendi. Quinto, si quid ex varia eruditione et historia ad rem facit, addendum. Ad extremum, quo modo ad res nostras accommodari possit, indicandum, idque quanto maximo fieri potest delectu ornatuque verborum.

Oratoris interpretatio.

8. Si vero explicetur oratio vel poema; primo, exponenda sententia, si obscura sit, et variae interpretationes diiudicandae. Secundo, tota artificii ratio, inventionis scilicet, dispositionis et elocutionis exploranda, quam apte se orator insinuet, quam apposite dicat, vel quibus ex locis argumenta sumat ad persuadendum, ad ornandum, ad movendum; quam multa saepe praecepta uno eodemque loco permisceat, quo pacto rationem ad faciendam fidem figuris sententiarum includat, rursusque figuras sententiarum figuris verborum intexat. Tertio, loci aliquot tum re tum verbis similes afferendi aliique oratores vel poetae, qui eodem praecepto ad aliquid simile persuadendum vel narrandum usi sint, producendi. Quarto, res ipsae sapientum sententiis, si res ferat, confirmandae. Quinto, ex historia, ex fabulis, ex omni eruditione, quae ad locum exornandum faciant, conquirenda. Ad extremum, verba perpendenda; eorum proprietas, ornatus, copia, numerus observandus. Haec autem non ideo allata sunt, ut semper omnia consectetur Magister; sed ut ex iis seligat, quae opportuniora videbuntur.

Argumentum scribendae orationis.

9. Dictandum argumentum orationis, vel initio cuiusque mensis totum, vel singulis hebdomadis per partes (singulis enim mensibus ad summum singulae absolvendae orationes); sit autem breve, quod per omnes eat orationis partes, locos confirmationis et amplificationis, figuras praecipuas, quae adhiberi possent; locos etiam aliquos bonorum auctorum ad imitandum, si videbitur, indicet. Interdum, demonstrato scriptore aliquo, ad cuius imitationem orationem informent, verbo tenus res proponatur.

Carminis.

10. Carminis etiam argumentum, aut scripto aut verbo, vel solam significando rem, vel certa adiecta sententia tradi potest; idque aut breve, ut epigrammatis, odae, elegiae, epi-

stolae, quod singulis vicibus expediatur; aut longius, ut pluribus vicibus, quemadmodum orationem, sic poema contexant.

Graeci thematis ratio.

11. Graeci thematis eadem fere ratio erit, nisi per aliquod tempus verbatim omnia dictanda, semel saltem in singulas hebdomadas, vel soluta oratione vel carmine, censeantur.

Concertatio.

12. Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in corrigendis iis, quae alter aemulus in alterius oratione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora se exercuerint, invicem proponendis; tum in figuris dignoscendis aut conficiendis; tum in Rhetoricae, aut epistolarum, aut carminum, aut historiae praeceptis reddendis applicandisve; tum in exponendis auctorum locis difficilioribus, et difficultatibus explanandis; tum in moribus antiquorum, rebusque ad eruditionem pertinentibus exquirendis; tum in hieroglyphicis, symbolis pythagoreis, apophthegmatis, adagiis, emblematis, aenigmatisque interpretandis; tum in declamando et similibus, ad Praeceptoris arbitrium.

Graeca praelectio.

13. Graeca praelectio, sive oratorum, sive historicorum, sive poetarum, non nisi antiquorum sit et classicorum, Demosthenis, Platonis, Thucydidis, Homeri, Hesiodi, Pindari, et aliorum huiusmodi (modo sint expurgati) inter quos iure optimo SS. Nazianzenus, Basilius et Chrysostomus reponendi. Ac priore quidem semestri oratores aut historici interpretandi; interponi autem poterunt semel in hebdomada aliqua epigrammata vel brevia poemata: posteriore vicissim explicetur poeta, interiecto semel oratore aut historico. Interpretandi ratio, quamquam, quae eruditionis artisque sunt, respuere omnino non debet; proprietatem tamen potius usumque linguae spectabit. Quamobrem locutiones aliquae singulis praelectionibus dictandae.

Graeca syntaxis et prosodia.

14. Graeca syntaxis et syllabarum dimensio ineunte anno alternis diebus, si sit opus, explicanda, syntaxis quidem breviter, praecipua quaedam capita recolendo.

Praelectio die vacationis.

15. Eruditionis causa die vacationis pro historico et poeta liceat interdum alia magis recondita proferre, ut hieroglyphica, ut emblemata, ut quaestiones ad artificium poeticum spectantes, de epigrammate, epitaphio, ode, elegia, epopoeia, tragoedia; ut de senatu romano, de atheniensi, de utriusque gentis militia; ut de re hortensi, vestiaria, de triclinio, de triumpho, de Sibyllis et aliis generis eiusdem, modice tamen.

Privata declamatio.

16. Declamatio, vel praelectio, vel carmen, vel graeca oratio, vel carmen simul et oratio, Humanistis convenientibus postrema semihora antemeridiana, ab uno aut ab altero discipulorum e suggestu alternis sabbatis habeatur.

Publica declamatio.

17. In aula templove gravior oratio aut carmen, vel utrumque, nunc latine, nunc graece; vel declamatoria actio, expositis utrimque rationibus, lataque sententia, singulis fere mensibus habeatur, non tamen, nisi recognita et approbata a Praefecto studiorum superiorum.

Carmina affigenda.

18. Affigantur carmina scholae parietibus, alternis fere mensibus, ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel magistratus promulgandos, vel alia quapiam occasione, selectissima quaeque a discipulis descripta. Immo etiam pro regionum more aliquid prosae brevioris: quales sunt inscriptiones, ut clypeorum, templo-

rum, sepulcrorum, hortorum, statuarum; quales descriptiones, ut urbis, portus, exercitus; quales narrationes, ut rei gestae ab aliquo divorum; qualia denique paradoxa; additis interdum, non tamen sine Rectoris permissu, picturis, quae emblemati vel argumento proposito respondeant.

Privata scena.

19. Poterit interdum Magister brevem aliquam actionem, eclogae scilicet, scenae dialogive, discipulis argumenti loco proponere: ut illa deinde in schola, distributis inter ipsos partibus, sine ullo tamen scenico ornatu, exhibeatur, quae omnium optime conscripta sit.

Nostrorum exercitatio.

20. Nostris exercendis, sicut omnia, quae de ratione docendi diximus, communia sunt, ita illa peculiaria, ut domi ter aut quater in hebdomada per horam, quo tempore commodissimum Rectori videbitur, repetitiones coram Magistro, aut alio, quem Rector ipse statuerit, habeant: in quibus praelectiones latinae graecaeve recolantur, solutaque oratio et carmen latine graeceve corrigantur; iubeanturque quotidie aliquid ediscendo memoriam excolere, multumque et attente legere: nihil enim aeque foecundat ingenium, quam ut ad aulae, templi scholaeque suggestum, quod illis cum externis condiscipulis commune est, addito etiam refectorio, frequentius singuli se dicendo exerceant. Ut denique publice semper in loco quopiam idoneo sua carmina, Praeceptori probata, suo adscripto nomine, proponant.

REGULAE PROFESSORIS HUMANITATIS.

Gradus.

1. Gradus huius scholae est, postquam ex Grammaticis excesserint, praeparare veluti solum eloquentiae, quod tripliciter accidit: cognitione linguae, aliqua eruditione, et brevi informatione praeceptorum ad Rhetoricam spectantium. Ad cognitionem linguae, quae in proprietate maxime et copia consistit, in quotidianis praelectionibus explicetur ex oratoribus unus Cicero iis fere libris, qui Philosophiam de moribus continent; ex historicis Caesar, Sallustius, Livius, Curtius, et si qui sunt similes; ex poetis praecipue Virgilius, exceptis eclogis et quarto Aeneidos; praeterea odae Horatii selectae, item elegiae, epigrammata, et alia poemata illustrium poetarum antiquorum, modo sint ab omni obscoenitate expurgati. Eruditio modice usurpetur, ut ingenium excitet interdum ac recreet, non ut linguae observationem impediat.

Praeceptorum Rhetoricae brevis summa ex Cypriano, secundo scili-

cet semestri, tradetur : quo tempore, omissa Philosophia Ciceronis, faciliores aliquae eiusdem orationes, ut pro lege Manilia, pro Archia, pro Marcello, caeteraeque ad Caesarem habitae sumi poterunt. Graecae linguae pars illa pertinet ad hanc scholam, quae syntaxis proprie dicitur. Curandum praeterea, ut mediocriter scriptores intelligant, et scribere aliquid graece norint.

Divisio temporis.

2. Divisio temporis haec erit. Prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius et ars metrica apud decuriones; scripta a decurionibus accepta Praeceptor corrigat, varias interim, de quibus infra, regula 4, discipulis exercitationes iniungens; ad extremum publice nonnulli recitent, et decurionum notae a Magistro cognoscantur.

Secunda hora matutina repetatur postrema breviter praelectio, novaque per semihoram, vel paulo amplius explicetur; mox exigatur, et, si quid supersit temporis, in mutua discipulorum concertatione ponatur.

Ultima semihora initio primi semestris historicus et ars metrica alternis diebus; arte vero metrica absoluta, historicus quotidie percurratur, altero deinde semestri Cypriani Rhetorica quotidie modo explicetur, modo recolatur, aut disputetur.

Prima hora pomeridiana memoriter poeta graecusque auctor recitetur, recognoscente Magistro decurionum notas, scriptaque, vel quae mane imperata sunt, vel quae ex domo allatis superfuerint, corrigente. Ad extremum thema dictetur.

Sesquihora consequens poetae tum recolendo, tum explicando, et graecae tum praelectioni, tum scriptioni ex aequo dividatur.

Die vacationis prima hora recitetur memoriter quod proxima vacatione praelectum est; et scriptiones, quae supersunt, de more corrigantur. Secunda hora aliquid epigrammatum aut odarum aut elegiarum; sive aliquid ex libro tertio Cypriani de tropis, de figuris, et praecipue de numero ac pedibus oratoriis, ut iis initio anni assuescant, sive chria aliqua aut progymnasma explicetur recolaturque, sive denique concertetur.

Die sabbati mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadae praelectiones; hora secunda recolantur. Ultima semihora, aut habeatur ab aliquo discipulorum declamatio vel praelectio, aut ad Rhetoricae auditores audiendos eatur, aut concertetur.

A prandio prima semihora reddatur memoriter poeta et catechismus, Magistro scripta, si quae per hebdomadam superfuerint, et decurionum notas recognoscente.

Sesquihora consequens poetae recolendo, vel alicui brevi poemati explicando exigendoque, et graecis eodem modo ex aequo dividatur.

Ultima semihora in explicatione catechismi, vel pia cohortatione, nisi feria sexta habita sit, ponetur ; sin autem, in ea re ferme, in cuius locum tum catechismus successerat.

Scriptionis corrigendae ratio.

3. In scriptione corrigenda indicet, si quid minus proprium, aut elegans, aut numerosum sit; si minus recte locus ad imitandum propositus expressus; si quid in orthographia aliterve peccatum sit: variis modis idem efferri iubeat, ut dicendi copiam ex hac exercitatione nanciscantur.

Exercitationes inter corrigendum.

4. Exercitationes, dum scripta corrigit, erunt, exempli gratia, ex praelectionibus phrases excerpere, easque

pluribus modis variare, Ciceronis periodum dissolutam componere, versus condere, carmen unius generis alio permutare, locum aliquem imitari, graece scribere, et alia generis eiusdem.

Praelectio.

5. Praelectio eruditionis ornamentis leviter interdum aspersa sit, quantum loci explicatio postulat; se totum potius Magister effundat in latinae linguae observationes, in vim etymologiamque verborum, quam ex probatis petet auctoribus, maxime ex antiquis, in locutionum usum ac varietatem, in auctoris imitationem; nec alienum putet aliquid patrio interdum sermone efferre, si vel ad interpretandum in primis valeat, vel aliquid habeat eximii. Quando autem orationem explicat, praecepta artis exploret. Ad extremum licebit, si videatur, omnia patrio sermone, sed quam elegantissimo, vertere.

Argumentum scribendi.

6. Dictandum argumentum scribendi; primo quidem semestri, ad epistolae fere formam, vulgi sermone ad verbum: quod saepe proderit ita componere, ut totum ex praelectionibus iam explicatis hinc inde decerptum sit. Semel autem fere in hebdomada suo marte conscribant, aliquo prius epistolarum genere explicato, indicatisque Ciceronis aut Plinii epistolis ad illud pertinentibus. Altero deinde semestri excitetur ingenium; et chriae primo, tum prooemia, narrationes et exornationes, facili ac fuso argumento proposito, conficiantur. Carminis argumentum latine dictet multa locutionum varietate. Graeci thematis eadem ac latinae prosae ratio erit, nisi quod fere ex ipso auctore depromendum, et ratio syntaxeos praemonstranda.

Concertatio.

7. Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in iis, quae alter aemulus in alterius scriptione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora se exercuerint, proponendis; tum in phrasibus a Praeceptore habitis memoriter dicendis, aut variandis; tum in epistolarum ac Rhetoricae praeceptis reddendis aut applicandis; tum in exquirenda quantitate syllabarum, allata memoriter regula vel poetae exemplo; tum in proprietate aut etymologia aliqua investiganda; tum in aliquo graeci latinive auctoris loco interpretando; tum in graecis difficilioribus et anomalis verbis inflectendis formandisque, et aliis generis eiusdem, ad Praeceptoris arbitrium.

Ars metrica et Rhetorica.

8. Ars metrica celeriter recurretur, in iis solum inhaerendo, quibus magis egere videbuntur, et exercendo potius, quam explicando. Rhetoricae item Cypriani, non tam verba, quam praecepta breviter illustrentur, additis ex eodem libello exemplis, et, si res ferat, ex quotidianis praelectionibus.

Graeca praelectio.

9. Graeca praelectione alternis diebus Grammatica et auctor explanabitur. Grammaticae quidem, breviter decursis iis, quae in prima classe tradita fuerant, syntaxim et rationem accentuum persequatur.

Auctor vero primo semestri solutae orationis sumetur ex facilioribus, ut aliquae orationes Isocratis, et SS. Chrysostomi et Basilii, ut ex epistolis Platonis et Synesii, ut aliquid selectum ex Plutarcho; altero semestri carmen aliquod explicabitur, exempli gratia, ex Phocylide, Theognide, S. Gregorio Nazianzeno, Synesio, et horum similibus.

Explicatio autem, ut huius scholae fert gradus, linguae potius cognitioni, quam eruditioni serviat.

Inclinante autem anno, graecarum syllabarum ratio tradi poterit cum auctore alternis diebus. Poterunt etiam interdum dissoluta carmina concinnari.

Carmina affigenda.

10. Affigantur carmina scholae parietibus alternis fere mensibus, ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel magistratus promulgandos, vel alia quapiam occasione, selectissima quaeque a discipulis descripta: immo etiam pro regionum more aliquid prosae brevioris, quales sunt inscriptiones, ut clypeorum, sepulcrorum, hortorum, statuarum; quales descriptiones, ut urbis, portus, exercitus; quales narrationes, ut rei gestae ab aliquo divorum; qualia denique paradoxa: additis interdum, non tamen sine Rectoris permissu, picturis, quae emblemati vel argumento proposito respondeant.

REGULAE PROFESSORIS

SUPREMAE CLASSIS GRAMMATICAE.

Gradus.

1. Gradus huius scholae est absoluta Grammaticae cognitio: ita enim recolit ab initio syntaxim, ut addat omnes appendices, deinde explicet constructionem figuratam, et de arte metrica; in graecis autem octo partes orationis, seu quaecumque rudimentorum nomine continentur, dialectis ac difficilioribus exceptionibus et appendicibus exceptis. Quod ad lectiones pertinet, ex oratoribus quidem explicari poterunt primo semestri gravissimae quaeque Ciceronis ad familiares, ad Atticum, ad Quintum fratrem epistolae; altero vero liber de Amicitia, de Senectute, Paradoxa, et alia huiusmodi. Ex poetis vero primo semestri selectae aliquae ac purgatae Ovidii tum elegiae, tum epistolae; altero quaedam item selecta et purgata ex Catullo, Tibullo, Propertio et Virgilii eclogis; vel etiam libri eiusdem Virgilii faciliores, ut quartus Georgicorum, quintus et septimus Aeneidos; ex graecis S. Chrysostomus, Aesopus, Agapetus, et horum similes.

Divisio temporis.

2. Divisio temporis haec erit. Prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius et Grammatica decurionibus; scripta a decurionibus collecta Praeceptor corrigat, varias interim, de quibus infra, regula quarta, discipulis exercitationes iniungens.

Secunda hora matutina repetatur postrema breviter Ciceronis praelectio, novaque per semihoram explicetur atque exigatur; postremo thema dictetur.

Ultima semihora matutina, Grammaticae praelectione repetita, nova explicetur et exigatur, admixta interdum concertatione. Ac primo quidem semestri praecepta constructionis, in inferiore schola tradita, decurrantur, propria deinceps ex professo explicentur; alternis vero diebus artis metricae praecepta generalia, omissis exceptionibus: posteriore autem semestri recolatur per duos minimum menses pars illa Grammaticae, quae est propria primae classis, et alternis diebus ars metrica, regulas iam explicatas breviter percurrendo, in aliis, quantum necesse est, haerendo: absoluta vero repetitione Grammaticae, quotidie deinceps ars metrica explicetur, adiectis exceptionibus, carminum generibus, et quae de patronymicis, atque accentu traduntur. Prima semihora pomeridiana memoriter poeta graecusque auctor recitetur, recognoscente Magistro decurionum notas, scriptaque, vel quae mane imperata sunt, vel quae ex domo allatis superfuerint, corrigente.

Sesquihora consequens poetae tum recolendo, tum explicando, et graecae tum praelectioni, tum scriptioni ita dividatur, ut graecis paulo plus detur, quam semihora.

Ultima semihora, vel quod illius reliquum fuerit, in concertationibus collocandum.

Die sabbati mane publice recitentur memoriter totius hebdomadae vel totius libri praelectiones; secunda hora recolantur; ultima semihora concertetur. Idem fiat a prandio, nisi quod prima hora etiam memoriter recitatur catechismus.

Ultima semihora in explicatione catechismi, vel pia cohortatione, nisi feria sexta habita sit, ponetur; sin autem, in ea re ferme, in cuius locum tum catechismus successerat.

Scriptionis corrigendae ratio.

3. In scriptione corrigenda indicet, si quid contra praecepta Grammaticae, orthographiae, interpunctionis peccatum sit; si declinatae difficultates, si non habita elegantiae aut imitationis ratio.

Exercitationes inter corrigendum.

4. Exercitationes tradendae discipulis, dum scripta corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata, tum ad auctoris imitationem tum ad syntaxis praecepta, latina facere, lectionem ciceronianam ex latino in patrium sermonem transferre, eamdem latine transcribere, inde phrases elegantiores excerpere; ex Grammaticae praeceptis recens explicatis dubitationes aemulis et locutiones proponendas depromere, dissolutos versus concinnare aut conficere, graeca describere, et alia generis eiusdem.

Praelectio.

5. Praelectionis forma haec erit: primum quidem, argumentum, tum latino tum patrio sermone, perstringat. Deinde, unamquamque periodum ita interpretetur, ut vernacula expositio latinae subinde subiiciatur. Tertio, a capite recurrens (nisi malit ipse explicationi inserere), binas aut ternas seligat voces, quarum vim aut originem expendat, unoque aut altero eiusdem praesertim auctoris exemplo confirmet. Translationes etiam evolvat ac demonstret, fabulas cum historiis, et quae ad eruditionem pertinent, si quae incidant, brevi expediat; binas etiam ternasve phrases elegantiores excerpat. Postremo, scriptoris verba vulgi sermone decurrat. Licebit autem latinum argumentum, observationes, proprietates et phrases quam brevissime dictare.

Argumentum

6. Dictandum argumentum scri-

scribendi. bendi, ad epistolae fere formam, vulgi sermone ad verbum, quod ad praecepta syntaxeos et ad Ciceronis imitationem referatur. Semel autem, fere singulis mensibus, aut domi, loco quotidianae scriptionis, aut in schola, ad magistratus creandos, ubi aliquantum profecerint, suo marte conscribant, aliquo prius epistolarum genere explicato, indicatisque Ciceronis epistolis ad illud pertinentibus, et aliquot ab ipso Praeceptore eiusdem generis dictatis exemplis.

7. Carmina poterunt initio quidem soluto solum verborum ordine, mox etiam verbis aliquibus immutatis, ad extremum facillimo argumento cum multa locutionum varietate dictari.

Graecum thema.

8. Graeci thematis eadem ac latinae prosae ratio erit, nisi quod fere ex ipso auctore depromendum, et ratio syntaxeos praemonstranda.

Graeca praelectio.

9. Graecae praelectionis, quae quadrantem horae vix excedet, eadem ratio sit, nisi quod, cum graecus auctor sumitur, (sumi autem poterit, quando Praefectus censuerit, alternis cum Grammatica diebus) verba singula tractanda sunt, facillimis etiam in universum, si videatur, syntaxeos regulis indicatis.

Concertatio.

10. Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in iis, quae alter aemulus in alterius scriptione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora se exercuerint, proponendis; tum in phrasibus a Praeceptore habitis memoriter dicendis; tum in vernaculis locutionibus mutuo ex praescripto syntaxeos aut ad Ciceronis imitationem exigendis aut variandis, (faciendumque, ut locutionem propositam statim, qui interrogatur, iisdem reddat verbis, eamque paulisper meditatus, non verbatim, sed totam simul latine efferat); tum in epistolarum praeceptis reddendis; tum in exquirenda quantitate syllabarum, allata memoriter regula vel poetae exemplo; tum in proprietate aut etymologia aliqua investiganda; tum in aliquo graeci latinive auctoris loco interpretando; tum in graecis nominibus aut verbis inflectendis formandisque, et aliis id genus, ad Praeceptoris arbitrium.

REGULAE PROFESSORIS

MEDIAE CLASSIS GRAMMATICAE.

Gradus.

1. GRADUS huius scholae est, totius quidem Grammaticae, minus tamen plena cognitio: explicat enim ab initio libri secundi usque ad figuratam constructionem, facillimis solum adiunctis appendicibus; seu, iuxta romanam methodum, a communi verborum constructione usque ad figuratam, additis facilioribus appendicibus.

Ex graecis, ad hanc scholam pertinent nomina contracta, verba circumflexa, verba in μι, et faciliores formationes. Ad praelectiones vero non nisi familiares Ciceronis epistolae, et facillima quaeque Ovidii carmina; et secundo semestri, si Praefectus censeat, graecus catechismus aut Cebetis tabula.

Divisio temporis.

2. Divisio temporis haec erit: prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius et Grammatica apud decuriones; scripta a decurionibus collecta Praeceptor corrigat, varias interim, de quibus infra, regula quarta, discipulis exercitationes iniungens.

Secunda hora matutina repetatur postrema breviter Ciceronis praelectio, novaque per semihoram explicetur atque exigatur; postremo thema dictetur.

Ultima semihora matutina aliquid ex primo Grammaticae libro, ut de declinatione nominum, ac deinceps de praeteritis ac supinis, quod concertando etiam exerceatur, recolendum.

Prima hora pomeridiana memoriter Grammatica, tum latina tum graeca, et suis diebus poeta recitetur, recognoscente Magistro decurionum notas, scriptaque, vel quae mane imperata sunt, vel quae ex domo allatis superfuerint, corrigente; ad extremum Grammaticae et alternis diebus poetae postrema praelectio recolatur.

Secunda hora pomeridiana per semihoram syntaxis explicetur et repetatur; posteriore tamen semestri syntaxis item, et alternis diebus poeta explicetur. Per alteram semihoram graeca tradantur.

Ultima semihora concertationi seu exercitationi tribuatur.

Die sabbati mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadae vel totius libri praelectiones, secunda hora recolantur. Ultima semihora concertetur. Idem fiat a prandio, nisi quod prima hora cum Grammatica et poeta recitatur etiam catechismus. Ultima semihora in explicatione catechismi, vel nonnum-

quam pia cohortatione, nisi feria sexta habita fuerit, ponetur: sin autem, in ea re ferme, in cuius locum tum catechismus successerat.

Scriptionis corrigendae ratio.

3. In scriptione corrigenda indicet, si quid contra praecepta Grammaticae, orthographiae, interpunctionis peccatum sit; si declinatae difficultates; omnia ad grammaticarum praeceptionum normam expendat; coniugationesque ipsas et rudimenta, sumpta occasione, in memoriam revocet.

Exercitationes inter corrigendum.

4. Exercitationes, dum scripta corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata, tum ad auctoris imitationem, tum praecipue ad syntaxis praecepta, latina facere; lectionem Ciceronis vulgi sermone convertere, eumdem latine transcribere; ex Grammaticae praeceptis, recens praesertim explicatis, dubia aemulis et locutiones proponendas depromere; graeca describere, et alia generis eiusdem.

Grammatica exigenda.

5. In repetitione praelectionis capiat interdum occasionem difficiliora declinandi, coniugandi, et Grammaticae quomodocumque exigendae.

Praelectio Ciceronis.

6. Praelectionis ciceronianae, quae septenos fere versus non excedet, haec forma sit: primo, totam continenter pronuntiet, eiusque argumentum brevissime patrio sermone perstringat. Secundo, periodum ad verbum vulgi sermone interpretetur. Tertio, a capite recurrens, structuram indicet; et periodum retexens, quae verba quos casus regant, ostendat; pleraque ad explicatas Grammaticae leges perpendat; latinae linguae observationem unam aut alteram, sed quam facillimam, afferat; metaphoras exemplis rerum notissimarum demonstret; unam denique aut alteram phrasim excerpat, quas solas cum argumento dictabit. Quarto, scriptoris iterum verba vernaculo sermone decurrat.

Argumentum scribendi.

7. Dictandum argumentum scribendi vulgi sermone ad verbum, perspicuum, nec fere versibus septenis longius, quod ad praecepta syntaxis et Ciceronis imitationem referatur. Interdum discipuli aliquam Ciceronis brevem versionem, aut aliquod graecum tempus seu nomen subscribere iubeantur.

Grammaticae praelectio.

8. Grammaticae praelectio non nisi singula praecepta, ad summum cum brevi aliqua appendice aut exceptione, contineat.

Graeca praelectio.

9. In graecis tradendis eadem proportione serventur; et fere ex usu videtur esse vernaculas voces casibus ac personis addere, omniaque plerumque voce patria declarare.

Concertatio.

10. Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in iis, quae alter aemulus in alterius scriptione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora se exercuerint, proponendis; tum in phrasibus a Praeceptore habitis memoriter dicendis; tum in vernaculis locutionibus mutuo, ex praescripto syntaxeos aut ad Ciceronis imitationem, exigendis (faciendumque, ut locutionem propositam statim, qui interrogatur, iisdem repetat verbis, eamque, paulisper meditatus, non verbatim, sed totam simul latine efferat); tum in difficilioribus nominibus ac verbis, quae praesertim in praelectione occurrerint, vel continenti vel interrupto casuum ac temporum ordine, vel singulis per se, vel coniuncto simul adiectivo substantivoque et pronomine, inflectendis; tum in praeteritis et supinis quam celerrime reddendis, in graecis exigendis, et aliis id genus, arbitrio Praeceptoris.

REGULAE PROFESSORIS

INFIMAE CLASSIS GRAMMATICAE.

Gradus.

1. Gradus huius scholae est, rudimentorum perfecta, syntaxis inchoata cognitio; incipit enim a declinationibus usque ad communem verborum constructionem. Et quidem, ubi duo erunt ordines, inferiori, ex primo libro nomina, verba, rudimenta, praecepta quatuordecim de constructione, genera nominum tribuentur: superiori vero, ex primo libro, de nominum declinatione, sine appendicibus, et de praeteritis ac supinis; e secundo autem, introductio syntaxis sine appendicibus usque ad impersonalia. Graece vero inferior quidem ordo legere et scribere; superior vero nomina simplicia, verbum substantivum, et barytonum ediscet. Ad praelectiones non nisi facillimae quaeque, atque ad hanc rem selectae, et, si fieri potest, separatim excusae Ciceronis epistolae adhibeantur.

Divisio temporis.

2. Divisio temporis haec erit: prima hora matutina memoriter M. Tullius et Grammatica apud decuriones recitetur; scripta a decurionibus collecta Praeceptor corrigat, varias interim, de quibus infra, regula quarta, discipulis exercitationes iniungens.

Secunda hora matutina repetatur postrema breviter Ciceronis praelectio, novaque per semihoram explicetur atque exigatur; postremo thema dictetur.

Ultima semihora matutina utrique ordini aliquid ex primo Grammaticae libro, iuxta partem cuique descriptam, explicetur aut recolatur, vel alterno quoque die singulis ordinibus, vel quotidie utrique; postea vero omnia, vel a Magistro, vel invicem per concertationem reposcantur. Quibus autem diebus novum a prandio praeceptum constructionis non erit proponendum (pluribus enim diebus fere singula inculcanda sunt), tum praelectio haec matutina in locum pomeridianae succedat; ultima autem semihora matutina tota concertationi seu exercitationi concedatur.

Prima hora pomeridiana memoriter Grammatica, tum latina tum graeca, recitetur, recognoscente Magistro decurionum notas, scriptaque, vel quae mane imperata sunt, vel quae ex domo allatis superfuerint, ad summum per semihoram corrigente. Ad extremum postrema Grammaticae praelectio recolatur.

Secunda hora pomeridiana superiori quidem ordini syntaxis, inferiori vero rudimenta de generibus nomi-

num, ac deinceps quatuordecim praecepta explanentur; graecis vero paulo plus quadrante tribuatur.

Ultima semihora concertetur, vel aliquod dictatum ex Grammaticae legibus expendatur.

Die sabbati mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadae praelectiones; secunda hora recolantur; ultima semihora concertetur.

Idem fiat a prandio, nisi quod prima hora simul cum Grammatica recitatur etiam catechismus. Ultima semihora in explicatione catechismi, vel pia cohortatione, nisi feria sexta habita fuerit, ponetur: sin autem, in ea re ferme, in cuius locum tum catechismus successerat.

Scriptionis corrigendae ratio.

3. In scriptione corrigenda indicet, si quid contra praecepta Grammaticae, orthographiae, interpunctionis peccatum, si declinatae difficultates; omnia ad grammaticarum praeceptionum normam expendat; coniugationes et declinationes ex occasione repetere non omittat.

Exercitationes inter corrigendum.

4. Exercitationes discipulorum, dum scripta Magister corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata e syntaxis praescripto latina facere; lectionem ciceronianam ex latino in vulgi sermonem transferre; eamdem latine transcribere; ex Grammaticae praeceptis, recens praesertim explicatis, dubia aemulis et locutiones proponendas depromere; concordantias concinnare aut componere; graeca describere, et alia generis eiusdem.

Grammatica exigenda.

5. In repetitione praelectionis capiat saepe occasionem declinandi, coniugandi, et Grammaticae quomodocumque exigendae.

Praelectio Ciceronis.

6. Praelectionis ciceronianae, quae quaternos fere versus non excedet, haec forma sit: primum, totam continenter pronuntiet, eiusque argumentum brevissime vulgi sermone perstringat. Secundo, periodum ad verbum vulgari sermone interpretetur. Tertio, a capite recurrens, structuram indicet, et, periodum retexens, quae verba quos casus regant, ostendat; pleraque ad explicatas Grammaticae leges perpendat; latinae linguae observationem unam aut alteram, sed quam facillimam, afferat; metaphoras exemplis rerum notissimarum demonstret, nec quidquam, nisi forte argumentum, dictet. Quarto, scriptoris iterum verba vulgi sermone decurrat.

Argumentum scribendi.

7. Dictandum argumentum scribendi vulgi sermone ad verbum, perspicuum, nec fere versibus quaternis longius, quod ad praecepta Grammaticae potissimum referatur; eique interdum disciputi aliquam Ciceronis brevem versionem, aut locutionem ex praescripto syntaxis, aut ea ipsa, quae sunt ex graecis rudimentis ediscenda, aut alia id genus subscribere iubeantur.

Grammaticae praelectio.

8. Grammaticae praelectio non nisi singula ad summum praecepta contineat, quae nisi bene percepta sint, ad alia non veniatur.

Concertatio.

9. Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in iis, quae alter aemulus in alterius scriptione deprehenderit, tum in iis, in quibus prima hora se exercuerint, proponendis; tum vernaculis locutionibus invicem ad syntaxis praescriptum exigendis (faciendumque, ut locutionem propositam statim, qui interrogatur, iisdem reddat verbis, eamque, paulisper meditatus, non verbatim, sed, quoad eius fieri potest, totam simul latine effe-

rat); tum in difficilioribus nominibus ac verbis, quae praesertim in praelectione occurrerint, vel continenti vel interrupto casuum ac temporum ordine, vel singulis per se, vel coniuncto simul adiectivo substantivoque et pronomine, inflectendis; tum in rudimentorum definitionibus, et exemplis proferendis; tum in verborum flexionibus ex latino in patrium, ex patrio sermone in latinum celeriter vertendis; tum in iis, quae activa voce dicta sunt, passive efferendis; tum in praeteritis et supinis, tum in nominum generibus et casibus, quaecumque proposita fuerunt, indicandis; et horum similibus, ad Praeceptoris arbitrium.

REGULAE SCHOLASTICORUM

NOSTRAE SOCIETATIS.

Animi puritas et intentio. *P. 4 c. 6 n. 1.*

1. In primis, animi puritatem custodire et rectam in studiis intentionem habere Scholastici nostri conentur, nihil aliud in his, nisi divinam gloriam et animarum fructum quaerentes; et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant, ut tandem idonei, sicut ab iis sperat Societas, ad vineam Christi Domini nostri exemplo ac doctrina excolendam evadant. *P. 4 c. 3 n. 2.*

Solidarum virtutum cum studiis coniunctio. *P. 4 c. 6 n. 2. P. 4 c. 4 n. 2.*

2. Serio et constanter ad studia animum applicare deliberent: utque cavendum sibi putent, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosae vitae amor, ita sibi vicissim persuadeant, nihil gratius se Deo facturos in Collegiis, quam si ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant. Et, licet numquam ad exercenda ea, quae didicerint, perveniant, illum tamen studendi laborem ex obedientia et charitate, ut par est, susceptum, opus esse magni meriti in conspectu divinae et summae Maiestatis apud se statuant.

Ex Superioris praescripto studendum. *P. 4 c. 5 n. 2. P. 4 c. 6 n. 6.*

3. Iis Facultatibus singuli operam dabunt, eosque audient Praeceptores, quos Superior assignabit: praescriptam vero a Praefecto vel a Magistro divisionem temporis ac rationem studendi servent diligenter universi, nec aliis, quam ab eodem Praefecto sibi traditis, utantur libris.

Diligentia. *P. 4 c. 6 n. 8.*

4. In audiendis lectionibus sint assidui, et in eis praevidendis diligentes, et, postquam eas audierint, repetendis; iis, quae non intellexerint, interrogandis; aliis vero, quae oportuerit, adnotandis, quo in posterum memoriae defectui consulatur.

Disputationes publicae. *P. 4 c. 6 n. 10.*

5. Intersint ordinariis scholarum, ad quas accedunt, disputationibus,

et singulare sui specimen in doctrina praebere, modeste tamen, curent.

Privatae. P. 4 c. 6 n. 11.

6. Privatis praeterea et quotidianis disputationibus ac repetitionibus omnes intersint; et qui disputant, ei, qui praeest, religiose obediant.

Modestia. P. 4 c. 4 n. 6.

7. Cum ad publicas scholas eundum erit, eant et redeant invicem associati cum ea modestia interiore et exteriore, quae ad sui et aliorum aedificationem conveniat.

Colloquia cum externis. P. 4 c. 4 n. 6.

8. Eorum colloquia, qui cum Scholasticis externis loquendi habuerint facultatem, sint solum de rebus ad litteras vel ad profectum spiritus pertinentibus, prout ad maiorem Dei gloriam omnibus utilius fore iudicabitur.

Latinae linguae usus. P. 4 c. 6 n. 13. P. 4 c. 13 n. 3.

9. Omnes quidem, sed praecipue Humaniorum Litterarum studiosi, latine loquantur, atque hi memoriae, quod a suis Magistris praescriptum fuerit, commendent, ac stilum in compositionibus diligenter exerceant.

Studii tempus. P. 4 c. 4 n. 1.

10. Ultra duas horas nemo aut legendo aut scribendo ad laborem incumbat, quin studium intermittat aliquantulo temporis intervallo.

Privati studii ratio. P. 4 c. 6 n. 14, M.

11. Horis privato studio attributis, qui superioribus Facultatibus dant operam, domi relegant quae scripserunt in scholis, eaque curent intelligere; et intellecta sic examinent, ut ipsi sibi obiiciant, et quae obiecerint solvant; quae nequeunt, adnotent ad interrogandum vel disputandum.

INSTITUTIO EORUM,

QUI PER BIENNIUM

PRIVATO STUDIO THEOLOGIAM REPETUNT.

Quae Scholasticorum Regulae illis communes. P. 4 c. 15 n. 3.

1. Scholasticorum Regulas, praeter eas, quae ad lectiones in scholis audiendas earumque repetitiones pertinent, non secus ac caeteri discipuli observent; praesertim vero, ne studiorum fervore solidarum virtutum amor intepescat, omni diligentia curent.

Collationi casuum et disputationibus intersint.

2. Similiter ut alii Theologiae auditores collationi casuum, omnibus actibus, et menstruis etiam eorum disputationibus intersint.

Argumenta quando resument.

3. In Philosophorum autem disputationibus menstruis, non solum interesse debebunt, sed poterunt etiam argumenta resumere, itemque in hebdomadariis Theologorum, si Magistri non adsint.

Quaestiones omissae, vel compendio tractatae.

4. Pro ratione studendi et distributione horarum a Praefecto praescripta, diligens et accuratum studium instituant earum materiarum, quas vel nullo modo vel compendio audierunt, adhibitis commentariis eo-

rum, qui eas diligentius pertractarunt.

Studium praecipuarum quaestionum.

5. Deinde studeant praecipuis disputationibus totius Theologiae, v. g. ex prima parte de visione, de scientia, de praedestinatione, de Trinitate; itemque ex aliis partibus, tum ea, quae ab aliis scripta sunt, diligenter perpendendo, tum proprio etiam ingenio capita quaedam et principia Theologiae, unde praecipuarum quaestionum series pendeat, disponendo, servatis tamen quam diligentissime iis, quae de doctrina S. Thomae sequenda a Societate constituta sunt.

P. 4 c. 14 n. 1. C. 5 can. 9 d. 41, 56.

Scribendae ex professo quaestiones.

6. Scribant ex instituto quaestiones aliquas cum suis fundamentis, et conclusionibus, et obiectorum solutionibus more scholastico, perinde ac si eas praelegere in schola deberent, easque singulis vel alternis saltem mensibus Praefecto studiorum ostendant, ut ab eo dirigantur.

Privatae lectiones.

7. Habere etiam interdum poterunt eiusmodi lectiones, vel privatim coram nostris Doctoribus, vel in ipsis repetitionibus Theologorum, per tres circiter horae quadrantes, ut ad extremum Patres, qui adsunt, argumentari possint; vel denique, si videatur, in refectorio.

Publicae.

8. Consimiles quaestiones habere etiam poterunt de praeclara aliqua materia, quae denis ad summum praelectionibus absolvatur in ea schola, eoque tempore, ut qui voluerint Theologi convenire possint.

Actus.

9. Distribuatur illis tempus, ad quatuor actus particulares et unum generalem habendum; et primus quidem particularis sub initium fere primi semestris, alter in fine, et sic deinceps singulis semestribus reliqui celebrentur, ita ut generalis ultimum semestre claudat.

Suas opiniones qua ratione liceat defendere.

10. Liberum eis sit in actibus a Magistrorum suorum sententiis discedere, suasque, si libeat, tueri, dummodo nulla ratione alienae sint a S. Thomae doctrina, ex quintae Congregationis decreto: ita tamen, ut, non solum de sententiis ipsis, sed etiam de fundamentis ac principiis, quibus eas tueri volunt, tempestive cum Praefecto, eoque qui praesidere debet, consentiant. Immo, quo melius sui ingenii specimen dent, sinet Praeses eos libere respondere, nec, nisi cum maxime necesse sit, interpellabit.

C. 5 d. 41, 56. C. 22 d. 37 n. 1. C. 28 d. 15.

Eruditio.

11. Intelligant denique biennio hoc curandum sibi esse, ut, non solum in Theologia docti ac prompti, sed in omni etiam ecclesiastica eruditione, quae Theologum maxime decet, evadant.

Concilia, controversiae, canones. *P. 4 c. 5, B.*

12. Itaque singulis diebus certum tempus habeant ad accuratam Sacrae Scripturae, Conciliorum, controversiarum, et canonum lectionem, et semper aliquo ordine notent, quae notatu digna videbuntur; nihil tamen parent ad conciones ex professo: et ex hoc studio aliquid interdum praelegant, vel in triclinio vel alibi, prout Superiori videbitur.

Canonum studium.

13. In canonum studio partem iudiciariam omittant, in ecclesiastica toti versentur.

Naturae propensio attendenda.

14. Speciatim in id maxime studium incumbant, ad quod se magis propensos senserint, re diligenter cum Superiore communicata; ita tamen, ut ex aliis, quae praescribuntur, nullum omittant.

REGULAE

ADIUTORIS MAGISTRI, SIVE BIDELLI.

Magistro obtemperet.

1. Huius munus erit omnia, quae a Magistro, de scholarum potissimum exercitationibus, iniuncta fuerint, diligenter exsequi.

Agenda circa scholam.

2. Curet, ut et classis et cathedra munda sit; ut in ea pie depicta aliqua tabella pendeat; ut subselliorum sit satis; ut munda eadem sint ac recte disposita; ut quassata vel fracta reficiantur; ut certa Nostris scamna, itemque aliis Religiosis, separata ab externis assignentur; ut scholae tempestive aperiantur.

Discipuli opportune monendi.

3. Eos opportune moneat, ad quos deinceps per vices disputare, repetere, theses defendere, aliaque huiusmodi praestare, ut constitutum a Magistro fuerit, pertinebit.

De conclusionibus.

4. Praemoneat septem fere ante diebus eos, qui hebdomadarias theses sunt defensuri. Curabit autem, ut eae propositiones in tempore conscriptae sint. Eas vero primum ad Magistrum perferet corrigendas, tum ad Praefectum recognoscendas: quibus denique correctis atque recognitis, eum, qui defensurus est, admonebit, ut, quot erunt opus, exempla descripta afferat; eorum autem unum bene descriptum, pridie quam sit disputandum, mane publice affiget, reliqua disceptantibus deinde distribuet. *P. 4 c. 6 n. 10.*

Horologium.

5. Horologium, tum in lectionibus tum in disputationibus, semper habeat, ac tum Praefectum tum Praeceptorem tempestive temporis elapsi admoneat, quo spatia ad disputandum singulis praestituta serventur; et ex praescripto Praefecti signum det disputantibus, tum inchoandi tum finiendi.

Publici actus.

6. Classem vel aulam ad publicos actus iuxta academiarum consuetudinem ornandam curet, iisque, qui ad huiusmodi actus aut ad quascumque disputationes invitati fuerint, sive argumentandi sive eas cohonestandi causa, loca distribuat.

Quid ad Superiorem deferendum. *P. 4 c. 6 n. 15.*

7. Si quem Nostrorum abesse a praelectionibus, repetitionibus, disputationibus, aut aliquid eorum omittere, quae ad studiorum rationem vel morum disciplinam pertinent, notaverit, ad Superiorem deferet.

REGULAE

EXTERNORUM AUDITORUM SOCIETATIS.

Doctrina pietati iungenda. *P. 4 c. 7 n. 1. P. 4 c. 16 n. 4.*

1. Qui discendi causa Societatis Iesu gymnasia frequentant, intelligant, Deo iuvante, non minus curatum iri pro viribus, ut pietate caeterisque virtutibus, quam ut ingenuis artibus imbuantur.

Quae cuiusque schola. *P. 4 c. 13 n. 4.*

2. Eam quisque classem frequentabit, quae illi post examen a Praefecto fuerit assignata.

Confessio et Missa. *P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 1.*

3. Singulis saltem mensibus omnes peccata confiteantur, ac Missae Sacrificio quotidie constituta hora, concioni vero diebus festis decenter intersint.

Doctrina christiana. *P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 2.*

4. Explicationi catechismi singulis hebdomadis omnes intersint, eiusque compendium ediscant, ut a Magistris fuerit constitutum.

Arma in scholam non inferenda.

5. Nemo ex nostris discipulis gymnasium cum armis, gladiolis, cultris, aut aliis eiusmodi, quae pro locis aut temporibus interdicta fuerint, ingrediatur.

A quibus abstinendum. *P. 4 c. 16 n. 4.*

6. Abstineant omnino a iureiurando, a contumeliis, iniuriis, detractionibus, mendaciis, a ludis vetitis, a locis etiam noxiis vel a Praefecto scholarum interdictis, denique a rebus omnibus, quae morum honestati adversentur.

Corrector, ut adhibendus. *P. 4 c. 7 n. 2. P. 4 c. 16 n. 5.*

7. Intelligant in iis, quae ad mores ac studia bonarum artium spectant, cum praecepta sive admonitiones minus proderunt, Magistros Correctoris opera in ipsis puniendis usuros: qui, aut poenas recusarint, aut spem emendationis non ostenderint, aut caeteris molesti, sive exemplo suo perniciosi fuerint, sciant se ex nostris scholis esse dimittendos.

Obedientia. *P. 4 c. 6 n. 2.*

8. Omnes suis quisque Magistris obtemperent; rationem vero studendi ab illis praescriptam, tum in scholis tum domi, quam diligentissime servent.

Diligentia et assiduitas. *P. 4 c. 6 n. 8.*

9. Serio animum ad studia et constanter adiiciant: sint in scholis mature frequentandis assidui, in audiendis et recolendis praelectionibus caeterisque obeundis exercitationibus diligentes. Quod si quid minus assequantur, aut si quid dubitent, Magistrum consulant.

Quies, silentium.

10. In scholis ne hac illac divagentur, sed in suis quisque subselliis locisque modeste ac silentio sibi ac suis rebus intenti sint; neque schola egrediantur, nisi facta a Magistro exeundi potestate. Ne scamna, cathedram, sellas, parietes, ianuas, fenestras, neque aliud quidpiam pingendo, scribendo, scalpello, aliave ratione deturpent, seu notent.

Quae fugiendae consuetudines.

11. Pravas, aut etiam suspectas aliorum consuetudines fugiant: cum

iis tantummodo versentur, quorum exemplo et consuetudine in litterarum studio, virtutumque proficiant.

A quibus libris abstinendum. *P. 4 c 5, E. P. 4 c. 14 n. 3.*

12. A libris perniciosis et inutilibus legendis prorsus abstineant.

Spectacula, et scenas vitent.

13. Neque ad publica spectacula, comoedias, ludos; neque ad supplicia reorum, nisi forte haereticorum, eant; neque personam ullam in externorum scenis agant, nisi data prius a Magistris, vel a Praefecto gymnasii potestate.

Pietas.

14. Sincerum animum purumque conservare, ac divinis legibus summa diligentia obtemperare nitantur; Deo vero, ac Sanctissimae Virgini Deiparae, caeterisque Sanctis persaepe atque ex animo se commendent; Angelorum opem assidue, praecipue vero Angeli custodis, implorent. Modestiam, tum alibi semper, tum in templo atque in schola potissimum servent.

Vitae exemplum.

15. In rebus denique atque actionibus omnibus ita se gerant, ut facile quivis intelligat, eos non minus virtutum vitaeque integritatis esse, quam litterarum doctrinaeque studiosos.

REGULAE ACADEMIAE.

Academia quid.

1. Academiae nomine intelligimus coetum studiosorum ex omnibus Scholasticis delectum, qui aliquo ex Nostris Praefecto conveniunt, ut peculiares quasdam habeant exercitationes ad studia pertinentes.

Qui admittendi.

2. Hoc ex numero omnes censentur, qui sunt ex Congregatione B. Virginis, eo ipso, quod in illam recipiuntur; et Religiosi, si qui nostras scholas frequentant. Caeterum, ubi mos tulerit et Rectori videatur, alii etiam admitti poterunt, qui ex Congregatione, atque adeo qui ex nostris Scholasticis non sint.

Academici quales.

3. Academicos christiana virtute ac pietate, diligentia in studiis et scholarum legibus servandis, caeteris omnibus discipulis praestare, et exemplo esse oportet.

Academiae moderator.

4. Collegii Rector moderatorem, vel ex ipsis Magistris vel ex aliis Nostris, idoneum aliquem unicuique academiae praeficiet.

Quotuplex academia.

5. In unam academiam Theologi et Philosophi fere convenire poterunt, in alteram Rhetoricae et Humanitatis auditores, in tertiam omnes Grammatici, si nec nimis multi sint, nec ita doctrina inaequales, ut eaedem exercitationes omnibus fructuosae esse non possint; alioquin singulis scholis suas academias habere liceat.

Assiduitas et exercitatio.

6. Assiduitate academicorum, et exercitationum fervore academiae fructus maxime continetur. Quare, si qui

saepius abessent, aut exercitationes per vices obire recusarent, praesertim vero qui propter immodestiam perturbationi aliis aut offensioni essent, dimittendi erunt.

Magistratus.

7. Magistratus, qui in unaquaque academia tertio quartove quoque mense pluribus academicorum secretisque suffragiis eligentur, hi ferme erunt: academiae Rector, duo Consiliarii, et unus Secretarius, quibus alii etiam addi poterunt, muneraque distribui pro academicorum frequentia, loci consuetudine, et Rectoris Collegii iudicio.

Rector.

8. Rector in academia Theologorum plerumque sit Theologus; quod si interdum ex Philosophis eligendus videretur, sit saltem Metaphysicus. In academia item Rhetoricae et Grammaticae auditorum, quando ex diversis classibus constant, vel plerumque eligatur ex classe superiore, vel alternis, ut Collegii Rector censuerit. Is autem eligendus, qui virtute, ingenio et doctrina praestet: cuius erit academiam promovere, praeire caeteris virtute ac diligentia, et actum aliquem ex praecipuis academiae vel initio, vel in fine rectoratus habere. Poterit autem Rector academiae Theologorum interdum, si sit Theologus, absente Magistro, Philosophos defendentes dirigere, et argumentantium argumenta resumere et urgere.

Consiliarii.

9. Consiliarii erunt Rectori loco et honore proximi, eiusque absentis vices primus Consiliarius tenebit; priore etiam absente, secundus: eaque munera obibunt, quae moderator academiae per se aut per Rectorem imponet.

Secretarius.

10. Secretarius libros omnes academiae diligenter servabit. Nomina academicorum eo ordine, quo in academiam recipiuntur, in libro scribet; in quem etiam seorsim nomina magistratuum, cum eliguntur, et omnia academiae acta, non tacitis academicorum, qui aliquid praestiterint, nominibus, referet; Rhetoricae etiam auditorum orationes, poemata, et carmina, quae affiguntur, a moderatore selecta. Idem tempestive eos, ut se comparent, admonebit, quos a moderatore cognoverit academiae exercitationes obituros, nisi in academia Theologorum necesse videatur id fieri per bidellum. In fine cuiusque academiae publice pronuntiabit, quaenam exercitationes et a quibus habendae sint. Publice theses, et in Rhetorica etiam problemata vel aenigmata dissolvenda mature ponet.

Consultationes.

11. Ter aut quater in anno, videlicet post creationem Rectoris, consultationes vel omnium academicorum, vel saltem magistratuum simul cum moderatore, habebuntur ad academiam promovendam, eaque tollenda, quae eius progressum impedire videantur.

Regularum lectio.

12. Vel in his consultationibus, vel ante creationem Rectoris, academiae Regulae legantur, quae vel in tabella scriptae sint, vel in libro academiae; in quo etiam omnia deinceps academicorum nomina scribenda erunt.

REGULAE PRAEFECTI ACADEMIAE.

Ad pietatem promovendi.

1. Ad pietatem academicos, non solum ad studia, promoveat; quod virtutum exemplo et privatis, cum tulerit occasio, colloquiis praestare poterit.

Regularum observatio.

2. Academiae Regulas diligenter servari curet, in primisque in academicorum quotidianis exercitationibus assiduitatem ac diligentiam exigat.

Exercitatio.

3. Efficiat, ut omnes academici variis exercitationum generibus, quantum fieri potest, per vices exerceantur.

Nil sine Superiore innovandum.

4. Nec receptas consuetudines tollat, nec novas introducat sine facultate Rectoris, nec quidquam faciat, quod alicuius momenti sit, quod non cum ipso communicet; et quae praescripta fuerint, diligenter exsequatur.

Academiae tempus.

5. Horas academiae, repetitionum scilicet, disputationum et similium, ita dispenset, ut horas Congregationis non impediant, quo academici commode possint utrisque exercitationibus interesse; quam etiam ob rem nullus erit sine magna causa Congregationis tempore privatis colloquiis detinendus.

REGULAE ACADEMIAE

THEOLOGORUM ET PHILOSOPHORUM.

Quae exercitationes.

1. Huius academiae exercitationes quatuor fere generum esse solent. Quotidianae praelectionum repetitiones, disputationes, praelectiones, seu problemata, solemniores actus, quibus conclusiones publice defendantur.

Repetitiones.

2. Repetitiones per horam circiter singulis fient, quibus scholae habentur, diebus, iis exceptis, qui menstrua disputatione impediuntur. Eae vero fient hora, quae commodissima videbitur, modo in quadragesima liberum concionis tempus, saltem bis in hebdomada, relinquatur.

Repetitionum forma.

3. Repetent seorsim singulae classes, una Theologiae et tres Philosophiae, si totidem sint Praeceptores,

uno aut altero academicorum audita recolente, uno etiam aut altero argumentantibus. Ac Theologiae quidem repetitionibus praeerit ipse Praefectus academiae, aut eius socius, aut certe alius ex provectioribus, quarti fere anni Theologus, a Rectore Collegii constitutus; Philosophiae vero repetitionibus in singulis classibus aliquis item praeerit ex Nostris, fere Theologus, quem idem Rector designaverit.

Disputationis forma.

4. Disputationes erunt aut semel, ubi pauci sunt academici, aut, ubi sunt multi, bis in hebdomada, scilicet die vacationis aut etiam dominico. Ac die quidem dominico a prandio per horam unus, ut plurimum ex Philosophis, defendet, duobus argumentantibus; die vero vacationis per duas horas duo tresve defendent, unus Theologus, alii Philosophi, totidem similiter aut pluribus argumentantibus.

Conclusiones.

5. Theologus, si solus defendet, conclusiones semper aliquas philosophicas proponet; Metaphysicus physicas et logicas; physicus etiam logicas. Argumentabuntur contra Theologos Theologi, contra Philosophos primo loco semper aliquis ex classe proxime superiore, secundo unus ex condiscipulis.

Disputationibus quis praesideat.

6. Disputationibus, tam philosophicis quam theologicis, si intersit proprius defendentis Magister, ipsius erit praesidere, sin minus, praesidebit Praefectus academiae aut eius socius.

Praelectiones.

7. Praelectiones etiam interdum haberi poterunt, quibus quaestionem aliquam suo marte perfectam, vel ingeniosum problema, expositis in utramque partem confirmatisque rationibus, aliquis academicorum ex cathedra erudite pertractet, uno aut altero argumentante. Huiusmodi autem praelectiones necesse erit Praefecto academiae priusquam habeantur ostendi ac probari.

Actus.

8. Solemniores actus ipse academiae Rector, nisi quid obstet, aut alius a Praefecto delectus interdum habere poterit, Natalis videlicet, Paschatis, Pentecostes, aut alio opportuno tempore; quibus actibus certam aliquam Theologiae aut Philosophiae materiam, aliquibus conclusionibus comprehensam, defendet, Magistro praesidente.

Actuum celebritas.

9. Hi actus, ut cum aliquo apparatu fiant, curandum; adhibeatur autem a defendente praefatio aliqua et epilogus, quae prius sint, ut caetera, quae publice recitantur, a generali studiorum Praefecto recognita et approbata. Externi etiam ad argumentandum, aliique poterunt ad audiendum, quo disputatio celebrior sit, invitari.

Introductio.

10. Uno circiter ante studiorum renovationem mense, si Rectori videatur, per quindecim minimum dies, iis, qui Philosophiam audituri sunt, introductio vel summa ab aliquo ex Nostris, quem Rector, vel forte ex academicis, quem Praefectus statuerit, explicetur.

Conclusiones recognoscendae.

11. Conclusiones omnes, tam solemniorum actuum, quam etiam hebdomadariae, priusquam defendantur aut affigantur, erunt et a Praefecto academiae, et a proprio defendentis Magistro recognoscendae.

REGULAE PRAEFECTI ACADEMIAE

THEOLOGORUM ET PHILOSOPHORUM.

Exercitationum forma.

1. Praeter communia, quae de Praefecto in universum dicta sunt in Regulis academiae, illud etiam animadvertat, ut in quotidianis repetitionibus eadem repetendi et argumentandi, eadem disputandi forma modusque servetur, quem Nostri in domesticis repetitionibus tenent; in actibus vero et aliis conclusionibus defendendis consueta ratio teneatur.

Vitandae repetitiones.

2. Visitet proinde saepe repetitiones, nunc has, nunc illas; videatque, ut diligenter ac modeste fiant, et ut repetitores recte suo officio fungantur, quos etiam, ut oportuerit, diriget.

Qui magis exercendi.

3. Non erit abs re eos exerceri, saepius quam alios, qui proxime sunt cursum Philosophiae vel Theologiae defensuri, vel aliquem academiae actum habituri: quos etiam ad hunc finem, ut instructiores sint, monebit et diriget.

De sociis.

4. Cum socio, si a Rectore dabitur, ita poterit curam laboremque partiri, ut ei, nisi quid obstet, Theologiae repetitiones committat; et cum eo, si videbitur, alternis diebus, praesertim vacationis, disputationibus praesideat; caeteraque per eum ad quotidianas conclusiones et extraordinarios actus spectantia, prout necesse iudicaverit, exsequatur.

REGULAE ACADEMIAE

RHETORICAE ET HUMANITATIS AUDITORUM.

Academiae dies.

1. Diebus dominicis, vel, ubi commodius erit, die vacationis, convenient loco a Rectore Collegii designato.

Quae exercitationes Moderatori habendae.

2. Exercitationes huius academiae hae fere erunt: Moderator, prout opportunum iudicaverit, nunc lectiones seu quaestiones habebit de selecta aliqua materia vel auctore; nunc praecepta aliqua dicendi magis recondita ex Aristotele, Cicerone, aliisve Rhetoribus tradet; nunc aliquem au-

ctorem percurret, et ab academicis exiget; nunc iisdem problemata solvenda proponet, et alia huiusmodi.

Quae academicis.

3. Saepe etiam, his omissis, academici ipsi, nunc orationes, nunc carmina, nunc declamationes habeant, vel memoriter vel ex tempore; nunc invicem accusationes et defensiones ipso probante instituant; nunc lectiones habeant, duobus minimum adversus lectorem disputantibus; nunc theses defendant oppugnentque oratorio magis more, quam dialectico; nunc emblemata et insignia de certa aliqua materia componant; nunc inscriptiones aut descriptiones; nunc aenigmata faciant aut dissolvant; nunc in inventione se exerceant singuli, ad propositam materiam confirmationis locos excogitantes, sive improviso, seu meditato; nunc in elocutione figuras verborum ac sententiarum inventae rei accommodantes; nunc dialogorum, poematum, tragoediarum argumenta conscribant; nunc integram praeclari oratoris orationem, aut poetae carmen imitentur; nunc symbola quaedam faciant, ut scilicet de una re proposita singuli suam sententiam afferant; nunc, distributis alicuius auctoris libris, singuli ex eo sententias vel phrases decerptas proferant. Denique in iis se exerceant, quae eloquentiam gignere, et ab ea enasci solent.

Publicae exercitationes.

4. Harum exercitationum aliquas splendidiores, ut praelectiones, declamationes, thesium defensiones, operae pretium est, praesertim a rectore academiae, fieri cum apparatu interdum aliquo, et honoratiorum auditorum corona.

Praemia privata.

5. Privata interdum praemia melius aliquid scribentibus, aut recitantibus, aut aenigmata problemataque solventibus dari poterunt.

Praemia publica.

6. Praemia item solemniora omnibus simul academicis semel in anno distribui poterunt, sive ex contributione, sive qua magis ratione Rectori Collegii placebit.

Festus Beatae Virginis dies.

7. Semel saltem in anno festus aliquis Beatae Virginis dies, quem Collegii Rector constituet, celebri pompa orationis, poematis, versuum ad parietes affixorum, emblematum item et insignium variorum exornabitur.

REGULAE ACADEMIAE GRAMMATICORUM.

Grammatica exercitatio.

1. PLERUMQUE moderator aliquid selectum ex Grammatica, quasi praecurrens quod in schola sunt habituri, vel ex auctore eleganti et iucundo praeleget, vel etiam repetitionem instituet, exercitationemque eorum, quae in schola exposita sunt.

Repetitio.

2. Initio academiae semper unus paratus veniet ad respondendum de iis, quae proxima academia dicta fuerint; adversus quem terni aut plures dubitationes, aut vernaculas locutiones latine vertendas proponere poterunt; eodemque modo praelectionem a moderatore habitam statim recolent.

Disputatio.

3. Frequenter et acriter disputabitur, exercebitur interdum stilus, interdum memoria, variabuntur phrases, aliquid etiam ex versibus et graeca Grammatica proponetur, et alia fient huiusmodi ex praescripto moderatoris.

Memoria.

4. Aliqui interdum, aut etiam omnes parati venient ad aliquod apophthegma breve vel factum aliquod memoriter enarrandum.

Praelectiones privatae.

5. Praelectiones ipsas, in schola habitas a Praeceptore, addita praefatiuncula, et aliqua, si videbitur, annotatione, e suggesto interdum dicent.

Publicae.

6. Operae pretium erit haberi interdum aliquas praelectiones ab academicis, praesertim a rectore, apparatu invitatuque maiore, addita concertatione duorum aut trium, privatis etiam praemiis, si libeat, distributis.

Poenae litterariae.

7. Poterit a moderatore poenae loco aliquid litterarium exigi; iuberique, ut eorum nomina, qui minus bene aut diligenter se gesserint, publice recitentur.

Exercitationum varietas.

8. Eae denique exercitationes proponi et variari debent, quae ita utilitatem habeant adiunctam, ut gratae etiam et decorae sint, quo magis ea voluptate academicorum animi ad studia incitentur.

ORDINATIO
PRO STUDIIS SUPERIORIBUS

C. 9 d. 28, 31. C. 18 d. 20 C. 28 d. 16, a.

EX DEPUTATIONE, QUAE DE ILLIS HABITA EST IN CONGREGATIONE NONA GENERALI.

A R. P. N. FRANCISCO PICCOLOMINEO

AD PROVINCIAS MISSA ANNO MDCLI.

Soliditas et uniformitas doctrinae et ordinata methodus magni fiunt in Societate.

1. Etsi summae semper curae Societati fuerit soliditas et uniformitas doctrinae, methodusque ordinata illam tradendi in scholis, eaque laude Professores nostri, ut plurimum, excelluerint magno Ecclesiae et reipublicae christianae bono; nihilominus non defuerunt querelae graves ex variis Provinciis de aliquibus Magistris, tam Philosophiae quam Theologiae, tum in octava tum in nona Congregatione generali. Et primo quidem, quod inverterent ordinem praescriptum in Ratione Studiorum, metaphysica et animastica tractantes in Logica, theologica in Philosophia, philosophica in Theologia, et in hac miscerent saepe quaestiones assignatas uni anno materiis alterius, permagno incommodo auditorum. Secundo, quod non raro, sepositis utilioribus et solidioribus quaestionibus, toti essent in persequendis minutiis vanissimarum subtilitatum, nulli prope usui in Ecclesia Dei postea futuris. Tertio, quod, nimiae libertati opinandi indulgentes, sectarentur passim, aut etiam producerent sententias novas, vel certe obsoletas antiquatasque revocarent e tenebris ad nostras scholas.

Querelae de aliquibus Magistris Philosophiae et Theologiae.

Invertunt ordinem praescriptum.

Persequuntur minutias.

Sectantur nova aut obsoleta.

2. Haec et his similia, magno sensu, ubi Provinciarum aliquot nomine Conventui generali postremo fuissent exposita, commota est non leviter Congregatio; timensque ne malum ex paucorum culpa ortum latius serperet, statim omnibus viribus occurrendum censuit. Quare, cum iussisset deputari de suo corpore quosdam Patres ex variis Assistentiis in re litteraria et docendi munere diu multumque exercitatos, qui, quae proponebantur circa studia in Societate, expenderent; iniunxit iisdem, ut radices querelarum harum accurate inspicerent, et remedia opportuna suggererent. Quod cum illi exquisita plane diligentia praestitissent, Congregatio, auditis approbatisque illorum iudi-

Statim his malis occurrendum.

Deputantur qui haec inspiciant, et suggerant remedia.

ciis, prout cernere est in decretis 23 et 31 impressis, commisit mihi, ut remedia, quae suggesserant, exsecutioni mandarem, et vigilantiam Provincialium ac Rectorum ad hoc ipsum excitarem.

Ad 1.m incommodum vitandum serveturj Ratio Studiorum.

3. Censuerunt igitur memorati Patres, primis incommodis ex perturbato ordine docendi et inutilibus quaestionibus, satis provisum esse et iri, si observentur diligenter quae praescripta sunt in Ratione Studiorum. Et quidem, quod ad Philosophiam attinet, si accurentur quae statuuntur in Regulis, tum Praefecti Studiorum, tum Professoris Philosophiae; secuturum nempe inde, ut Logicus tractet materias illas, quas tradit Porphyrius in sua isagoge, et Aristoteles in praedicamentis, in libris de interpretatione, priorum et posteriorum, cum cautionibus in Ratione Studiorum expressis; ut Physicus explicet eas, quas Aristoteles in octo libris physicorum, in libris de coelo, in meteorologicis, et primo libro de generatione; denique ut Metaphysicus eas, quas in secundo libro de generatione, in libris de anima et metaphysicorum disputat Aristoteles, cum similibus cautionibus. Attendat itaque ad haec Praefectus Studiorum, nec sinat istas quaestiones praetermitti, vel earum locum occupari ab aliis, quas Aristoteles non attingit, vel necessariam cum iis non habent connexionem, nec continentur sub obiecto cuilibet parti Philosophiae proposito.

Idem enucleatius declaratur.

4. Atque, ut expressius aliquid indicetur, et satisfiat postulato unius Provinciae, quae haec optabat enucleatius declarari: Praefectus Studiorum non sinat omitti in Logica uberem de modo et regulis definiendi, dividendi, argumentandi tractationem; de conversione, oppositione propositionum; de argumentatione et syllogismo: ita, ut disciuli nostri plenam habeant notitiam de infallibilitate consequentiarum formalium. Curet etiam omnino, ut explicentur ea, quae de perfecta demonstratione tradit Aristoteles in libris posteriorum, tum de scientia, prout est in Ratione Studiorum. E contrario, non permittat Professores immorari in disputatione de ente rationis, nisi paucissimis diebus, adeo ut tridui vel quatridui circiter spatium non excedant. Non disputent etiam de distinctione virtuali in divinis, vel de praecisionibus obiectivis divinarum perfectionum; sed supponant ex Theologia, quod de his quaestionibus sentiendum est. Tractatum de signis mentalibus remittant ad libros de anima; et potissimum illud: quid sit verbum mentis, et quae cognitio possit esse in seipsam reflexa, et se ipsam repraesentare vel adaequate vel inadaequate. De relationibus item divinis, sine ulla discussione supponant ex fide vel ex Theologia, si quid necesse videbitur, dum agunt de praedicamento relationis. In praedicamento vero substantiae, de substantia vel ente supernaturali nihil dicant. Dum tractant de futuris contingentibus, nullo modo ingrediantur disputationem de scientia media, nec de modo, quo Deus cognoscit futura, seu absoluta seu conditionata, sed supponant quod fides et Theologia docent. In fine denique Logicae, dum tradunt tractatum de scientia, nihil speciale dicant de fide divina, sed totam illam quaestionem remittant ad Theologos; idemque dicendum de similibus a scopo Logicorum alienis.

In Logica quid curandum, quid vero vitandum.

5. In Physica, secundo anno, cu-

In Physica,

secundo anno, quid curandum,

ret idem Praefectus, ut aristotelicae definitiones principiorum, causarum, naturae, motus, continui, infiniti et similes accurate explicentur; ut iuxta eiusdem Aristotelis ordinem de iisdem rebus ea disputentur, quorum scientia ad naturalem Philosophiam proprie spectat. In libris de coelo naturam, et qualitates, et influxum coelorum in sublunaria ne praetermittant. In primo de generatione, ea, quae tradit Aristoteles de generatione et corruptione, de alteratione et actione similis in simile, de reactione, aliaque eiusmodi accurate discutiant. Caveat autem, ne, occasione agendi de principiis et causis, ingrediantur disputationem de principiis et processionibus divinis; multo vero magis abstinendum, tum hic, tum alibi a disputatione de actibus liberis Dei. Nihil autem dicant de materia spirituali, aut de composito ex ea. Dum agunt de concursu causae primae, poterunt quidem disputare de praedeterminatione physica, sed per principia tantum naturalia; non examinando, sed supponendo principia theologica. Ideo in materiam de auxiliis aut gratia efficaci ne excurrant. Nihil item ex professo hic agant de potentia obedientiali; aut de virtute principali creandi, num communicari possit alicui creaturae; nec de aeternitate Dei disceptent, ubi de duratione creata agendum. In libris de coelo praetereant quaestiones, quae de opere sex dierum ad Theologum aut S. Scripturae interpretem spectant. In libris de generatione, ad quaestionem de conversione eucharistica, aut augmento intensivo charitatis ne divertant.

quid vero vitandum.

Tertio anno, quid curandum,

6. Tertio anno idem Praefectus diligenter det operam, ut in libro secundo de generatione Professores tractent de natura elementorum, de primis qualitatibus, earumque seu descriptionibus seu definitionibus ab Aristotele traditis. De motu etiam et qualitatibus motricibus, de eorum mixtione et rarefactione (nisi iam antea hoc egerint), et similibus. In libris vero de anima, disputent de vivente et vita; de anima eiusque potentiis et operationibus; speciebus eiusdem vegetativa, sensitiva, et accuratissime de rationali. In Metaphysica denique, de ente et proprietatibus entis; de natura substantiae et accidentis; de subsistentia, aliisque similibus. De Deo quoque agere poterunt, quoad lumine naturali cognosci valet. Curet vero, ne ad ea tractanda digrediantur, quae theologici instituti sunt propria. Quare in libris de anima non ad materiam de specie Dei, sive impressa sive expressa, aut de miraculosa mortuorum resuscitatione; nec in Metaphysica ad disputationem de subsistentia increata, aliasque similes divertere sinantur.

quid vero vitandum.

In Theologia, quid curandum.

7. In Theologia porro, ut resecentur quaestiones inutiles, et profuturae ordinatius tradantur, observent diligenter Professores quod dictum est de Philosophis, ut materias percurrant singulorum annorum proprias, hoc est tractatas a D. Thoma in ea parte, quae cuique anno assignatur; id enim si fideliter praestiterint, non multum temporis supererit ad quaestiones inutiles agitandas. Illud vero etiam enitantur omnes, ut quaestiones, quas tractant, connectant cum quaestionibus S. Thomae, et auditoribus significent, quo quidque pertineat; ut appareat, ea, quae disputant, esse velut commentarium textui

S. Thomae respondentem; atque hoc agere ipsos, non ut nova et incognita prius discipulis proponant, sed ut elucident vetera; ut sit additio potius doctrinae ad doctrinam, quam successio novae in locum veteris iam sepultae. Quod enim potest esse operae pretium, aut quae laus scholasticos habere novarum quidem propositionum scientes, sed antiquarum imperitos? Verum, ut haec facilius assequamur, et quod praestitum est in philosophicis, uberius et distinctius praestetur in theologicis, quae sunt multo maioris momenti, subiicietur hic

8. INDEX VARIARUM QUAESTIONUM

IUXTA ORDINEM SUMMAE ANGELICI DOCTORIS, QUAS MAGISTRI, OMISSIS EXTRAORDINARIIS ET INSOLITIS, TRACTARE CUM LAUDE POSSUNT, ET MAXIMA EX PARTE ETIAM DEBENT.

EX PRIMA PARTE.

Quaest. 2. De exsistentia Dei.

3 vel 13. De distinctione attributorum inter se et ab essentia.

8. De exsistentia in spatiis.

12. De visione Dei per speciem creatam, oculos corporales, vires naturales; de lumine gloriae. Melior intellectus an melius videat, caeteris paribus. An videri possint creaturae ex vi visionis. An omnes. Quae videantur. Per quid hae, magis quam illae.

14. De cognitione futurorum contingentium, conditionalium etc. De scientia media ante omne decretum.

19. De actibus liberis.

22, 23. De providentia; de praedestinatione, electione, reprobatione ex meritis, de actuum praefinitione.

27. Quae processio in divinis sit generatio; et cur una, magis quam alia: quot processiones sint.

28. De distinctione relationum ab essentia; et an illam includant, vel includantur. Quot sint in divinis.

29. De subsistentia absoluta. An detur in Deo.

32. De notionibus. Quae et quot sint.

34. De processione Verbi ex cognitione omnium personarum, rerum possibilium, futurarum.

40, 42. De constitutione et distinctione personarum per relationes: an relatio dicat perfectionem.

43. De missione personarum.

50. De incorporeitate, numero Angelorum. An omnes specie differant. An necessario.

51. De assumptione corporum.

52. An unus possit esse in pluribus locis. An plures in uno. Per quid sint in loco.

53. An possint in instanti moveri. An necessario transeant per medium.

55. De speciebus intelligibilibus. An concreatae, an acceptae a rebus. An universaliores in superioribus.

56, 57. An seipsos cognoscant. An alios Angelos, et quomodo. An futura. An cogitationes cordium.

58. An multa simul intelligant. An discurrendo. An componendo.

62. An creati sint cum beatitudine. An in gratia. An se ad illam disposuerint. An per unum actum meritorium boni pervenerint ad beatitudinem.

63. Quod fuerit peccatum Angelorum. An in primo instanti creationis potuerint peccare. De mora inter creationem et lapsum. De obstinatione daemonum. Unde proveniat.

64. Quomodo crucientur ab igne.

107. De locutione Angelorum. Quomodo fiat.

EX PRIMA SECUNDAE.

Quaest. 3. De beatitudine. An sit operatio intellectus, an voluntatis.

4. Delectatio in patria an sit immediate de DEO, an de visione.

5. Perpetuitas an sit de ratione beatitudinis. De appetitu innato eiusdem.

6. Quid voluntarium. Idemne cum libero. Eventus ex omissione quando voluntarii. De metu, concupiscentia, ignorantia. An causent involuntarium.

7. De circumstantiis.

18. Quid sit actus humanus, quid bonitas et honestas illius. Sumaturne ex obiecto, circumstantiis, fine. Bonum et malum an constituant speciem in moralibus. De actu indifferente secundum speciem et individuum. Quando circumstantiae dent speciem.

19. An idem actus interior fieri possit de bono malus etc. De opinione probabili. An liceat sequi eam reiecta probabiliore, quando, quibus. De conscientia dubia, quid tunc agendum. An in eo casu melior sit conditio possidentis in omnibus materiis. De conscientia erronea. An obliget. Electio an omnem bonitatem et malitiam habeat a fine. Voluntas unius finis an accipiat bonitatem a voluntate imperante alterius finis.

20. De actu exteriori. An habeat propriam bonitatem.

71. An detur pura omissio. Actus causans omissionem, quando peccatum. Sitne tunc commissionis, an omissionis. Omissio quando imputetur. De definitione peccati, *dictum, factum* etc. Quid sit formale in peccato, ut malum est.

72. De distinctione specifica peccatorum ex obiecto, virtutibus, quibus opponuntur etc.

74. De delectatione morosa.

79. An DEUS sit causa peccati. An praedeterminet ad actum illius. Quid sit.

81. De peccato originali, an traducatur ab Adam in posteros. Quid sit.

86. An peccatum mortale relinquat maculam. Quid illa sit.

87. An poena damni in omnibus damnatis sit aequalis.

88. De peccato mortali et veniali. Quomodo distinguantur.

89. An peccatum veniale relinquat maculam.

109. An sine gratia possimus cognoscere verum, facere bonum opus morale, DEUM super omnia diligere, servare omnia praecepta, praeparare nos ad gratiam, vincere tentationes. An iusti egeant auxilio ad bene operandum, et vitandum peccatum, ad perseverandum. Quid in statu naturae integrae. An in statu purae naturae fuisset necessarium gratiae auxilium.

110. An gratia distinguatur a virtutibus infusis. In quo subiecto sit.

111. De divisionibus gratiae in gratis datam et gratum facientem; operantem et cooperantem; praevenientem et subsequentem; efficacem et sufficientem. An hae distinguantur tantum per effectus. An efficax praedeterminet. De concordia illius cum libertate.

113. An iustificatio fiat per formam inhaerentem. Sitne habitus. An actus sufficiat. An implicet simul esse cum peccato. An sine illa peccatum possit remitti.

114. An possimus nobis aliquid mereri a DEO. An ex iustitia. An de condigno vitam aeternam. Quae con-

ditiones requirantur. An quaecumque bona opera iusti sufficiant. An ultima dispositio ad gratiam hoc habeat. An prima gratia cadat sub meritum, saltem de congruo; an finalis perseverantia.

EX SECUNDA SECUNDAE.

Quaest. 1. Quid sit obiectum materiale fidei, et quid formale. An veritas prima tantum. An etiam revelatio. Et haec an communis et publica, an etiam privata. An solum immediata; an etiam mediata; et quae. An propositio Ecclesiae huc pertineat. In quid tandem resolvatur fides. An fidei possit subesse falsum. An obiectum fidei possit esse visum in se, vel in attestante. An scitum. An debeat esse evidenter credibile.

2. An actus fidei possit esse discursivus. An requirat actum voluntatis, a quo imperetur. An fuerit vel sit necessarius necessitate medii; et quorum obiectorum. An sit necessitate praecepti; et quarum rerum. An idem actus sit supernaturalis. An voluntas imperans. An iudicium antecedens credibilitatis.

3. De praecepto non negandi fidem, et illam confitendi; et quando obliget. De usu vestium, ciborum et aliorum, quae sunt propria infidelium. An liceat adire templa haereticorum, eorumque ritibus interesse.

4. Quid sit fides. Antecedatne aliquando charitatem et gratiam. De certitudine fidei comparative ad alios habitus.

5. An in daemonibus sit fides. An in haereticis errantibus in uno articulo.

10, 11. De speciebus infidelitatis. Quid sit haeresis, et quae ad illam requirantur. Quae sit haeretica propositio et de aliis propositionum censuris.

17, 18. Quid sit obiectum formale et materiale spei. An spes sit in beatis.

23, 24. An charitas sit amicitia. Quomodo distinguatur amor naturalis et supernaturalis Dei. An charitas augeatur in habente ipsam. Per quos actus. An per solos intensiores. An per solos actus charitatis. An per continuationem actus. De correptione fraterna, scandalo, bello, si, prout per tempus licuerit.

58. Quid sit iustitia, quid ius. De iustitia legali et particulari. Circa quam materiam haec versetur. An circa passiones vel operationes. An medium illius sit medium rei. De actu iustitiae, qui est suum cuique reddere. De dominio. Quibus et in quae competat. De modis illud acquirendi. De usufructu, usu etc.

59. Quid sit iniuria. Et an quis possit pati iniuriam volens.

60. De iudicio temerario. An et quando sit peccatum mortale.

61. De distinctione iustitiae distributivae et commutativae. De medio earum, materia etc.

62. De restitutione. Cuius virtutis sit actus. De capitibus, ex quibus oritur restituendi obligatio. Obligatio ex re accepta ad quid se extendat. Res bona fide empta an possit reddi furi ad pretium recuperandum. De inventis; quomodo restituenda. Ad quos fructus restituendos teneatur bonae fidei, vel dubiae possessor. An dominus teneatur de damno dato a servis suis vel animalibus sine illius culpa. Qualis culpa sufficiat, ut quis teneatur restituere ex iniusta acceptione et damno dato extra officium et contractum, vel in officio et consilio dando, vel intercedente contra-

ctu depositi, commodati. De restitutione ex iniusto impedimento boni alieni; de restitutione incertorum. De cooperatoribus ad damnum. An omnes teneantur in solidum. Quo ordine. An acceptio ob turpem causam obliget ad restitutionem. An res restituenda sit secundum summum pretium. Quando restituendum sit; ubi; quo ordine.

63. An et quale peccatum sit acceptio personarum in distribuendis beneficiis et officiis minus dignis.

64. An liceat occidere hominem pro defensione suae vitae, honoris, bonorum. Cui facienda sit restitutio pro homicidio iniusto, vel damno ex illo consecuto.

66. De quantitate requisita ad peccatum mortale furti. De furtis minutis, quae fiunt ab eodem diversis personis, vel eidem a pluribus. De furtis domesticorum, uxoris, filiorum, famulorum etc. An sit licita compensatio facta propria auctoritate pro eo, quod debetur.

74. Quae detractio sit peccatum mortale. An audiens peccet.

EX TERTIA PARTE.

Quaest. 1. An Christi opera fuerint infiniti valoris, et satisfecerint ex rigore iustitiae. An purus homo possit satisfacere pro peccato suo vel alieno mortali. An pro veniali. An Christus incarnatus fuisset, si Adam non peccasset.

2. De unione. An sit facta in natura, vel persona. Quid illa sit. An Christus suam incarnationem mereri potuerit. An iusti ante Christum vel incarnationem vel accelerationem. An B. Virgo maternitatem.

3. An plures personae eamdem numero naturam possint assumere. An una persona plures naturas. An persona creata possit uniri hypostatice alteri naturae.

4. An potuerit assumi a Verbo natura habens propriam personalitatem.

8. De scientia infusa. Quis habitus sit. An per illam videantur omnia possibilia. An omnia futura.

10. De impeccabilitate Christi; et unde illa sit.

18. De concordia impeccabilitatis cum libertate Christi.

23. An Christus, in quantum homo, possit dici filius adoptivus.

25. De adoratione Christi, crucis, imaginum etc.

60. Quid sit sacramentum. An sacramenta novae legis constent rebus et verbis determinatis. An mutentur valide, vel licite.

62. An causent gratiam. An physice, an moraliter. An gratia sacramentalis addat ad gratiam virtutum. An sacramenta legis veteris gratiam causarint.

63. De charactere, quid sit. An delebilis. Quae sacramenta imprimant.

64, 66. De intentione ministri et suscipientis. De martyrio. Quando conferat gratiam. An ex opere operato. Quam dispositionem requirat.

73. An Eucharistia sit sacramentum. In quibus consistat. An sit unum vel plura. An necessarium necessitate medii.

74. Quae sit materia Eucharistiae. In qua quantitate. Quomodo debeat esse praesens. An aqua vertatur immediate in sanguinem.

75. An Christus sit in hoc sacramento realiter. Quid sit haec praesentia. An maneat substantia panis et vini. An annihiletur. An panis et vinum convertatur in corpus Christi. An id colligatur ex verbis consecra-

tionis. In quo sita sit haec conversio. An reproducatur in illa corpus Christi. An accidentia maneant.

76. An totus Christus sit sub utraque specie et eius partibus. Quae sint ex vi verborum, quae per concomitantiam. An Christus moveatur ad motum specierum; et quomodo hoc fiat.

77. An maneant accidentia sine subiecto. An acquirant novum modum. An detur in illa actio Christi sustentans. Quomodo ex iis aliquid generetur.

78. De forma sacramentali Eucharistiae. Quae verba sint essentialia. Quomodo intelligenda. An dicantur recitative, an enuntiative.

79. An detur maior gratia sumenti duas species.

82. An plures Sacerdotes eamdem hostiam possint consecrare.

83. An in Missa sit sacrificium. In qua actione consistat. An requirat duas species. An habeat valorem infinitum. Quem effectum habeat.

84. An poenitentia sit sacramentum. Quae materia; quae forma; quae verba sint necessaria. Quomodo intelligenda. An sit necessarium necessitate medii.

85. An poenitentia sit virtus. Quod obiectum habeat, quos actus. An sit virtus specialis.

86. An remissa culpa remittatur tota poena.

87. De remissione venialium, per quos actus fiat. An per sacramentalia. An requiratur gratiae infusio.

89. An merita reviviscant. An peccator semper resurgat in gratia aequali.

90. Quae sint partes poenitentiae, et cuiusmodi.

De contritione. In quo formaliter sit sita. Quid sit attritio. An dolor formalis sit necessarius ad sacramentum poenitentiae, et quis dolor. An requiratur propositum formale. An possit dari sacramentum informe ex defectu doloris.

De confessione. An circumstantiae non mutantes speciem necessario sint explicandae. Quomodo explicandus numerus peccatorum.

De satisfactione. An et quomodo teneantur poenitentes implere poenitentiam iniunctam. An possit mutari. An habeat effectum ex opere operato.

De ministro, iurisdictione ordinaria et delegata, sigillo.

De ordine et matrimonio, prout per tempus licebit.

Servetur Ratio Studiorum, sed externarum Academiarum et consuetudinum regionis ratio habeatur.

9. Materias igitur supra positas, et singulis annis assignatas in Ratione Studiorum tam Philosophi quam Theologi suo tempore pertractent; neque illas permisceant, ita tamen, ut externarum Academiarum et consuetudinum regionum, in quibus degitur, quatenus necesse est, ratio habeatur.

Ad 2.m incommodum vitandum quaenam servanda.

Nec, ad transgrediendum ordinem istum, vel discutiendas subtilitates inutiles, suffragari debebit Nostris exemplum auctorum aliquorum, qui sua scripta mandarunt typis, et vel materias permiscuerunt, vel in persequendis minutiis immorati sunt. Quidquid enim de illis sit, ad docendum utiliter in scholis haec ratio non est opportuna. Quocirca, exceptis illis quaestionibus, in quibus Aristoteles vel S. Thomas eiusce rei nobis exemplum dant, non occupentur Nostri facile in divinandis possibilitatibus vel implicantiis rerum; sed, intenti in ea quae disputant auctores classici, abstineant a versando rerum possibilium thesauro; eo quod periculum sit, ne, dum scrutantur veritates nobis incom-

pertas, chimaeras et umbras amplectantur.

Ad 3.m incommodum vitandum remedia.

10. Quod attinet ad tertium incommodum supra tactum, de periculosa quorumdam Professorum licentia in reiiciendis sententiis iam receptis, et excogitandis opinionibus novis atque a communi scholarum sensu alienis, censuerunt iidem PP. Deputati: nihil efficacius decerni posse, quam quod definitum est a Congregatione quinta decreto 41 et 56, et praescribitur in Ratione Studiorum. Nominatim vero caveant Professores Theologiae, ne (quod ipsis prohibetur in laudato decreto 41 Congregationis quintae, et praeterea regula ipsorum 5,) receptas iam, quamvis congruentes tantum rationes, quibus res fidei probari solent, et multo minus testimonia S. Scripturae eodem spectantia reiiciant aut refellant, nec temere novas rationes excogitent.

Serventur de hoc statuta.

Ad horum observationem invigilet Praefectus.

11. Ad horum autem omnium accuratam observationem advigilet in primis Praefectus superiorum scholarum, ideoque scripta, quae in gymnasiis traduntur, sibi subinde ostendi curet, et, si quid peccetur, Superiorem tempestive admoneat. Theses de opinionibus inutilibus, seu a communi scholarum sensu abhorrentibus, vel etiam suo loco non traditis, publice proponi non sinat, nec de iis Nostros aut externos examinari. Quin etiam, dum subibunt examen, sive Nostri sive externi, tam in Philosophia quam in Theologia, habeat ipse penes se catalogum quaestionum seu materiarum, quae in qualibet facultate et quolibet anno tradi deberent, et de illis dumtaxat examen institui sinat, ut constet, an Magistri tradiderint quae tradere debuissent.

Quandonam aliqua doctrina nova dicenda sit.

12. Verum quia non raro controvertitur, quae sit aut non sit doctrina nova et communi sensui scholarum seu doctorum contraria; unde nascitur contentio inter Praefectum Studiorum et Magistrum; ad tollendum hoc impedimentum, visum est mihi de eorumdem PP. Deputatorum consilio statuere sequentia.

1. Contradicente Praefecto, cuius erit id cum debita cautela facere, et nesciis omnibus praeter Rectorem, iuxta ipsius regulam 18, Magister stet Praefecti iudicio, non proponendo nec propugnando sententiam, cui ille contradicit, donec Superiores, ad quos et non ad alios deferenda res est, aliud decernant.

2. Perstante Magistro in sua sententia, Rector inquirat iudicium trium vel quatuor bene doctorum Patrum, idque singillatim et secreto: quorum si maior pars putaverit iustam esse Praefecti contradictionem, efficiat Rector, ut Magister illius se iudicio omnino submittat: et e converso, si illi doctrinam Magistri probaverint, nemo huic negotium facessat. Ut vero minime suspectum sit iudicium istorum Patrum, eligantur, qui minime propensi existimantur esse ad novitates, sed ad Praefectum et Magistrum aequaliter affecti. Quod si Rector tales ad manum non habeat, ad Provincialem recurrat, ut eo, quo dictum est, modo tales aliquot Patres consulat. Sin vero hoc non sufficeret, nec possent sententiae ad concordiam revocari, Superiorum erit in eos animadvertere, quorum culpa id acciderit. Ad eosdem etiam spectabit, ubi opus fuerit, novarum et a communi sensu plane abhorrentium opinionum doctores, si crebrius relabantur et nimium tenaces sint suae sententiae (prout saepe commendatum

est, et praescribitur a Congregatione quinta decreto 41,) amovere a munere docendi, substituto altero, qui fuerit sententiarum probatarum amantior, et ad obsequendum in re, quam tantopere sibi cordi esse testatur Societas, propensior.

Texendus elenchus sententiarum, quas praestat non doceri.

13. Sed ad occurrendum adhuc efficacius praedicto incommodo, optarunt multi, ut texeretur elenchus earum sententiarum, quas praestat non doceri in nostris scholis. Verum, quia fieri omnino nequit, ut singillatim recenseantur omnes, subiicimus hic saltem aliquas, tam philosophicas quam theologicas, ex variis Provinciis huc transmissas, et plerasque a diversis Praepositis Generalibus pridem doceri vetitas in nostris gymnasiis, et nunc iussu postremae Congregationis generalis a PP. Deputatis denuo examinatas. Subiiciemus autem, non quod doctrinam iis contentam qualificare ullo modo animus sit, (id enim altioris subsellii est) sed quia, quaecumque tandem iis inesse possit probabilitas, iudicamus ad uniformitatem et soliditatem doctrinae, toties in nostris Constitutionibus et Congregationum Decretis commendatam, et ad fructum optatum e scholis nostris referendum, omnino expedire, ut nostri Professores ab iis abstineant, quamvis non sit par omnium causa, neque omnes sint aequaliter nostris rationibus inopportunae.

C. 18 d. 20.

14. PROPOSITIONES ALIQUOT, QUAE IN SCHOLIS SOCIETATIS NON SUNT DOCENDAE.

Philosophicae.

1. Sive in syllogismis detur medium, maius aut minus extremum ex natura rei, sive non, ex mente Aristotelis illa constituuntur per situs locales, quos habebant, dum Aristoteles in tabella aut charta pingebat terminos.

2. Genus potest immediate individuari a parte rei.

3. Relatio similitudinis, paternitatis etc. non est formaliter in rebus, aut in suo fundamento; sed est aliquid rationis aut mera intellectus comparatio.

4. Non datur proprie falsitas in materia impossibili; ac propterea non sunt in ea propositiones immediate contradictoriae: ut Deus *est*, Deus *non est*.

5. Non datur materia prima.

6. Materia non est causa, sed mera conditio.

7. Similiter forma et finis non sunt verae causae rerum naturalium.

8. Materia prima potest naturaliter esse sine omni forma.

9. Materia ad productionem formarum active concurrit.

10. Unio materiae et formae est vere natura.

11. Materia prima creatur ab agente naturali.

12. Potest dari creatura, quae natura sua habeat virtutem principalem creandi.

13. Creatio non est productio rei ex nihilo, sed productio rei, quae fit a solo Deo sine consortio alterius causae efficientis.

14. Potest creatura aliqua elevari ad seipsam prima vice producendam.

15. Idem potest esse causa suae causae in prima sui productione in genere causae efficientis.

16. Effectus, recepta realitate seu essentia a sua causa, potest, virtute ipsius essentiae productae in priori naturae a causa, producere sibi existentiam.

17. Potest aliquid substantiale, natura sua incorruptibile atque independens, a materia educi.

18. Elementa non componuntur ex materia et forma, sed ex atomis.

19. Mixta etiam corpora, excepto homine, non habent propriam formam substantialem, sed pro varia atomorum mixtura et dispositione exhibent illas species, quas videmus, auri, marmoris etc.

20. Possunt duae formae ultimae et non subordinatae esse naturaliter in eadem materia.

21. Valde difficulter potest ratione probari sententia contraria sententiae Durandi, quod Deus immediate concurrit ad omnes effectus causarum secundarum; neque loca S. Scripturae hoc convincunt.

Non usurpanda est haec propositio, nisi addendo, sententiam communem contra Durandum sufficienter probari apud intellectum bene dispositum, et abstinendo a refellendis receptis probationibus pro eadem communi sententia, iuxta decretum 41 Congregationis quintae.

22. Accidens naturaliter mutat subiectum inhaesionis.

23. Dubium est, an quantitas distinguatur a materia. Item an distinguatur a formis substantialibus quantitas et impenetrabilitas.

In hoc dubio P. Claudius iussit affirmativam a Nostris docendam; et contrarium vetuit quoque P. Mutius.

24. Quantitas identificatur realiter cum ubi, quo substantia materialis constituitur in loco impenetrabiliter.

25. Continuum successivum et intensio qualitatum solis indivisibilibus constant.

26. Dantur puncta inflata, ex quibus continuum componatur.

Utraque haec est contra regulam, et Aristotelem, et contra Ordinationem P. Mutii ad diversas Provincias missam.

27. Unum et idem punctum, formaliter et virtualiter indivisibile, ratione velocitatis motus potest esse in pluribus partibus spatii uno et eodem momento, et sic ratione intensissimae velocitatis occupare simul totum spatium, quod intercedit inter Romam et Neapolim.

28. Potest dari creatura infinita in omni genere, excepta independentia, quae unica restaret Deo propria: potest etiam dari intellectus infinitus, voluntas infinite perfecta et consequenter indefectibilis.

29. Possibilis est creatura perfectissima, qua perfectior creari a Deo non possit; item imperfectissima, qua nulla imperfectior a Deo possit creari.

30. Infinitum in multitudine et magnitudine, potest claudi inter duas unitates vel duo puncta.

31. Potest assignari dies aliquis in aeternitate, ultra quem nullus alius futurus est; sicut si mundus fuisset ab aeterno, posset assignari primus dies, ante quem nullus alius fuisset.

32. Datur numerus maximus finitus, supra quem Deus nihil potest addere.

33. In continuo intercipiuntur vacua parva, pauciora vel plura, maiora vel minora, pro raritate et densitate eiusdem.

34. Res etiam materialis potest absolvi ab omni respectu sive loci sive temporis et formaliter et fundamentaliter.

35. Terra movetur motu diurno; planetae, tamquam viventia, moventur ab intrinseco. Firmamentum stat.

36. Motus coelorum est omnino ab intrinseco, et nullo modo ab in-

telligentiis. *Propositio adversatur Aristoteli.*

37. Elementa non transmutantur invicem, sed unius particulae in alio delitescunt incorruptae; quarum ingressus rarefactionis et condensationis est ratio.

38. Probabilius dicitur fieri generatio per novam coniunctionem corpusculorum, etiam secundum mentem Aristotelis.

39. Duae tantum sunt qualitates primae, calor et frigus; humor vero et siccitas, non sunt qualitates.

40. Plures sunt primae qualitates sensibiles elementorum, quam quatuor.

41. Gravitas et levitas non differunt specie, sed tantum secundum magis et minus.

42. Anima vegetativa poterit aliqua nutrire, et augere ex nihilo.

43. Potest anima exsistens in uno loco vivificare corpus exsistens actu in alio loco.

44. Dantur in homine simul et permanenter tres animae realiter inter se distinctae.

45. Vita intellectualis creata nullo modo requirit actionem ullam physicam, atque ita intellectus non agit.

46. Bruta circa obiecta particularia discurrunt vero et proprie dicto discursu.

47. Nulla datur in sensibus externis species intentionalis; sed eius loco, verbi gratia, datur in oculo extramissio radiorum visualium.

48. Nullae dantur species impressae, ne intelligibiles quidem.

49. Immortalitas animae non satis colligitur ex operationibus intellectus.

50. Probabilius est, non repugnare potentiam materialem cognoscitivam rei spiritualis.

51. Potest esse substantia materialis, quae et virtute cognoscendi, et loco se movendi, et quia sit essentialiter completa, adaequet, immo excedat animam rationalem.

52. Possibilis est creatura, quae habeat actum intellectus identificatum: item possibilis est creatura, quae sit ipsa species impressa rerum omnium possibilium.

53. Possibilis est anima spiritualis non intellectiva.

54. Substantia materialis potest esse causa adaequata principalis alicuius entis, et substantiae spiritualis.

55. Etiamsi non esset in Deo libertas formaliter, posset adhuc talis perfectio communicata reperiri in creaturis.

56. Causa passiva vere influens, et producens formam, potest esse libera, etiamsi non influat efficienter.

57. Possibilis est potentia, quae, quamvis sit naturaliter incapax operandi libere, divinitus tamen elevata, libere operetur.

58. Non apparet sufficiens repugnantia in eo, quod possibilis sit aliquis intellectus, qui et in obiectis obscure propositis possit independenter ab actu voluntatis se determinare vel ad assensum vel ad dissensum, et consequenter qui sit liber.

59. Naturaliter potest voluntas amare aliquod obiectum, nulla praevia cognitione in intellectu.

60. Voluptas et dolor consistit formaliter in cognitione obiecti.

61. Substantia spiritualis potest habere partes intensionis et extensionis. Potest item de potentia absoluta esse aliqua, quae habeat partes integrantes. Nec ex fide potest persuaderi, animam non esse talem.

62. Potest forma substantialis, etiam spiritualis, esse corruptibilis.

63. Manu tangi potest ens possibile, etiam sub statu possibilitatis.

64. Potest dari actio in distans virtute naturali.

65. Possunt fieri curationes vulnerum vel morborum per medicamenta applicata in distantia, seu per unguentum, quod vocatur armarium.

Theologicae.

1. Leges humanae, etiam Ecclesiae, non habent vim obligandi sub peccato mortali.

2. Omnia peccata luxuriae contra naturam sunt eiusdem speciei infimae; ideoque satis est, si bestialitatis, aut sodomiae, aut mollitiei reus confiteatur, se peccasse contra naturam.

3. Non repugnat potentia materialis adeo perfecta, ut elevata possit videre DEUM.

4. Non repugnant libertas, amicitia et inimicitia DEI, potentiae alicui materiali.

5. Possibilis est, salva omnimoda libertate, quae naturaliter competit creaturae intellectuali, praedestinatio antecedens et absoluta, qua praedestinato gloria intendatur ut corona, independenter omnino a scientia etiam conditionata.

6. Tam intellectu, quam voluntate possumus secundum legem ordinariam uno eodemque habitu, etiam infuso, versari circa rationes formales adaequate diversas, hoc est, sufficientes ad constitutionem unius per se virtutis.

7. Absolute loquendo, potest Christus peccando perdere unionem hypostaticam.

8. Verbum uniri potest diabolo: *sub his terminis non proferenda.*

9. Non potuerunt Patres inferre unitatem suppositi in Christo ex his propositionibus: *Christus est filius DEI et filius hominis;* immo nec ex Scriptura hoc inferre potuere.

10. Persona Verbi, qua persona Verbi formaliter, plus quam denominative subiiciebatur, quando Christus Dominus pro nostra redemptione operabatur.

11. Natura divina, etiam posito quod non sit terminus subsistentialis, potest terminare naturam; et Angelus, qui non est forma, informare materiam.

12. Corpus Christi non habet quantitatem in Eucharistia.

13. In Eucharistia non remanent species reales accidentium, sed tantum intentionales.

14. Cum quantitas non distinguatur a substantia, agentia naturalia non agunt in hostiam consecratam, sed solus DEUS; unde calefactio et transportatio ipsius est a solo DEO.

15. Corpus Christi exsistens sub speciebus eucharisticis concurrit active ad productionem alterius substantiae ex accidentibus corruptis.

16. Moribundus, etsi nullum signum det aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat nec prudenter putare possit, praecessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.

17. Confessio venialium non eget ullo dolore ad remissionem.

18. Confessio facta sine ullo dolore valida est, etiam in mortalibus.

19. Dolor naturalis sufficit ad veram confessionem et absolutionem sacramentalem cum effectu gratiae consequendam.

20. Confessarii Societatis gaudent independenter a P. N. Generali omni-

bus facultatibus concessis Societati; idque vi privilegii Pauli III, quod a nemine Pontificum consequentium revocatum est.

21. Nonnulla peccata, quae reservantur in Societate, ut machinatio in Superiores, seminatio discordiarum et similia, licet attingant gravitatem peccati mortalis, non sunt reservata, nisi sequatur effectus.

22. Is, qui, praemisso examine, confessus est et absolutus, non tenetur deinde confiteri peccatum illud, quod memoriae non occurrerat, et post peractam confessionem occurrit, et constat numquam fuisse directe in confessione expositum.

23. Is, qui a reservato peccato, pro tali cognito, ex necessitate aliqua indirecte est absolutus, non tenetur deinceps se Superiori sistere, nec per se, nec per alium: sed manet simpliciter absolutus, et sine ullo onere quaerendi directe a reservato absolutionem.

24. *Circa quaestionem de actibus liberis* Dei *haec statuimus:* 1. Non doceatur a Nostris sententia Caietani. 2. Nec ulla alia, quae cum sententia Caietani coincidat, et modo loquendi tantum ab ea differat. 3. Propter eam causam, non doceatur actum liberum Dei dicere aliquam rationem positivam, Deo intrinsecam, et in exsistendo contingentem.

25. *In materia de efficacia gratiae servetur decretum P. Claudii conditum 14 decembris 1613.*

His adiungimus sex alias propositiones: non quod credamus quempiam ex Nostris eas docuisse; sed, quia oblatae fuerunt PP. Deputatis, praesenti catalogo duximus inserendas. Sunt autem hae:

1. Deus est causa peccati.

2. Deus habet pro tempore actus amoris et odii, quos non habebat in aeternitate; neque illud magis repugnat divinae immutabilitati, quam quod videmus potentiam eius exsecutivam habere iam exercitia et actus, quos ante non habebat.

3. Quando Deus amat Petrum poenitentem, quem ante oderat peccatorem, vere mutatur secundum nostram dispositionem; et chimaera est credere, eum habere simul actus amoris et odii.

4. Deus non determinat quidquam ab aeternitate de hominum felicitate vel damnatione, sed exspectat eorum statum finalem, ut ad alterutrum se determinet.

5. Non est de fide, quod Deus sciat adhuc determinate, qui sint futuri beati vel damnati, quia illud ab hominum libertate dependet. Negando autem Dei praescientiam liberarum rerum, facilis redditur praedestinatio, quae cum illa praescientia parit horrorem.

6. Nullo modo possibile est Deum scivisse, quod Adamus erat peccaturus, cum sortem nostram in manibus eius posuit.

15. Porro supra dictas propositiones omnes, prout saepe declaravimus, nulla nos afficimus censura, sed solum prohibemus doceri in nostris gymnasiis, ad maiorem uniformitatem et soliditatem doctrinae inter nos, et copiosiorem fructum in auditoribus faciendum. Nec cuiquam patrocinari debet, si quae forte ex illis reperiatur apud aliquos auctores, vel in libris iam editis a Nostris, etiam cum aliqua approbatione; nam optandum fuerat, ut diligentiores fuissent et severiores plerique Revisores. Quod si nihilominus ex iis aliquae (quod

Quatenus praecedentes sententiae prohibeantur.

rarum omnino erit) communiter iam receptae essent in aliqua Provincia, admoneat nos mature P. Provincialis, ut dispiciamus quid facto opus. Sicut et si quae aliae opiniones illic offensam pariant, quae hoc elencho non sunt comprehensae; neque enim existimet ullus permissam sibi esse aliam quamcumque doctrinam, propterea quod catalogo isto non contineatur. Cum enim infinitae possint excogitari sententiae minus nobis accommodatae, paucas ex multis, et missas huc dumtaxat ex variis Provinciis, elencho isti censuimus inserendas.

Quibus elenchus communicandus.

Quare communicetur catalogus hic omnibus nostris Professoribus Philosophiae et Theologiae, nec non Praefectis superiorum facultatum, ut curent, ne huiusmodi sententiae vel proponantur in thesibus, vel in disputationibus propugnentur, vel in scholis nostris doceantur. Denique communicetur etiam cum Revisoribus omnibus, ut, si contingat insertas reperiri in libris, quos examinant, eos edi in lucem non permittant.

Ut omnia haec exsecutioni mandentur, invigilent Rectores, et Provinciales.

16. Ut autem haec omnia exsecutioni accuratius mandentur, Rectores in primis Collegiorum, in quibus superiores traduntur facultates, ponant ea inter praecipuas sui muneris curas. De scholis saepe ac diligenter inquirant, et singulis annis in renovatione studiorum curent haec omnibus in memoriam revocari. Provinciales deinde in visitationibus eiusmodi Collegiorum eadem examinent attente, vocato ad consultationem studiorum Praefecto, atque huius sui officii rationem reddant Praeposito Generali; quem etiam moneri quotannis expediet de observatione, vel secus, tum a Consultoribus tum a Praefecto studiorum. Et cum quaedam Collegia in singulis fere Provinciis sint prae caeteris spectabilia, unde ab aliis petuntur exempla, curent omni ratione Provinciales, ut doctrina et modus docendi, qui in iis tenebitur, eiusmodi sit, ut idoneam inde reliqui omnes in eadem Provincia normam habeant, quam sequantur; nominatim vero curandum id erit, prout optarunt PP. Deputati, in Collegio romano, totius Societatis facile primo.

C. 7 d. 81.

ORDINATIONES
PRAEPOSITORUM GENERALIUM

COMMUNES TOTI SOCIETATI

AUCTORITATE SEPTIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS CONTRACTAE

SUPERIORIBUS SOCIETATIS.

Cum optarent iam dudum pleraeque Provinciae, idque nuper a septima Congregatione postulassent, ut, Ordinationibus Generalium Instructionibusque, breviorem in formam commodioremque ordinem redactis, Nostrorum in his legendis labor taediumque levaretur; communibus illarum votis ut satisfaceret Congregatio, delectis e coetu suo de more aliquot Patribus totum hoc negotium diligenter commendavit. Illi ergo primum quidem antiquas Ordinationes ita contraxerunt, ut et brevissimae nunc sint, et sensum tamen integrum apertumque retineant. Instructionum autem tum quintae, tum sextae Congregationis, quia duo genera erant, utrasque distinguendas censuerunt. Atque eas quidem, quae perpetuae legis vim habere videbantur, integras Ordinationibus subiiciendas; iis exceptis, quae, de tertio probationis anno diversis temporibus perscriptae, aliam methodum ordinemque, in quem nunc digestae sunt, necessario postulabant. Ex reliquis vero ea dumtaxat excerpenda, Ordinationibusque ipsis aut Regulis inserenda iudicarunt, quae certi quidpiam eodem modo statuerent: ita ut, his sepositis, Instructiones illae de caetero, seorsim ab aliis excussae, ad directionem tantummodo Superiorum, pro re nata et

eorum opportunitate, legendae servarentur, sicut Industriae et Epistolae Generalium. Quorum Patrum iudicium operamque cum in omnibus approbasset Congregatio (sic nimirum, ut Ordinationes ad hanc formam redactae vim non novam, sed eam ipsam, quam antea, in posterum obtineant), atque id iam superesset, ut singula in hunc modum recognita et probata cum Provinciis communicarentur; hac laboris parte, quae mihi praecipue demandata est, ita perfunctus sum, ut editionem, qua fieri potuit diligentia, maturarem, caveremque, ne muneris gratiam, quod re ipsa expeti sentiebam, diuturna minui exspectatione permitterem.

Romae, 29 Ianuarii MDCXVI.

BERNARDUS DE ANGELIS,
Secretarius Societatis IESU.

C. 7 d. 81.

ORDINATIONES
PRAEPOSITORUM GENERALIUM.

CAPUT I.

PRO PROVINCIALIBUS.

Quae Novitiis et Tertiariis legenda.

1. Novitiis, tum in prima probatione, tum sexto quoque mense, praeter litteras apostolicas Iulii III, de quibus fit mentio in regula 13 Magistri, ostendatur etiam bulla Pii V de apostatis, et constitutio Gregorii XIV, Gregorii item XIII, quae incipit, Ascendente Domino, parte illa omissa, quae agit de impugnatione Instituti. Similiter etiam eos, qui vota simplicia vel solemnia edituri sunt, aut tertium annum acturi, easdem bullas legere oportebit. *Claudius.*

Deserentes Societatem quando vota renovent post reditum. C. 8 d. 58.

2. Qui post emissa vota Societatem sine licentia deserunt, post reditum eadem cum aliis, praemissa satisfactione, renovare debent. Qui autem cum licentia votis soluti abierint, post reditum ea non emittent ante biennium, sicut et caeteri Novitii. Quod tamen attinet ad probationes, poterit Provincialis, habita ratione personarum satisfactionisque, dispensare. *Claudius.*

Principum virorum sepulcra, tituli et insignia.

3. Principum virorum sepulcra, aut titulos et insignia in ecclesiis nostris exstare non expedit. Quare, si quis tale aliquid petierit, ad Praepositum Generalem referatur, ut decernat quid permitti conveniat. Cenotaphia tamen, ad dies aliquot, vel etiam menses, apponi solita, non prohibentur. *Claudius.*

Abire in patriam.

4. Profectionem in patriam Nostris Provinciales absque causa urgente et quae moram non patiatur, non permittant sine licentia Generalis: ad quem saltem postea referent, si necessitas coegerit; significabuntque quantum ad tempus eam concesserint. Omnibus autem socios adiungent, qui futuri sint aedificationi. *Claudius.*

Historia Collegiorum.

5. Historiam cuiusque Collegii et Domus Societatis Romam mitti oportet, qua breviter explicetur, quo tempore, qua occasione, quibus modis exordium sumpserit; quos item reditus ac bona ab initio, ac quae deinde incrementa, et per quos acceperit; quot et quas lectiones, quaeve alia onera et obligationes habeat; quem numerum personarum alat vel alere possit, caeteraque huiusmodi. Cuius quidem historiae retineri in Collegiis debet exemplum, ut, si quando de futuris incrementis redituum, censuum aut onerum prosequenda erit

Qua forma tum historia, tum vota scribenda, et Acta Congregationum. C. 21 d. 21.

narratio, a fine praecedentium inchoetur. Perscribenda autem erunt omnia in papyro eiusdem magnitudinis cum romana, et marginis olim praescriptae. Qua itidem forma tum vota Nostrorum, cum in Urbem mittentur, tum Acta Congregationum provincialium describi oporteret. *Claudius.*

Novi Superiores Spiritualia Exercitia obeant.

6. Qui in Superiores eliguntur, antequam Superioris officium ineant, sese ad dies aliquot Spiritualibus Exercitiis recolligant. *Claudius.*

Confessarii Nostrorum non sint Consultores.

7. Confessarii Nostrorum, quoad fieri poterit, Consultores non sint: quod si quando fuerint, caveant Superiores, ne, dum de personis agitur, eos quidquam interrogent. *Claudius.*

Novi Sacerdotes, etc.

8. Recens promoti Sacerdotes per duos saltem annos, ut ordinarii Operarii, in ministeriis cum proximis non occupentur; atque intra hoc biennium, et post illud, antequam ad mulierum confessiones exponantur, virorum confessionibus audiendis exerceantur. *Claudius.*

Visitationes mulierum.

9. Ad resecandas mulierum superfluas visitationes, quae magna temporis ac spiritus iactura fieri solent, Provincialis, cum singula loca visitat, diligenter, an ulli sint excessus, investiget; ac praeter eas, quibus ob dignitatem vel merita in Societatem id officii genus negari sine offensione non possit, caeteras omnes huiusmodi visitationes prohibeat. *Claudius.*

Formula de renuntiatione bonorum a Nostris facienda iuxta recognitionem praescriptam a Congregatione decima decreto 2. C. 3 d. 39. C. 4 d. 65.

10. Bonorum distributiones ut recte a Nostris et cum aedificatione fiant, haec in primis observanda. Primo, si, qui suis bonis se abdicant, alii, potius quam Societati, ea donare velint, nec dissuaderi nec retrahi debent; nec opus est, ut Generalis assensum ad id requirant. Secundo, licet integrum illis sit pactionem cum suis parentibus et quibuscumque aliis de legitima parte et aliis bonis ad se pertinentibus inire; admonendi tamen sunt illi prius, Societatem ipsam ad ea bona nullum ius habere. Tertio, si quid Societati elargiri velint, sciant oportet maioris perfectionis esse, id relinquere dispositioni P. Generalis, quam tenero affectu descendere ad Collegia vel loca particularia. Nihilominus, si in aliquo propensio animi ad determinatum locum cerneretur, certior fiat Praepositus Generalis. Et si quidem Rector Collegium suum praeferri cupiat, Provincialem informet, hic vero Generalem de bonorum valore, et Collegii illius necessitate, tum an alia sint Collegia, quae maiori inopia laborent; ac demum quo propendeat voluntas abdicantis, et de necessitate Provinciae, si in ea sunt bona: est enim penes Generalem potestas eam applicationem probandi vel improbandi, etiamsi ante huiusmodi approbationem mors vel professio donantis contigerit. Quarto, abdicatio ipsa debet esse absoluta, absque ulla prorsus conditione, qua posita possit quis ullo umquam tempore abdicata recuperare; et propterea renuntiationis formula, recognoscenda a Patre nostro, ea esse debet, ut, quantum fieri possit, artificia nulla prosint eludere volentibus observationem eorum, quae in hac materia Societas sibi esse cordi demonstravit. Quinto, debet abdicatio esse universalis, ita, ut bonorum omnium dominio, etiam personali, quin et iure omni exuere se Nostri teneantur, nihil penitus sibi reservando, de quo ad libitum possint disponere. Et, si pensiones aut census aliqui reserventur, illi, etiamsi tenues fuerint, statim applicentur alicui Colle-

P. 3 c. 1 n. 9.

Reg. 88 Prov. C. 2 d. 28.

C. 11 d. 17.

C. 7 d. 17. C. 20 d. 7 n. 4.

C. 10 d. 2.

C. 23 d. 31.

Ord. P. Carrafae. C. 12 d. 37 n. 2. C. 14 d. 14. C. 20 d. 7 n. 1.

gio, nec de loco in locum sequantur abdicantem. Sexto, quod si haec ex aliquo casu fieri applicatio non possit, id certe fixum ratumque sit, debere summam integram pecuniarum illarum sive pensionum venire in manus potestatemque Superioris lo- *C. 12 d. 37 n. 3.* calis vel Provincialis, pro arbitrio Generalis; cuius erit curare, ut in horum distributione offensiones decli- *C. 3 d. 16.* nentur, et ad maiorem aedificationem omnium, et gloriam Dei omnia cedant; habeaturque ratio pauperum eius oppidi, in quo sunt bona. Quare in huiusmodi exactionibus conventionibusque Provincialis ipse potius, quoad fieri potest, per se haec tractet, quam per Rectores, ac multo minus per Procuratores, qui applicationum illarum spem aliquam conceperint. Septimo, nulla cuiusquam Nostrorum legitima exigatur, aut applicetur, vel ea de re agatur, priusquam biennium probationis peregerit, votaque emiserit. Quod si quis maturior erit aetate, cuius bona vel a nullo dependeant, vel exigi et recuperari sine offensione ac difficultate possint; referet ad Praepositum Generalem Provincialis, ut videat, an permittenda sit illi dispositio ante biennium. Caeterum, postquam quis in Societate quatuor integros annos vixit, dummodo ad annum vicesimum pervenerit, et in vocatione firmus ac stabilis iudicetur, de rebus suis omnino disponat, nisi patriae leges *C. 15 d. 8.* diutius exspectare cogant. Quando *C. 7 d. 17 n. 6.* vero iudicio Patris nostri ob graves causas ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post novitiatum proventibus debet quidquam possessionibus illorum accrescere, sed in causas pias fructus tales, cum in potestate Nostrorum fuerint, impendendi sunt. Octavo, *C. 11 d. 15.* quod si forte ante quadriennium ex- *C. 7 d. 17 n. 7.* pletum aliqui abdicare se in solidum suis in Nostrorum usum voluerint, solius Patris nostri iudicio haec abdi- *C. 7 d. 17 n. 4.* catio committenda. Postremo, pensiones ecclesiasticae similiaque horum generum, quae vere personalia sunt et super Nostrorum personis constituuntur, quibus absolute et in solidum abdicare se Nostros non expedit, Patris nostri iudicio distribuenda erunt ita, ut nulla talium administratio apud illos maneat, omniumque tandem dati et accepti ratio constet.

11. Ut mutari Superiores debent, *Consultorum mutatio.* ita etiam subinde aliqui Consultores, ne per longissimi temporis spatium iidem semper hoc officio fungantur. *Claudius.*

12. Sacerdotes Novitii, quo primum *Sacerdotes Novitii celebrant cum vovent.* die, biennio elapso, vota emittunt, celebrare antiqua consuetudine solent. *Claudius.*

13. Cum de Superioris alicuius *Quid scribendum cum Superiores mutandi sunt.* mutatione agendum est, primum causam Praeposito Generali exponat Provincialis, cur liberandus quisque videatur. Verbi gratia, quod diu gubernarit, quod minus satisfaciat, quod liberationem ipse expetat. Deinde, re prius cum Consultoribus examinata, subiiciat quis cuique succedere possit; nec unum, sed plures, et quis omnium aptissimus iudicetur. Quod si de his missae alias in Urbem informationes fuerint inter aptos ad gubernandum, id ipsum significet. Sin minus, vel tum statim mittat, vel primo quoque tempore. *Claudius.*

14. Collegia, quae possunt alere *Eleemosynae. C. 8 d. 59.* duodecim scholares, nullas eleemosynas admittere possunt, nisi levis momenti, raro, et ab iis, quorum timeatur offensio, si non admittantur.

Reliqua possunt. Sed si ab iis mittantur, quorum filii scholas nostras frequentant, et coniectura sit (sumpto iudicio ex circumstantiis personarum, ac modi dandi et loquendi) mitti pro compensatione vel intuitu ministerii, admitti non debent, donec plane intelligant accipi non posse, nisi nomine eleemosynae, secluso omni alio respectu, atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur. Idemque est iudicium de eleemosynis, quae, postquam Nostri alicubi concionati sunt, ad Domos vel Collegia interdum mittuntur a Praelatis, vel a civitatibus, aut aliis. *Claudius.*

Instr. secunda Congr. sextae, c. 2 n. 4.

C. 6 d. 39 n. 4.

Concionatores. *Instr. 2 n. 9.*

15. Qui cibis quadragesimalibus vesci non possunt, hi propter aedificationem proximi extra Domos nostras concionaturi ne mittantur. Cum iis autem, qui in ecclesiis nostris concionantur, nemo dispenset inconsulto Provinciali, qui quidem necessitatis et maioris divini obsequii rationem habebit. In victu porro et vestitu lautitiae illae ac singularitates et exemptiones, quibus alii merito offenduntur, Concionatoribus minime concedantur. *Claudius.*

Coadiutores e Novitiatu quando educendi. *Instr. 6 n. 5.*

16. Coadiutores e Novitiatu educi non debent, nisi per annum saltem integrum in eo fuerint, et bene satisfecerint; nullo autem modo ante finitum biennium in publicis aeditui, ianitoris et similium officiis, in quibus cum externis agitur, exponi. *Claudius.*

In exigenda ratione conscientiae secretum servandum. *Instr. 13 c. 2 n. 2, 3. Instr. 11.*

17. Summa cura providere Superiores debent, ut in exigenda ratione conscientiae, secreti naturalis, quo tenentur, fides integra sit; nihil omnino cuiquam innuendo, ac multo minus ad consultationem consilii causa referendo; sed hac notitia ita utendo, ut subditorum animi nequaquam offendantur. Proinde, qua fide in hoc genere se gerant Superiores, Provincialis diligenter cognoscat; et, si quis in eo, minus quam debet, fuerit accuratus, pro culpae modo in eum animadvertat; ac, si opus fuerit, de eo removendo certiorem faciat Generalem Praepositum. Quod ita fuisse constitutum, operae pretium est a subditis intelligi; ne qua ratione ab aperienda sua conscientia deterreantur. *Claudius.*

C. 12 d. 15.

In missionibus quomodo se gerant. *Instr. secunda Congr. sextae. C. 6 d. 39 n. 1.*

18. Qui in missionibus versantur, feminas ne visitent, nec eas ad se domum venire sinant quacumque de causa, sed in templo, si necesse fuerit, audiantur. 2. Externos ad mensam numquam invitent, nec se ab aliis invitari patiantur, quantum in ipsis erit. 3. Pecuniam, quoad fieri potest, non accipiant: si accipere cogentur, sic impendant, ut memores sint paupertatis et aedificationis; eiusque rationem Superiori postea reddant. *Claudius.*

C. 6 d. 39 n. 2.

C. 6 d. 39 n. 3.

Socius Provincialis. *Instr. octava Congr. sextae, pro Sup. n. 2.*

19. Socius Provincialis semel quotannis certiorem faciat Praepositum Generalem, quemadmodum suas Regulas observet Provincialis, caeterasque ordinationes exsecutioni mandandas curet, et ut fructuose se gerat in obeunda Provincia. *Claudius.*

Novi Superiores instruantur in Constitutionibus etc. *Ex eadem, n. 3.*

20. Futuri Superiores, qui nondum gubernarunt, priusquam gubernationem ineant, duos minimum menses, rebus aliis sepositis, ponant in attenta lectione Constitutionum, Regularum, Ordinationum, Industriarum, Instructionum pro Superioribus et Privilegiorum, ut recte omnia percipiant; et, quae non bene intellexerint, a Provinciali percontentur: cuius erit illos erudire, et in visitatione periculum facere, quam bene omnia calleant, admonito Praeposito Generali. *Claudius.*

Ministri quales. *Ex eadem, n. 4.*

21. Ministri, in magnis praesertim Collegiis, nec valde iuvenes praeficiantur, nec absque consultatione. Instruendi autem erunt primum a Provinciali, deinde a Superioribus ipsis in decursu officii; iique sint, quantum fieri poterit, qui Rectores aliquando esse possint. *Claudius.*

Confessarii Superiorum. *Ex eadem, n. 7.*

22. Confessarii Superiorum, absente Provinciali, dispensare cum illis possunt in cibis vetitis, horis canonicis, irregularitate et similibus, eodem plane modo quo Superiores cum suis subditis. Eademque erga Provincialem facultas eius Confessario conceditur. *Claudius.*

Menstrua consultatio. *Instr. 18 n. 6.*

23. Provincialis initio cuiusque mensis, aut certe quando adsunt Consultores, consultationem cum illis habeat de statu et disciplina totius Provinciae, quid in ea sciatur, quid audiatur, quid ipsemet a Rectoribus eorumque Consultoribus acceperit. *Claudius.*

CAPUT II.

PRO SUPERIORIBUS LOCALIBUS.

Libri obscoeni.

1. Libri veterum obscoeni, non expurgati, quamvis in Indice prohibiti non sint, Nostris tamen, etiam Magistris, nisi maturis et qui sine periculo uti possint, non permittantur; Scholasticis autem nullo modo. Recentiores vero, quocumque idiomate scripti, nemini concedantur. Spirituales item, qui, licet pii videantur, Instituto nostro minus congruunt, ut Taulerus, Rusbrochius, Harphius, et alii huiusmodi, Nostris passim ac sine delectu non permittendi. Musici denique, qui turpem dictionem habent, vel sonum, cui subesse obscoena aut vana putentur, penitus interdicuntur. Quinam porro ex libris prohibitis servari in Collegiis nostris et quo loco debeant, quorumve usus et quibus concedi a Rectoribus queat, decernet Praepositus Provincialis. *Everardus.*

Libri spirituales non congruentes Instituto.

Libri musici.

Libri prohibiti.

Bulla Coenae.

2. Bulla Coenae in singulis Domibus et Collegiis eo loco exponatur, ubi commode a Confessariis nostris legi possit. *Everardus.*

Suffragia pro defunctis. *C. 15 d. 10. C. 18 d. 9.*

3. Pro iis, qui in itinere indico vita funguntur, fiant solita suffragia, tum in Provincia, in qua moriuntur, tum in ea etiam Indiae Provincia, ad quam tendebant vel unde in Europam veniebant. Pro iis vero, qui in Europa extra Provincias suas decedunt, fiant in Collegio seu Domo, in qua quis moritur (vel in proxima, si peregre obierit) eadem omnino suffragia, quae fierent, si eius loci membrum foret; moneatque loci Superior Praepositum Provinciae, ad quam defunctus mittebatur, ut solita pro eo suffragia indicat, tum in Domo ad quam destinabatur, tum in tota Provincia, ac si in illa obiisset. *Claudius.*

Compendium privilegiorum.

4. Compendium privilegiorum, seu maius seu brevius, sine permissu Generalis nusquam recudatur. Exemplaria autem, quae ad usum praecipue Superiorum et Consultorum in singu-

lis Domibus et Collegiis esse debent, ita Nostris cum facultate Provincialis concedi poterunt, ut externis non ostendantur, nec inde ad alia loca exportentur. *Claudius.*

Hora considerationis.

5. Horam considerationi Superiores locales quotidie, aut certe alternis diebus impendent, in qua secum et cum Deo considerent, quomodo se habeat status Domus vel Collegii; quomodo subditi in spiritu et virtutibus proficiant; quid impedimenti et distractionis habeant; quo spirituali morbo hic vel ille laboret; quo remedio iuvari possit, ut adhibeatur; quomodo Praefectus rerum spiritualium ac caeteri Officiales suis officiis fungantur; quomodo Regulae, Ordinationes et religiosa disciplina servetur ; quis erga proximos per ministeria nostra fructus colligatur. Denique, praeter examen ordinarium, examinent hoc tempore impensius defectus circa gubernationem ; legant regulas Visitatorum, et Superiorum iussa; nihilque horum omnium perfunctorie, sed accurate et studiose omnia in Domino exsequantur. *Claudius.*

De Praefectis spiritus.

6. Superiores a Praefecto rerum spiritualium rationem frequenter exigant, quomodo et quam frequenter, iuxta Regulas, Patres et Fratres curae suae commissos alloquatur : idque ipsum a Patribus et Fratribus ipsis intelligat. *Claudius.*

Communionis frequentia.

7. Circa communionis frequentiam, ubi servari non potest regula 26 Sacerdotum, ne poenitentes crebrius, quam octavo quoque die, communicent, hoc saltem retineatur, ut solius Provincialis dispensatione bis in hebdomada communicare liceat. Cum iis vero, qui frequentius soliti sunt, id curetur, quod suaviter obtineri possit. *Claudius.*

Novitii quaterni in cubiculis.

8. Novitii in Domo Probationis terni aut quaterni in cubiculis, permixti antiquiores cum recentioribus, manere debent etiam interdiu, non in aula, quae communibus tantum conventibus et exercitiis destinanda est. *Claudius.*

Aedificare. *Instr. pro adm. rer. temp. pro Rect. n. 8.*

9. Superiores locorum inconsulto Provinciali aedificare nihil debent; nec permittere Provincialis, ut quidquam, nisi quod necessarium sit, aedificent. *Claudius.*

Quae cum Consultoribus.

10. Rectores, priusquam ad Provincialem de re aliqua scribant, de ea cum Consultoribus conferant: et quid illi sentiant, Provinciali significent. *Claudius.*

Coenobia Monialium.

11. Monialium coenobia Nostri ad aegrotantium confessiones audiendas nullo modo ingrediantur. *Claudius.*

De vitiis linguae. *Instr. 13 c. 4 n. 2.*

12. In vitiis linguae serio advigilent Superiores, et gravari conscientiam suam intelligant, ut auctores diligenter inquirant, quo severe puniantur. Qui vero auctores ipsos manifestare recusaverint, pro ipsis habeantur. *Claudius.*

De visitatione feminarum. *Instr. 15 c. 2*

13. Saepe inquirant, tum Provincialis tum Superiores locorum, quomodo serventur Regulae et Ordinationes, quae ad confessiones et visitationes feminarum spectant, et maxime regula 18 Sacerdotum, et quae circa illam statuta sunt. *Claudius.*

De notitia per confessionem habita. *Instr. 5.*

14. Tametsi non desint doctores, qui notitia per confessionem habita, salvo sacramenti sigillo, Confessariis uti nonnumquam licere sentiant; Nostros tamen eam doctrinam sequi non expedire iudicamus. Quare caveant diligenter Superiores, ne vel ipsi vel Nostrorum aliquis eam uspiam introducant, privatimve aut publice doceant; nec ea, nisi forte de poenitentis licentia, ullo modo utantur. *Claudius.*

Dies recreationis. *Instr. 17 n. 4, 5.*

15. Die recreationis hebdomadariae cum itur ad praedium seu vineam, ibique coenatur, meridie per unam aut alteram horam Scholastici partim studeant, partim orationem matutinam perficiant. Quo tempore nulli fas sit vel ludere vel confabulari, nisi, eo elapso, signum detur ad recreandum. Cum vero per coeli iniurias vel alias ob causas die recreationis neque ad praedium neque deambulatum ire licuerit, mane ad recreationem non pulsetur, sed vacetur studiis; a prandio vero, peracta recreatione ordinaria, mora aliqua interposita, detur signum ad recreationem per tres horas. *Claudius.*

Doctrina christiana. *Instr. 8 n. 2.*

16. Loco instructionis doctrinae christianae, quae extra Novitiatum ad Coadiutores haberi solet, si satis in ea instructi existimentur, instituatur singulis hebdomadis spirituale colloquium seu conferentia de rebus ad eorum exercitia et captum accommodatis. Plurimum autem conferet, si a Superiore ipso fiant, ad quem haec maxime cura pertinet. *Claudius.*

Nostri ne soli in villis. *Instr. 8 n. 4.*

17. Qui ad vineas agrosque procurandos mittuntur, sint ex iis, qui in spiritu et religiosa disciplina magis profecerint; neque umquam soli in huiusmodi locis morentur, aut certe pernoctent, et quam minimum fieri potest in illis permaneant. Quod si diutius aut longius abesse oporteat, mutentur nonnumquam, aut identidem ad Collegia revertantur, ut in utroque homine reficiantur. Ea vero, quae per externos in his locis curari possunt, ad ea Nostri ne adhibeantur. *Claudius.*

Ministrorum potestas. *Instr. octava Congr. sextae.*

18. Ministris Superiores eam concedere potestatem debent, quae pro personarum conditione ad rectam gubernationem convenire videbitur. Etsi autem Minister, quamvis Superior sit, in virtute sanctae obedientiae praecipere non potest; Coadiutores tamen, sive alii, qui Ministro clare dicunt: *Nolo facere,* incurrunt in quartum casum reservatum inobedientiae expressae. *Claudius.*

C. 7 d. 45.

De consultatione hebdomadaria. *Instr. 18 n. 2.*

19. Superiores tempore ordinariae consultationis singulis vel alternis hebdomadis una perlegant aliquid ex Regulis, Ordinationibus, aut similibus. *Claudius.*

De consultatione menstrua. *Instr. 18 n. 5.*

20. Prima cuiusque mensis hebdomada pro ordinaria consultatione agatur de exsecutione: an aliquid domi sit, quod negligi videatur; an vigeat observatio Regularum; an notetur frequens aliquarum transgressio; an serventur Superiorum ordinationes, praesertim quae in memoriali a Provinciali relictae sunt; quas eodem ipso tempore legi oportebit, si nondum exsecutioni mandatae sint. *Claudius.*

CAPUT III.

DE TERTIO ANNO PROBATIONIS.

PRO PROVINCIALIBUS.

Quinam et quando ad tertium annum mittendi. *Instr. 11, 12, 13 R. P. Aquavivae.*

1. OMNES post absoluta in Societate studia sive Theologiae sive casuum conscientiae, aut certe post studiorum repetitionem quibus illa conceditur, ad tertium annum mittet probationis. Et, quamquam differre interdum ex gravi causa poterit, monito Generali, cum nullo tamen omnino dispensabit.

Qualis Instructor.

2. Superiorem illis seu Instructorem deliget, qui auctoritate valeat et alias gubernarit; cuiusmodi foret Provincialis officio suo defunctus, aut similis quispiam alius, quem magni facturi sint, et a quo regi se facilius patiantur.

Prius monendi de defectibus.

3. Priusquam probationem aggrediantur, eos ipse aut Rector Collegii de iis omnibus admonebit, quae studiorum tempore in illis fuerint observata; Instructoremque de iisdem defectibus informabit, et de reliquis eorum qualitatibus et talentis, ut melius eos dirigere ac iuvare possit.

Ubi facienda haec probatio.

4. Ad hanc probationem, si peculiaris in Provincia Domus non erit, ut conari debent Provinciales, fiet illa quidem in Domo Probationis, sed ita, ut proprium, et a Novitiis separatum locum habeant, in qua exerceantur: nisi forte certa uspiam aliqua sit ratio, cur a Novitiis separandi non videantur; de qua referendum erit ad Praepositum Generalem.

Numerus probandorum.

5. Et, quoniam separati hoc modo pauciores quam decem aut duodecim esse non debent, si tot aliquo anno in Provincia non erunt, coniungi una poterunt e vicinis Provinciis loco designato, qui commodissimus eis videatur. Quod si ne sic quidem coniunctis Provinciis numerus constabit, admonebit Generalem, ut dispiciat, an annum unum duosve differri debeat, quoad numerus expleatur.

Mature mittantur.

6. Dabit operam, tum maxime cum seorsum a Novitiis agitur haec probatio, ut mature ac simul omnes, quoad eius fieri potest, mittantur, qui eiusdem anni sunt, ne aut retardari aut perturbari ordinem probationum necesse sit. *Claudius.*

Prius sacris initiandi.

7. Ad sacros ordines circa finem studiorum omnes promovendi sunt iuxta Constitutiones. Quod si qui ob aetatem aliasve ob causas ordines nondum susceperint, cum ad tertium annum mittentur, hos, nisi forte sacris initiati iam essent, eo tempore promoveri non permittat.

Visitandi, et quomodo profecerint notandum.

8. Crebro illos visitet, moneat, consoletur, advigiletque, ut, si qui in hac probatione non proficiant, mature illos educat, ut eam optare omnes discant; sciantque se interim in humilioribus officiis exercendos, nec ad ullum gradum promovendos, nisi denuo, ad tertium probationis annum admissi, Superioribus satisfecerint.

Adnotabit praeterea in libro quomodo singuli se gesserint, ut, cum informandi pro gradu tempus advenerit, certiora referat ad Generalem.

Moneatur ab Instructore et Superioribus.

9. Curabit, ut Instructor, et Rector seu Magister Novitiorum, et Minister sub anni finem ad ipsum scribant, quomodo singuli et quibus in rebus bene aut male se gesserint. *Claudius.*

PRO INSTRUCTORE.

Huius probationis necessitas.

1. Adniti ante omnia debet, qui huic muneri praeficitur, ut, memor utilitatis necessitatisque, ob quam in Societate instituta est haec probatio, tum serio ipse ac diligenter in officium incumbat, tum eos excitet, qui in ea exercendi sunt, ut magno animi studio et alacritate illam suscipiant.

Exercitia quaenam.

2. Quod ad rationem probationis attinet, iisdem omnino, quibus Novitii, probationibus, tam spiritualibus quam corporalibus, exercendi sunt, hoc est: sex experimentis Societatis et aliis similibus, quae ad perfectam sui abnegationem conferant, sumpto exordio a Spiritualibus Exercitiis per integrum mensem. Ad Magistri autem prudentiam pertinebit pro ratione virium cuiusque ac dispositione haec omnino sic temperare, ut nec severius quam par sit, nec remissius exigantur; sed ad maiorem eorum profectum, solidarumque virtutum adeptionem singula referantur.

Exhortationes diversae.

3. Exhortationes, quae ad ipsos habebuntur, similes earum esse non debent, quae ad Novitios haberi solent; sed magis ad eorum captum accommodatae: in quibus de perfectione, oratione, Instituto, zelo animarum, ministeriis erga proximos tractetur. Idemque iudicium est conferentiarum. Quare, ubi a Novitiis separati non erunt, tum nihilominus ad illos privatim sermo subinde aliquis et conferentia instituatur de re illis propria et apposita, ut dictum est.

Conferentiae.

Quid loco doctrinae christianae.

4. Pro explicatione doctrinae christianae, quae Novitiis tradi solet, utilior et congruentior erit alia quaepiam exercitatio, in qua de iis agatur, quae illorum statui magis conveniunt; cuiusmodi est directorium et modus tradendi Exercitia Spiritualia; modus iuvandi cum fructu animas ex industriis P. Polanci et aliis id genus; modus item adiuvandi eos, qui moriuntur; collationes de Instituto et Constitutionum iis partibus, quae ad virtutes, missiones, auxiliumque animarum spectant, et de Regulis Sacerdotum, Confessariorum, Concionatorum. Conferet etiam fortasse, si, praemissa lectione opusculi B. Bonaventurae de caeremoniis Missae, aut aliorum huiusmodi tractatuum, de nonnullis postea capitibus inter se tractent, quae ad maiorem reverentiam affectumque in tanti mysterii celebratione inflammandum conducant.

Habeant ipsi practicas exhortationes.

5. Non abs re forsitan erit, si practicas interdum de aliqua virtute exhortationes habere iubeantur, ut de obedientia, humilitate, paupertate, fraterna charitate, oratione ac caeteris; et in his suos potius conceptus ac sensus exprimant, quos Dominus ipsis communicarit, tamquam ad promovendum spiritum efficaces, quam aliud quidpiam ad concionum morem meditatum et compositum.

Exercitia corporalia.

6. Exercitia corporalia valde moderata sint, et non qualia Novitiorum; eademque ad mortificationem potius, mentaliumque avocationem, quam ad defatigationem apposita:

tametsi vilia indumenta, et aliae id genus mortificationes praetermitti non debent.

Nullis ministeriis occupentur nisi missionibus.

7. Concionibus habendis, multo minus scholis docendis, operam non dabunt, quamvis ad aliquam missionem unius vel alterius mensis destinari poterunt, ut per villas et pagos doctrinam christianam tradant, et alia huiusmodi ministeria obeant. Sub tempus autem missionum, ne imparati ad eas proficiscantur, instituendae erunt per mensis unius spatium conferentiae de nonnullis conscientiae casibus magis necessariis. Sacerdotes etiam, in audiendis confessionibus nondum exercitati, per mensem unum exercendi erunt, ubi et quando Provinciali vel Instructori videbitur.

Mittendi ad loca nostra vicina.

8. Ad vicina Societatis loca probationis causa, sicuti solent Novitii, ad breve tempus mitti poterunt, ut ibi, similiter atque in Domo Probationis, in humilibus officiis exerceantur, dummodo eorum ratio habeatur, ut bene occupati sint et non otientur.

Libri spirituales.

9. Procuranda erit ad illorum usum librorum spiritualium copia, iuxta indicem, qui subiicietur. Concedi etiam illis fere debebunt Societatis Constitutiones, Regulae Communes ac Sacerdotum, Missionum item et Concionatorum, bullae praeterea, quae ad Societatis Institutum pertinent, Iulii III et Gregorii XIII, et quae contra apostatas est Pii V et Gregorii XIV.

Constitutiones, Regulae.

Instructor, eorum Confessarius, a reservatis absolvet. C. 23 d. 30 n. 4.

10. Confitebuntur ordinarie suo Instructori, qui potestatem habebit etiam a reservatis absolvendi, tametsi Domus vel Collegii Superior non sit. Idem etiam poenitentias ex devotione et alias id genus mortificationes concedere poterit. In iis vero, quae ad domesticam disciplinam spectant, ut cum foras exeundum erit, aut mensae inserviendum, cum Regularum exigenda observatio, aut errata poenitentiis corrigenda, aut iis affinia, Rectoris aut Ministri munus erit, Instructore consulto.

Poenitentiae.

11. Non scribent nec accipient litteras officiosas, multoque minus de rebus novis ullam in partem; sed cum alicuius momenti negotium erit, dispiciet Instructor, penes quem sigillum erit, an litteras reddi conveniat, aut responderi.

Litterae.

Sigillum.

12. Ad vineam aut praedium recreationis causa mitti poterunt singulis mensibus, vel etiam saepius, si Provinciali videbitur. In hebdomadaria autem recreatione servabitur regula 62 Magistri Novitiorum. Extra tempora porro quotidianae recreationis concedi eis poterit, ut in horto aliqua diei hora deambulent, sed singuli seorsim, et silentio.

Vinea.

13. Provincialem de singulorum statu certiorem saepe faciet, quibus scilicet mediis ad virtutes promoveantur; quibus item a defectibus emendentur. Eamque ob causam, atque ut fructuosius eos promoveat, frequenter illos interrogabit, quomodo in orationis industria, in coercendis affectibus, in superandis difficultatibus, in continua rerum omnium mortificatione, indifferentiaque ad gradus et Societatis ministeria, ac demum in spirituali animae suae profectu se habeant. Sub anni vero finem, plenam informationem de singulis ad Provincialem mittet, quomodo et quibus in rebus bene aut male se gesserint; idemque ut faciant, Rectorem et Ministrum admonebit. *Claudius.*

Instructor eos alloquatur saepe, et instruat.

Provincialem informet de singulis.

Libri pro iis, qui in tertio probationis anno versantur.

Praeter eos, qui in Regulis Magistri Novitiorum habentur, addi poterunt alii ex iis, qui habentur in Regulis Praefecti lectorum ad mensam. Adhuc etiam integra opera S. Basilii, S. Gregorii Papae, et Hugonis de Sancto Victore, quorum aliqua tantum in dictis Regulis habentur.

Ex Sanctis Patribus.

Addi item possunt opera Gulielmi parisiensis, Gersonis Cancellarii, Climaci, S. Leonis, et Ludovici granatensis.

Ex Nostris.

Ex Nostris, Hieronymus Platus de bono status religiosi, Bernardinus Rosignolius, Franciscus Arias, Ludovicus de Ponte, Alphonsus Rodericius, Didacus Alvarez de Paz, F. Antonius de Molina de statu sacerdotali, Scala Bellarmini, et de aeterna felicitate Sanctorum, Meditationes etiam P. Natalis, Vincentii Bruni, Costeri, Loartis, Ritii, Pinelli, Capillae, et alia huiusmodi, praesertim ex nostra Societate; ac opuscula Didaci Stellae, et Didaci Perez, avvertimenti spirituali.

Ex historicis.

Ex historicis, Palladius, Theodoretus, Speculum exemplorum, Caesarius, Chronicae S. Dominici et S. Francisci, Speculum Vincentii Beluacensis, S. Antonini historiae, Maruli exempla, Giardino d'esempii di Razzi, et Maffaei vitae confessorum.

Ex interpretibus Scripturae.

Scripturae interpretes aliquot, ut opera omnia Titelmanni, Iansenii et Maldonati, et Bellarmini in Psalmos.

Omnia arbitrio Instructoris.

Omnia autem huiusmodi arbitrio Instructoris habebunt.

PRO IIS, QUI TERTIUM ANNUM AGUNT PROBATIONIS.

Institutio huius probationis. *Exa. c. 1 n. 12. Exa. c. 4 n. 16. P. 5 c. 1 n. 3.*

1. Qui ad tertii anni probationem destinantur, diligenter haec animadvertant oportet. Primum, illam a B. P. N. Ignatio sapienter institutam, et multis Constitutionum locis commendatam fuisse; decretumque Nostros omnes, qui, in Scholasticos approbati, studia iam sua in Societate absolverint, priusquam ad gradum ulteriorem seu Professorum seu Coadiutorum spiritualium admittantur, in hac ultima probatione sedulo exerceri. *C. 8 d. 9.*

Finis huius probationis. *P. 5 c. 2 n. 1.*

2. Porro finem huius probationis esse in plena et absoluta sui ipsius abnegatione ita se cum divina gratia exercere, et cum eadem ad virtutes Religioso dignas incumbere, ut fiat homo in vita spirituali perfectus, idoneumque Societatis instrumentum ad animas Christo lucrifaciendas evadat. Cum enim Societatis Institutum *P. 10 n. 7.* homines non solum litteris, sed multo magis spiritualis vitae perfectione conspicuos requirat; ex illa vero assidua contentione, quae per aliquot annos in excolendo per studia intellectu ponenda est, humilitatis ac devotionis fervor intepescere soleat; necessarium omnino iudicavit Beatus Pater, ut, absolutis studiis, certum aliquod tempus unicuique tribueretur, in quo vires spirituales instauraret, solidarumque virtutum studio et profectu, tamquam necessariis in futurum praesidiis, se communiret.

Media ad eum consequendum.

3. Ad hunc vero finem consequendum duo esse potissimum necessaria. Unum, ut, qui ad hanc probationem mittitur, non perfunctorie ad eam transigendam accedat, sed magna

cum animi simplicitate et humilitate, ardentique profectus sui desiderio; proponatque sibi omnino abhorrere ab omnibus, quae profectum hunc possunt impedire, totisque ea viribus amplecti, quae eum ad eumdem adiutura Superioris iudicio videbuntur. Alterum, ut, quae animo ita statuerit, studiose constanterque exsequatur; nihil omnino, quod ad profectum in humilitate, et abnegationem universi amoris sensualis, voluntatis et iudicii proprii, et ad maiorem cognitionem et amorem Dei conferat, praetermittendo; ut, cum in seipso profecerit, melius atque efficacius alios ad Dei et Domini nostri gloriam iuvare possit.

Sedulo incumbendum *P. 5 c. 2 n. 1.*

4. Denique, cum haec ultima sit Societatis probatio, atque ita illam Constitutiones vocent, merito sollicitum esse debere unumquemque, ut, ad quam initio perfectionem vocatus est, ad eam in hac demum probatione acquirendam omni ope desudet. Iustum enim esse, ut quem a suis fructum Societas, post tot labores et sumptus illorum causa impensos, totque adiumenta tum in purgando affectu tum in excolendo intellectu exhibita, iure suo exigit et exspectat, eum nunc tandem hoc anno reddant. Haec igitur illis observanda erunt.

Sex experimenta.

5. In sex Societatis experimentis, et aliis similibus, iuxta Novitiatus consuetudinem, exercebuntur; sumpto initio a Spiritualibus Exercitiis per integrum mensem.

Orationis tempus.

6. Orationis tempus idem habebunt, quod Novitii, tum matutinum tum pomeridianum, et illud praeterea, quod a communibus occupationibus vacuum propria cuique devotio, re cum Instructore communicata, subministrabit: cum is potissimum huius anni finis sit, ut intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant, quam Societatis Operariis necessariam Constitutiones docent. *P. 10 n. 2.*

A studiis abstinendum.

7. A studiis omnino abstinebunt. Quare nec novi aliquid videre, nec praeterita recognoscere debebunt. Poterunt tamen, praeter libellos spirituales usitatos, legere aliquos similes Patres, qui in catalogo recensentur, non eo fine, ut conceptus aut sententias ad concionandum decerpant, sed ut devotioni tantum et spirituali utilitati serviant.

Quid memoriae mandandum.

8. Quo tempore a Novitiis exerceri memoria solet, similiter et ipsi aliquid per semihoram ediscant, veluti Psalmos et Epistolas S. Pauli, nonnullos ex minoribus Prophetis, atque huius generis alia, prout Instructor consultum in Domino iudicaverit.

Partitio temporis.

9. Ad vitandum otium, et ut cum fructu tempus exigant, distinctas habeant horas et spatia lectionis Sanctorum Patrum, meditationis, orationis vocalis, utanturque diligenter examine particulari, non solum ad vitia exstirpanda, verum etiam ad usum et conservationem virtutum.

Loqui cum aliis.

10. Intelligant sibi non fore liberum colloqui cum Nostris aliunde venientibus, aut cum externis, absque facultate Instructoris; neque expedire, ad vitandas importunas distractiones, ut cum aliis etiam aut inter se indifferenter agant aut conversentur, sed cum iis tantum, quos Superior cuilibet assignabit.

Ad signum campanae.

11. Cum signum datur exeundi vel ad concionem vel deambulatum, nullus ab accessu cum aliis ad aulam eximatur, ut ibi singulis comites assignentur.

Exercebuntur in humilioribus.

12. In ministerio culinae et caeteris corporalibus exercitationibus omnia praestabunt, quae Novitii solent, seu tempus spectetur, quo singula praestanda sunt, sive occupationis spatium, quo explenda est. In his vero sic se a Praefecto dirigi sinent, sicut ipsimet Novitii.

Legent ad mensam.

13. Legent ordine suo ad mensam; in exhortationibus et conferentiis assidui erunt; in omnibus denique communibus exercitiis eam diligentiam adhibebunt, qua Novitios non aequare modo, sed vincere studeant.

Recreatio.

14. Communem recreationem simul omnes sic agant, ut dum ea, quae pios Religiosos decent, loqui assuescunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miscere norint, quae pietatem redoleant et audientes aedificent.

Non de se cogitent.

15. Caveant ne ulla ratione scire satagant aut coniicere quid ipsis, peracto tertio anno, futurum sit, et qua in re Superiores occupare illos statuant; sed cum indifferentia obedientiae nutum praestolentur.

Silentium.

16. Si quando extra horas recreationis a Superiore conceditur, ut in horto relaxandi animi causa tempore aliquo deambulent, singuli seorsim incedent, silentiumque servabunt; et importunis horis per Domum non discurrent, sed in suis cubiculis locisque designatis se continebunt.

Legenda singulis mensibus.

17. Hanc Instructionem et Regulas semel saltem singulis mensibus ac saepius etiam legant, ut in praxim usumque reducant. *Claudius.*

CAPUT IV.

Auctoritate Congr. sextae ex variis Ordinationibus ac Decretis collecta. C. 16 d. 88.

MONITA GENERALIA,

QUAE AD RELIGIOSAM NOSTRORUM DIRECTIONEM SPECTANT, ET AB OMNIBUS OBSERVANDA SUNT.

Examen.

1. NULLUS, etiam Sacerdos, vagetur mane extra cubiculum tempore examinis, nisi occupetur in templo. Sacerdotes vero, qui occupati non fuerint, faciant etiam ipsi examen, nisi forte paulo ante celebraverint, idque ante Sacrum fecerint: tunc enim horas recitare poterunt vel aliter orare, sed in cubiculo. Diebus tamen festis ac dominicis, ubi mane habita est concio, examen ex praescripto non fiet, ideoque signum non dabitur; ubi vero habita non fuerit, pulsabitur ad examen, ut fiat.

Examen quando diebus festis faciendum. *Ex c. 5 Ord. Gen.*

Externorum negotia nemo Romam petens suscipiat. *Ex c. 8 Ord.*

2. Nullus, vel etiam Procuratorum, quibus Romam venire contigerit, externorum negotia suscipiat, vel in iis suam operam polliceatur sine facultate Provincialis; quam raro admodum, nec nisi gravioribus de causis concedet.

Praesentia socii in visitandis mulieribus. *Ex c. 12 Ord. Instr. 3 n. 7.*

3. Intelligant Nostri, non solum Sacerdotibus quam accuratissime servandam esse regulam 18, de socio secum retinendo, cum ad confessiones feminarum audiendas, vel alia de causa eas adierint; videlicet: quamdiu cum illis agendum erit, eo in

loco socium esse oportere, unde videre eos, sed non, quae secreta esse oportet, audire possit, quantum loci dispositio patietur; sed alios quoque omnes, qui Sacerdotes non fuerint, eadem lege teneri, sive ipsi mulieres invisant, sive alios ex Nostris comitentur. Quin, ut religiosae honestati et aedificationi consulatur, conentur omnes in quorumcumque visitationibus, quamvis virorum, socium sui testem habere; nisi personae, quas invisunt, eae fuerint, ut nec per negotia ipsa, nec per urbanitatem liceat una sibi esse cum socio. Ac proinde eos, qui socii munere funguntur, nosse oportet, ubi Domum redierint, Superiori significari oportere, quamvis non exposcenti, quaecumque contra regulam et hanc Ordinationem acciderint.

Socii tenentur Superiori aperire, an servetur Ordinatio.

Quomodo litterae scribendae. *Ex c. 15 Ord. n. 7-13.*

4. In litteris scribendis, non solum stricte servanda erit regula 39 Summarii, de non scribendis nisi obtenta facultate, et litteris ei ostensis, quem Superior destinaverit; verum etiam curandum erit diligenter, ne de saecularibus negotiis aut inutilibus, aut ab eo, qui scribit, alienis, litterae quidquam contineant, cuiusmodi essent: rumusculi, nuntii de rebus viro Religioso non consentaneis, quin etiam formae quaedam scribendi, et figurae locutionesque saecularem et aulicam consuetudinem olentes, inania officia et affectatae assentatiunculae, et id genus alia, quae haud parum dedecent. Sed potius ita a Nostris scribatur, ut non res solum, sed ipse etiam scribendi modus aedificationi sit legenti.

Litterae Superiorum mediatorum ad subditos. *Ex c. 15 Ord. n. 14.*

5. Nemini, cum ad Generalem aut mediatos Superiores scribit vel ab iisdem litteras accipit, licebit eas immediato Superiori ostendere. Quod si litterae quid contineant, quod immediatum Superiorem nosse oportebit, id verbo, et non ex ipsis litteris significandum erit.

C. 22 d. 21. C. 28 d. 39.

Litterae negotia continentes. *Form. scrib. n. 14, 15, 16, pag. 42.*

6. Litterae, quae negotia continent, solum ad Praepositum Generalem, et non ad alios, qui cum ipso agant, destinentur. Poterit tamen ad eos scribi, ut illa tractari et expediri curent. Quarum si nonnullae Generalis Procuratoris opera indigere videbuntur, adiecta exterius littera *P.* notentur.

Litterae quae soli scribuntur. *Instr. 9 n. 8.*

7. Porro in litteris, quae *soli* inscribuntur, duo erunt scribenti praestanda: alterum est, ut, quae iis committuntur, eius generis sint, quae secreto opus habeant, nec cum aliis communicari postulent. Alterum, ut, cum huiusmodi secreta scribunt, si de rebus aliis scribendum sit, id seorsim faciant, aliis litteris ab eis seiunctis, quae *soli* inscribendae erunt.

Modus in eleemosynis petendis. *Ex c. 15 Ord. n. 15.*

8. In eleemosynis petendis modum haberi oportet, ne nimii aut importuni simus: alioquin fideles a nobis et a nostris ministeriis arcentur; unde fructus spiritualis peribit, immo et temporalis.

Nihil accipiendum ad usum proprium. *C. 6 d. 21.*

9. Intelligant omnes, nemini Nostrorum licere, eo maxime titulo, quod cum Principibus, aliisque viris primariis amicissime agant vel eorum Confessarii sint, ad proprium usum ac dispositionem ab eis quidquam accipere; nec ad id Superiores potestatem facere posse: eo minime impune abire permisso, qui hac in re defecisse deprehenderetur. Idemque omnino iudicium esse debet de aliis Confessariis, Concionatoribus, Praeceptoribus et similibus erga poenitentes, devotos, consanguineos et amicos, maxime vero de iis, qui in missionibus versantur. Quod si sponte

C. 7 d. 80 n. 14. Instr. 15 c. 1 n. 1.

Reg. 64 Praep. Reg. 60 Rect.

aliquid offeratur aut quidpiam mittatur, id iuxta regulam in communem usum accipiatur et dispensetur.

Quantitas contra votum. *Ex c. 17 Ord.*

10. Intelligant omnes, eam quantitatem, quae furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum praeceptum, sufficere ut peccasse adversum votum paupertatis iudicetur, si quis e Nostris rem ut propriam vel usurpet vel alienet absque Superioris facultate.

Annuae externis ne ostendantur. *Ex c. 23 Ord.*

11. Nemo in posterum cuivis externo, quavis occasione, Societatis nostrae annuas communicet seu ostendat.

Nemo alteri patrocinetur. *Ex c. 24 Ord.*

12. Praeter eos, ad quorum officium aliqua ratione pertinet, ut sunt Consultores, Admonitores, Confessarii, nemo alterius cuiuspiam e Nostris negotium cum Superiore tractandum et expediendum suscipiat; nec ulla ratione eam curam intercedendi tamquam propriam sibi assumat: ut cum agitur de aliquo ad Societatem admittendo, vel ab ea dimittendo, vel in eadem retinendo, de quopiam ad hunc vel illum gradum promovendo, ad haec vel illa studia applicando, et similibus. Quod si cuipiam aliquid ad alios spectans Superiori videretur proponendum, id non ratione amicitiae et particularis affectus fiat, sed ob maius Societatis bonum, vel ob solidam consolationem ac spirituale eius auxilium, cuius negotium agitur. Et tunc quidem, re prius Domino commendata ac probe expensis rationibus, satis erit, si rem Superiori vel Admonitori proponat. Atque ita rem tractandam suscipiet, ut minime appareat velle eam ad exitum omnino perducere; multoque minus cum Consultoribus aget, ut ad suam eos sententiam alliciat. Demum ita rem transigat, ut nec Superioribus vel caeteris permolestus sit; sed totam eius rei curam ita in eorum manibus relinquat, ut quidquid illi, perpensis undique rebus omnibus, in Domino statuerint, melius et divino obsequio magis consonum fore existimet.

De superflua pecunia in viaticis. *Instr. 1 n. 8.*

13. Nostris iter agentibus, ut necessario viatico, debito cum amore et charitate, providendum erit, ita nulla ratione permittendum, ut pecunia illis detur ad superflua coemenda, et quae religiosae paupertati minime consonant, ut sunt curiosa et pretiosa; multoque minus ut ab externis seu consanguineis cum aedificationis iactura conquiratur.

Curiosa et pretiosa interdicuntur. *Instr. 1 n. 7. C. 7 d. 80 n. 4.*

14. Nulla ratione permittatur, ut Nostri apud se habeant secumve ferant quaedam, quae pauperibus, quales nos sumus, minime conveniant, ut sunt horologia aurea, imagines multi valoris, reliquiaria curiosa et pretiosa, aliaque id genus, quorum valor pretium vulgare excedit.

C. 22 d. 24.

Libris propriis quomodo utendum. *Instr. 1 n. 8.*

15. Nemo in libris, quos de Superiorum licentia apud se habet, inscribat *ad usum*, quod paupertatis perfectioni et puritati repugnat; sed in iis, quos de Superioris licentia externorum pecunia coemerit, ut ipse utatur (qui tamen ex uno in aliud Collegium asportandi non erunt), satis erit inscribere nomen Collegii vel Domus, cui sunt applicati.

Promissio ingrediendi Societatem est votum. *C. 6 can. 2 d. 6.*

16. Sciant omnes promissionem illam Societatem ingrediendi, formula votorum simplicium Scholasticorum expressam, votum esse peculiare, a tribus aliis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito Generali ad maius Dei obsequium fore videbitur.

Regulae Summarii 24 interpretatio. *C. 5 can. 7 d. 10, 50, 59.*

17. Intelligant verba illa regulae Summarii: *nullaque re tamquam propria utantur,* sic esse accipienda, ut ii, qui tria vota substantialia emiserunt, non solum contra votum peccent, si re aliqua tamquam propria utantur; sed si ii quoque, qui nondum se suis bonis abdicarunt, quacumque ratione de iis disponant, vel ea distribuant aut iis se abdicent, cum absque Superioris voluntate id fecerint.

Negotia Status sub censuris interdicuntur. *C. 5 can. 12 d. 47, 79.*

18. Ut ab omni specie mali abstineamus, et querelis quoque ex falsis suspicionibus provenientibus, quoad eius fieri poterit, occurramus; praecipitur Nostris omnibus in virtute obedientiae, et sub poena inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates seu praelationes, vocisque tam activae quam passivae privationis, ne quispiam publicis et saecularibus Principum negotiis, quae ad rationem Status, ut vocant, pertinent, ulla ratione se immiscere, nec etiam, quantumvis per quoscumque requisitus aut rogatus, eiusmodi res politicas tractandi curam suscipere audeat vel praesumat.

Saecularia quoque negotia prohibentur. *C. 5 can. 18 d. 48, 80.*

19. Diligentissime cavendum est, ne Nostri cum detrimento spiritualis boni ac religiosae disciplinae iactura, sese in familiaritatem Principum insinuent : nec aliis negotiis saecularibus, licet rerum particularium, ad consanguineos, amicos vel quosvis alios pertinentibus, occupentur (nisi forte interdum iudicio Superiorum charitas aliud suaderet), ut, a negotiis huiusmodi, tamquam a nobis alienis, abstinentes, intra Instituti nostri limites proximos iuvare conemur.

Exercitia quotannis obeund a *C. 6 can. 9 d. 29.*

20. Omnes quotannis vacent Spiritualibus Exercitiis obeundis per octo vel decem continuos dies.

Silentii Regulae interpretatio. *Ex Instr. pro renov. spir.*

21. Intelligant omnes oportet, quemadmodum dato signo ad finem recreationis statim conticendum est, ita, cum foras eundum erit, minime loqui licere intra urbem, ubi frequens est populus, iuxta regulae de silentio intellectum; et qui in refectorio vel in culina tempore primae aut secundae mensae ministrant, noverint eamdem sibi legem esse servandam, quamvis secundae recreationi iidem interesse poterunt.

Instr. 13 c. 5.

Recreatio religiose transigenda. *Instr. 13 c. 9.*

22. Studeant omnes recreationis tempus religiose transigere, ne spiritus liberiore conversatione intepescat, plurimumque distrahatur; curentque, rerum curiosarum ac ludicrarum narratiunculis amandatis, ea, quae pios Religiosos decet, loqui assuescere; quo fiet, ut, cum erit nobis cum externis agendum, ea colloquia miscere noverimus, quae pietatem oleant et audientes aedificent.

CAPUT V.

DE CASIBUS RESERVATIS IN SOCIETATE,

IUXTA DECRETUM SS. D. N. CLEMENTIS VIII DE CASUUM RESERVATIONE PRO REGULARIBUS.

Casuum reservatione prudenter utendum.

1. SANCTISSIMUS D. N., qui iam pridem accurate perpendit et reipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum et spiritualis remedii desperationem; ideo, ut huic malo Sua Sanctitas opportune prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverit.

Qui reservari possint.

2. I. Veneficia, incantationes, sortilegia. II. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventus egressio fiat. III. Nocturna ac furtiva e Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. IV. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. V. Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo. VI. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. VII. Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventus. VIII. Furtum de rebus Monasterii sive Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. IX. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. X. Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiusque personae. XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores vel ab inferioribus ad Superiores.

Facultas reservandi cui concedatur.

3. Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto ordine, aut provincialis in Provincia, matura discussione et consensu.

Quando Superior audire poterit confessiones subditorum.

4. Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint.

Deputandi pro absolutione a reservatis.

5. Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres aut quatuor Confessarios pro subditorum numero maiori vel minori; iique sint docti, prudentes et charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit.

Interdicitur usus notitiae per confessionem habitae.

6. Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Superioris erit poenitentias determinare.

7. Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a Confessariis imponendas, quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Derogatur omnibus privilegiis.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiusvis Concilii, etiam generalis, decretis; nec non consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut Regulis in generalibus aut provincialibus Capitulis editis, statutis et constitutionibus etiam apostolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis et concessionibus quibuscumque (quorum tenores hic pro expressis haberi voluit) caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, die 26 Maii 1594.

Andreas Sorbolongus Secret.

SS. D. N. Clemens VIII *cum nostra Societate dispensavit, et vivae vocis oraculo concessit:*

Novitiorum Magistri excipiuntur. *C. 5 d. 64.*

1. Ut, cum prohibentur Superiores audire subditorum confessiones, supra § 4, non intelligantur Superiores, qui sunt Magistri Novitiorum.

Non tenemur deputare Confessarios pro non reservatis. *C. 11 d. 21.*

2. Ne in singulis Domibus, praeter Confessarium ordinarium, teneantur deputare duos vel plures Confessarios, qui a non reservatis absolvant, ut dicitur supra § 5.

Superior denegare poterit licentiam absolvendi a reservatis.

3. Ne iudicium a reservatis absolvendi Confessariis absolute relinquatur, ut in eodem paragrapho dicitur, sed liceat interdum (quod omnino necessarium est) Superiori, pro ratione sui officii, huiusmodi facultatem denegare in iis casibus, in quibus constat, iuxta ea, quae doctores dicunt et discreta charitas docet, licentiam huiusmodi esse denegandam, ut plenius in Instructione explicabitur.

Casus, quorum absolutio reservata est Superioribus Societatis, auctoritate quintae Congregationis generalis editi et observandi, praeter eos, qui supra scripto decreto SS. D. N. Clementis VIII *omnibus Regularibus reservari permittuntur iuxta § 2 dicti decreti.* *C. 5 d. 51, 57.* *C. 9 d. 48.*

Casus reservati pro Nostris in generali Congregatione.

1. Periurium, et falsum testimonium in iudicio vel extra. 2. Furtum et usurpatio alicuius rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quae efficiat peccatum mortale. 3. Lapsus carnis voluntarius, et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat. 4. Inobedientia expressa, qua quis asserit se nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, et divisio a capite in grave nocumentum Societatis. 6. Detractio famae bonaeque existimationis aliorum, et discordiarum seminatio inter Fratres. 7. Impedimentum excludens e Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri posit. 8. Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, quae scilicet acceptio vel missio contineat rationem peccati mortalis. 9. Transgressio votorum simplicium, quae Professi emittunt post professionem. 10. Censurae *C. 5 d. 57.*

Societatis nostrae, seu peccata, quae in nostris Constitutionibus, bullis, vel Decretis annexam habent excommunicationem. *Praeterea ex decreto 17 Congregationis XVI reservatur transgressio praecepti de non procurandis externorum intercessionibus.*

Quando censentur reservata, et cui.

Haec omnia, cum manifeste erunt mortalia et in actum exteriorem prodierint, reservantur Superiori Domus vel Collegii (*exceptis iis, quae reservantur mediatis Superioribus, ut videre est in novo catalogo censurarum cap. I, § 4, 5, 6, et cap. III, § 2, 3, 4, 5, 7, 8, 9 et 10*) et ab alio, nisi de expressa licentia illius, absolvi non possunt.

CAPUT VI.

PRO SUPERIORIBUS ET CONFESSARIIS SOCIETATIS.

CIRCA CASUS RESERVATOS.

Superior non debet esse difficilis in facultate absolvendi concedenda.

1. Quando Confessarius, tacito nomine poenitentis, a Superiore petit facultatem absolvendi a casu reservato, nullo modo Superior difficilis esse debet, sed facilis potius et promptus in ea concedenda: immo eum persuadere sibi convenit, posse se hac in re graviter offendere, si imprudenter et sine iusta gravique causa eam negat.

Quomodo et quando facultatem negabit.

2. Quia tamen et doctores censent Superiorem interdum debere, pro ratione sui officii, huiusmodi facultatem negare; attendat is diligenter, ut id raro faciat, et in iis tantum casibus, in quibus docebit discreta charitas (iuxta ea quae iidem doctores tradunt) licentiam huiusmodi esse denegandam; ut, verbi gratia, cum probabiliter timeri poterit scandalum aut recidivum poenitentis aut alterius. In huiusmodi enim, quae inducunt necessitatem vitandi scandalum, vel damnum Collegii, aut alterius ruinam, manifestum est poenitentem teneri per se vel per Confessarium rem ipsam Superiori manifestare, tamquam illi, qui remedium necessarium adhibere potest; salvo tamen sigillo, ut oportet.

A quibus rebus Superiori et Confessario cavendum.

3. Caveat vero Superior, ne, cum ab eo petitur facultas, curiose inquirat, aut aliud quid faciat, unde coniicere possit, quis ille sit, pro quo petitur; et ne circumstantias alias exquirat, quam quae ad rem pertinent. Caveat etiam Confessarius, ne quid elabatur, ex quo poenitens cognosci possit; qui, si timet, ne ex notitia alicuius rei possit Superior probabiliter suspicari, quis ille sit, sciat se omnino eam reticere debere, et omnem cautelam adhibere in casu proponendo, ne ulla ratione Superior possit probabiliter agnoscere auctorem. In quo si viderit, proponendo casum in specie, occasionem suspicionis Superiori dari, satis erit, si in genere dicat aliquem in casum reservatum incidisse, qui nec damnum Societati, nec alteri, nec ipsi poenitenti afferre possit. Uterque denique, tam Superior quam Confessarius, memores sint obligationis sigilli, et ita se

gerant, ut eius puritati et integritati per omnia consulant.

Cum Superior et Confessarius non conveniunt, quid agendum.

4. Quod si post relationem factam a Confessario de casu et circumstantiis, quae salvo sigillo indicari possunt, iudicat Superior facultatem non esse concedendam; et hoc non obstante, Confessarius urget, huiusmodi Superioris severitatem in maius detrimentum spirituale, ruinam, et laqueum poenitentis cedere, quod videat illum obfirmato esse animo et nullo modo velle Superiorem adire (in cuius rei iudicio Confessarii conscientia oneratur); tentanda erunt media aliqua, de quibus pro re nata Superior et Confessarius inter se conferent, ac tandem, si nullum aliud reperiatur, Superior facultatem negare non debet.

Quando per alium facultatem petet.

5. Porro cum subditus non per Confessarium ordinarium, sed per alium Sacerdotem facultatem petit, non facile acquiescere debet Superior, nisi Sacerdos ille talis sit, cui merito committi possit; e converso contingere poterit in aliquo casu, ut, si nolit subditus Superiorem adire, expediat a Superiore designari aliquem ex senioribus doctum, prudentem, spiritu et charitate plenum, qui melius aut aeque bene ipsi mederi possit, ac Confessarius ordinarius: id enim non erit abs re aliquando facere.

Facultas absolvendi iter agentes. *Comp. Privil. n. 126.*

6. Caeterum haec de iis intelligenda sunt, qui in Societatis Domibus vel Collegiis resident; nam de iter agentibus, quando ad aliquem Societatis locum divertunt, aliter iudicandum est; quos nempe potest a reservatis ordinarius loci illius Confessor absolvere; aut, si is haberi non possit, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus; aut, si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere et obligatione, ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri vel redituri sunt, eique aut alteri de eius licentia, confiteantur. Si vero accidat, ut aliquis tamquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puta spatio unius aut alterius circiter mensis), si is eo tempore in casum aliquem reservatum incideret, poterit ac debebit absolvi a Superiore illius loci, in quo est, vel de eius licentia, tamquam si proprius esset eius subditus, sine obligatione sistendi se Superiori eius loci, ad quem proprie pertinet.

Obligatio se Superiori sistendi.

Diversa ratio commorantis in Collegio spatio unius, vel alterius mensis.

Facultas absolvendi Superiores locales, *C. 12 act. 40.*

7. Superiores locales possunt absolvi a reservatis per quemcumque ex ordinariis suae Domus Confessariis. Quod si alium ex suis subditis malint, is absolvet cum onere se praesentandi Provinciali. Provinciales autem absolvi possunt a suo Socio, a Superioribus localibus, seu eorum ad id delegatis, a Confessariis ordinariis Domus. Quo iure etiam gaudent ipsius Socii. In Residentiis Missionibusque fixis, in quibus e Nostris pauci morantur, ius idem illarum Superioribus conceditur quod Rectores habent, quoad facultatem absolvendi per se seu delegandi, integra tamen illis manente concessione Congregationis VIII decreto 25 pro parvis Domibus, qua Confessarius potest absolvere poenitentem a reservatis, cum onere se praesentandi Provinciali aut alteri Superiori, si brevi sit in eius Domum discessurus. Praeterea, si Superior ex urbe abierit, Vice Praepositus, aut Vice Rector ab eo dictus, habet facultatem absolvendi a reservatis, qualem et ipse Superior. Quod si nullum suo loco substituerit,

Provincialem,

eiusque Socium.

Quid in Residentiis Missionibusque fixis. *C. 12 d. 17.*

Quid, si Superior abierit. *C. 12 d. 17.*

etiamsi per unam seu integram diem futurus sit absens, nec consuli possit, is qui Minister est et Domui tunc praeest, facultatem habet tum absolvendi tum delegandi hanc potestatem.

In dubiis Confessarius potest absolvere.

8. Ad extremum, ut omnes eximantur scrupuli et maiori cum fiducia ac libertate procedatur, cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit quod proponitur, ab eo, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet huiusmodi dubitatio ex ignorantia procedat: sed neque postea, si animadverterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona siquidem et vera fuit absolutio.

Qua cautela utendum Confessariis circa poenitentes.

9. Et haec quidem de casibus reservatis. Caeterum, quia propter multas et maximas utilitates, non modo in casibus reservatis, sed etiam in aliis, quae nec reservata sunt et interdum nec etiam mortalia, ut sunt peccandi pericula, diuturnae tentationes, et huiusmodi, valde expedit et poenitenti mirum in modum utile est, si sincere cor suum Superiori aperiat; non praetermittat Confessarius in huiusmodi casibus, prudenter eas utilitates poenitenti suggerendo illum hortari, ut Superiorem adeat. Quod si suaviter obtinere nequeat, non erit tandem poenitens nimis urgendus; nisi alioqui casus esset ex iis, in quibus, ut dictum est, teneretur poenitens rem manifestare, et alioqui non esset capax absolutionis.

CAPUT VII.

DE PROMOVENDIS AD ORDINES SACROS.

QUAENAM REQUIRANTUR ET SPECTARI DEBEANT IN NOSTRIS, QUI AD SACROS ORDINES PROMOVENDI SUNT.

A R. P. N. Everardo Mercuriano, Praeposito Generali, tradita anno 1576.

Aetas.

1. Ut aetate sit, quam in singulis sacris Ordinibus requirit Concilium Tridentinum.

Iudicium.

2. Ut naturali iudicio et prudentia valeat.

Latina lingua.

3. Ut linguam latinam teneat, et bene legere ac pronuntiare sciat.

In casibus versatus.

4. Ut in studiis litterarum, saltem in casibus conscientiae, diligenter versatus sit ita, ut, cum ad Sacerdotium promovetur, fructuose confessiones audire possit: de qua scientia ut melius Superiori constet, examinandi prius sunt saltem semihorae spatio a quatuor Examinatoribus. *C. 13 d. 16.*

In spiritu ac moribus probatus.

5. Ut iis moribus, spiritu, ac vita religiosa et exemplari, et humilitate sit praeditus, quae ad tantum ministerium obeundum sunt necessaria.

Non nisi post quinquennium in Societate. *C. 7 d. 80 n. 1.*

6. Ut consueta Societatis vota emiserit, et quinquennium saltem in Societate exegerit, atque in vocatione sua stabilis ac firmus sit.

Ad doctrinam christianam docendam idoneus.

7. Ut ad docendum doctrinam christianam pueros ac rudiores personas idoneus sit, et in ratione Missae

dicendae et in caeremoniis bene instructus iuxta Constitutiones.

Facultas Provinciali datur. *Reg. 61 Prov.*

Haec omnia Provincialis, consilio suorum Consultorum adhibito, perpendet, quae si invenerit, facultatem poterit suis concedere, ut promoveantur ad omnes sacros ordines, et ubi promoti fuerint, certiorem faciat Generalem.

CAPUT VIII.

DE LIBRIS ORDINATIONUM.

QUINAM NECESSARII, ET QUALITER DISTRIBUENDI IN COLLEGIIS SEU DOMIBUS SOCIETATIS VIDEANTUR.

Primus liber Ordinationes maioris momenti continet. Dividitur in tres partes.

1. PRIMUS liber continebit Ordinationes maioris momenti, et huius fit mentio in regula 135 Provincialis et 16 Rectoris. Dividetur autem in tres partes. In prima scribentur Ordinationes maioris momenti et perpetuae, quae a Generalibus mittuntur iuxta regulam 16 Rectoris. In secunda parte scribentur visitationes Collegii a Generali approbatae: ea scilicet, quae in illis visitationibus maioris momenti et perpetua fuerint, iuxta eamdem regulam 16. In tertia parte scribentur eius generis Ordinationes perpetuae, quas in hoc libro scribendas esse regula 135 Provincialis posteriori parte exigit, sive illae toti Provinciae communes sint, sive uni tantum Collegio, in quo liber est, conveniant. Huc etiam spectant responsa Patris nostri ad quaesita particularia illius Collegii vel Provinciae, non tamen Procuratorum, sed alio tempore data.

Secundus liber continet responsa Generalium ad Provincias.

2. Secundus liber continebit responsa Generalium ad quaesita Provinciarum, et habebit duas partes. In prima responsa Generalium, quae Provinciae illi per Procuratorem, qui tertio quoque anno Romam mittitur, dantur. In secunda parte scribentur responsa post Congregationem Procuratorum sive alias diversis Provinciis data et communicata, sive ad maiorem notitiam sive ut ab omnibus Provinciis observentur.

Tertius resolutiones casuum.

3. Tertius liber continebit resolutiones casuum difficiliorum, quae ex Urbe accipiuntur.

Quartus Epistolas Generalium.

4. Quartus liber erit is, in quo scribantur Epistolae Patrum Generalium adhortatoriae, quae communes toti Societati ab illis scribuntur, nec typis evulgantur.

Quintus Ordinationes temporaneas.

5. Quintus liber continebit Ordinationes temporaneas ex Urbe missas, seu ex visitationibus approbatas, ut habetur regula 16 Rectoris.

Sextus nomina emittentium vota.

6. Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota solemnia et vota simplicia in illa Domo vel Collegio, iuxta regulam Praepositi 12, et Rectoris 11.

Septimus consuetudines approbatas. *C. 7 d. 90.*

7. Septimus liber erit liber consuetudinum, in quem receptae et a Provincialibus approbatae referantur. Idemque etiam Visitatoribus in visitationibus probandus offerri debet.

Libri Ordinationum eorumque distributio in archivio Provinciae iuxta regulam 19 Provincialis.

Quae continentur in primo libro archivii Provinciae.

1. Primus liber conveniet in prima et secunda parte cum libro primo Collegiorum; in tertia vero parte scribentur tantum Ordinationes in tertia parte primi libri Collegiorum expressae, quae communes sunt toti Provinciae.

Quae in secundo.

2. Secundus liber continebit Ordinationes Provincialium, proprias singulis Collegiis, tam a Generali approbatas, quam cum Generali non communicatas alicuius tamen momenti, nec temporaneas. Approbatis a Generali adscribetur in margine: *Approbatae.* Habebit tot partes hic liber secundus, quot loca sunt in Provincia.

Quae in tertio.

3. Tertius liber continebit Acta Congregationum provincialium cum responsionibus Generalium, et constabit duabus partibus. In prima parte describentur primum Acta omnium Congregationum provincialium illius Provinciae; deinde proposita, tam Congregationis quam Provincialis nomine, cum responsionibus ad illa. Secunda pars continebit responsiones diversis Provinciis Romae datas, et omnibus Provinciis communicatas.

Quae in quarto.

4. Quartus liber continebit resolutiones casuum difficiliorum, quae ex Urbe dantur.

Quae in quinto.

5. Quintus liber continebit Epistolas Generalium, quae typis non sunt mandatae.

Quae in sexto.

6. Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota solemnia et vota simplicia in illa Provincia, iuxta regulam 72 Provincialis.

Quae in septimo.

7. Septimus liber erit, ubi scribuntur qui sacris initiantur. Qua de re fuit scriptum ad omnes Provinciales sub 1 Decembris 1591.

CAPUT IX.

DE VISITANDIS PROVINCIALIBUS.

CAPITA PRAECIPUARUM RERUM, DE QUIBUS IIDEM, OFFICIO FUNCTI, REDDITURI SUNT RATIONEM.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, ad Provincias missa anno 1597.

Huius Ordinationis necessitas. C. 5 d. 64 n. 2.

1. Ut in re tanti momenti, quae non parum ad rectam gubernationem conducit, et in Congregatione generali maxime nobis commendata, aequum videtur, si quid a Provincialibus peccatum est, quod admonitione vel emendatione indigeat, id ad Praepositum Generalem referri, ut pro sua erga Societatem et singula eius membra vigilantia et charitate, ut par est, re ipsa prospiciat; ita illud in primis cavendum, ne hac occasione via aperiatur innumeris querelis et subditorum licentiae, qui quasi suspenso animo existiment, absoluto Provincialis officio fore, ut rescindantur, aut certe retractentur, quae circa eos statuta et ordinata fuerant. Ex quo fieret, ut debilior obedientia in dies redderetur, dum existimant futurum, ut Superior, ne hac molestia gravetur, facile indul-

geat ac neminem constristare velit. Quae sane res quam perniciosa futura esset Societati et rectae gubernationi nemo est, qui non videat. Ac proinde cui mandata cura haec fuerit, pro viribus annitendum erit, ut caute omnino ac prudenter se gerat in hoc munere obeundo, ita, ut nec Superiorum existimationi famaeque officiat, dum subditorum querelis aequo plus tribuit, nec suo muneri desit, dum in erratis Superiorum remisse connivet. Capita autem praecipua, de quibus rationem exiget, haec fere erunt quae sequuntur.

Cautio magnopere adhibenda.

De quibus reddenda ratio.

An visitaverit.

2. An visitaverit singulis annis loca Provinciae iuxta Regulas, et fideliter de omnibus informaverit Generalem.

An subditorum querelas audierit.

An subditorum querelas de immediatis Superioribus benigne audierit, et localium Superiorum defectus, si quos compererit, correxerit, et tum de remedio adhibito Praepositum Generalem monuerit.

An rationem conscientiae acceperit.

An acceperit rationem conscientiae ab omnibus, etiam Superioribus, iuxta ipsius regulam et Instructionem datam.

De puritate paupertatis.

An diligenter curaverit, ne quid contra puritatem paupertatis irrepat, facile concedendo, ut ab amicis et parentibus accipiant, contra regulam 90 sui officii.

De admittendis.

An plures admiserit in Societatem, quam qui necessarii sunt; et eorum habuerit delectum iuxta Constitutiones et Ordinationem datam.

De dimittendis.

An observaverit diligenter regulam 41 sui officii, ut scilicet dimitti curaverit eos, qui minus idonei ad nostrum Institutum videbantur.

De informationibus ad gradus.

An, absoluta visitatione, informationes fecerit et miserit eorum, qui ad gradus iuxta Instructionem promovendi sunt; et similiter suo tempore de idoneis ad gubernandum.

De aere alieno.

An curaverit, ne aere alieno graventur Collegia, praesertim ad fabricas non necessarias, iuxta Ordinationem.

De ministeriis.

An curaverit ministeria omnia Societatis iuxta Institutum promovere, Operarios idoneos habere, et missiones facere.

De Seminariis instituendis.

An curaverit Seminaria in Provincia instituere Sacerdotum, seu Confessariorum, et Praeceptorum, seu Litterarum Humaniorum. An periculum fecerit de idoneis ad gubernandum, et an eos, qui actu gubernant, in recta et spirituali ratione gubernandi iuxta nostras Constitutiones, non in humana et politica, debite instruxerit, atque eos in illa promovere studuerit. An Concionatores iuxta Regulas ipsorum exercere curaverit.

De politica gubernatione.

De studiis.

An studia omnia iuxta Rationem Studiorum promoverit.

De Ordinationibus.

An Ordinationes Generalis Consultoribus communicaverit. An illos libenter audierit, praesertim Admonitorem seu Socium; et, quomodo Ordinationes observentur, fideliter Generalem fecerit certiorem.

Quae circa praxim servanda. *C. 5 d. 64 n. 2.*

3. Circa praxim vero haec videntur observanda. Si is, cui Provincialis sui officii rationem redditurus est, Visitator fuerit, ex Instructione tum communi tum etiam particulari satis perspectam habebit Societatis mentem; et ex ipsomet Provincialis officio vel Regulis, quibus id continetur, et ex capitibus, quae supra posuimus, optime intelliget, circa quae versari et de quibus Praepositum Generalem monere debeat.

Quid, si fuerit novus Provincialis.

Si vero fuerit novus Provincialis, quoad capita quidem informationum

iis utetur, quae hic ponuntur: quoad modum vero, hic procul dubio ab eo, quo Visitator uteretur, omnino diversus esse debet; nam cum nec ab eo Provincialis, qui officio defunctus est, corrigi debeat, nec, quae ab eo statuta sunt, immutari possint, huc tantum spectabit, ut liquido intelligat, praesertim a Consultoribus Provincialis, in quibus is erraverit; et de iis sincere Generalem informet, ita tamen, ut antea a Provinciali, de quo agitur, accipiat rationem eorum, quae illi obiiciuntur.

CAPUT X.

PRO CONSULTORIBUS.

CAPITA DE QUIBUS SCRIBENT AD GENERALEM CONSULTORES.

Recognita et impressa Romae 1606.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, missa ad Provincias anno 1597.

Necessitas Generalem informandi.

1. Quoniam ad bonam Societatis gubernationem refert plurimum, ut Consultores, cum Praepositorum localium tum et Provincialium, plenam et utilem de gubernatione Superiorum, quorum sunt Consultores, Praeposito Generali informationem mittant, atque in ea re experientia hactenus nos docuerit a plurimis, non sine detrimento communis boni, nonnumquam errari; visum est omnino operae pretium ad eorum instructionem capita nonnulla attingere, de quibus scribendum sibi esse iuxta Formulam scribendi et Consultorum Regulas intelligant. Et quidem super omnia id iuvabit, ut percurrant Regulas suorum Superiorum diligenter, quas iuxta 14 sui officii tenere debent; tum Ordinationes Generalium, quae illis communicandae sunt, ut non semel praescripsimus; postremo, ut ad certa quaedam capita universam gubernationem referant, de quibus si breviter et accurate scripserint, omnes necessitates Provinciae et universa illius gubernatio Praeposito Generali perspicue constabit.

Quae a Consultoribus legenda.

Capita de quibus scribetur.

2. Ea autem fere esse possunt quae sequuntur.

Primo, de admittendis in Societatem et instruendis in novitiatu.

Secundo, de gubernatione Scholasticorum nostrorum.

Tertio, de profectu in spiritu, studio orationis et virtutum.

Quarto, de disciplina domestica, observatione votorum et Regularum.

Quinto, de litterarum studiis, tam quoad Nostros quam quoad externos.

Sexto, de ministeriis et fructu cum proximis per missiones, conciones, confessiones.

Septimo, de gubernatione Superiorum spirituali, suavi, exacta; vel contra.

Octavo, de rebus temporalibus, reditibus, debitis.

Nono, de regula 18 Sacerdotum, et de executione eorum, quae alias circa illam in Ordinationibus generalibus, et nunc postremum in litteris

nostris datis ad Provinciales 21 Septembris 1606, scripta sunt.

Decimo, an aliquid scandali et offensionis acciderit, et quid remedii fuerit adhibitum; et quomodo cum externis, praesertim cum Praelatis et principibus viris, pax et benevolentia conserventur.

Quae in scribendo servanda videntur.

3. Postremo, haec pauca monendos esse duximus Consultores omnes (quae non parum prodesse poterunt ad suo munere recte fungendum): primum, ne eiusmodi litteris, in quibus publica dumtaxat et quae ad status suae Provinciae aut Collegii notitiam pertinent, contineri oportet, privata aut diversi generis a superiore argumento admisceant; cum de suis aliisque, si necesse fuerit, separatim ad nos scribere possint. Deinde, ut hae litterae deforis ex nota aliqua in tergo apposita, videlicet *CC.* geminata, a Consultoribus conscriptae esse dignoscantur. Demum, ut impigri, quando ex Formula scribendum est, quamvis a nullo moniti, primo quoque tempore ad nos illas mittant; Consultores quidem Provincialis mense Ianuario et Iulio; Consultores vero Superiorum localium semel quotannis mense Ianuario.

APPENDIX.

Instr. pro Sup. c. 2 tit. 2 n. 3. Scribent etiam quid fiat aut praetermittatur circa exsecutionem, et praesertim:

Instr. 18 n. 5. 1. An semel in mense fiat consultatio de exsecutione, eo pacto, quo dicitur in decreto 36, § 5, Congregationis VI, et an ordinationes Superiorum, praesertim eae, quae a Provinciali in memoriali relictae sunt, exsecutioni mandatae sint.

2. An quis lingua vel calamo proximum offenderit, et quid remedii adhibitum sit. *C. 12 d. 19.*

3. An vigeat praxis collationis domesticae casuum conscientiae iuxta Regulas et Decreta. *C. 13 d. 17.*

4. An serventur praescripta ad custodiam castitatis, ac praecipue circa visitationes et socios. *Instr. 15 c. 2 n. 7.*

5. An vita communis et paupertas illibata servetur in victu, in vestitu, in cubiculorum supellectili, atque omni domestico instrumento. *Ex lit. P. N. Vicecomitis 14 octob. 1752.*

Singulis annis Consultores et Praefectus studiorum scribent, quomodo servetur Ordinatio pro Studiis Superioribus. *Ord. pro stud. sup. n. 16.*

Consultores Provincialis scribent insuper, an servetur Ordinatio de promovendis ad ordines. *Instr. 1 n. 1.*

An fiant singulis mensibus consultationes de disciplina Provinciae. *C. 6 d. 36 n. 6.*

Rursus sub finem anni scholastici scribent, an decreta, in peculiarem elenchum relata, exsecutioni mandata fuerint. *C. 16 d. 38.*

Consultores autem locales scribent etiam Provinciali de punctis supra propositis pro litteris ad Generalem, quibus addent: *C. 6 d. 36 n. 4.*

An Praefecti rerum spiritualium sint idonei et proprio muneri satisfaciant. *Instr. 10 n. 12.*

CAPUT XI.

C. 6 d. 21.

DE CONFESSARIIS PRINCIPUM.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, anno 1602 confecta.

Necessitas huius Ordinationis.

1. PRINCIPIO statuendum est: quandocumque Societas huiusmodi officia defugere non poterit (eo quod varias ob circumstantias maior DEI Domini Nostri gloria sic exigere videatur) ita demum in deligenda persona, exercendique eius muneris ratione procedendum esse, ut et Princeps inde adiuvetur, et populus aedificetur, et Societas detrimentum non capiat; cum incidant saepe casus, in quibus, praeter alia incommoda, Societas unius loci causa in aliis pluribus non levia damna sustineat. Quapropter, re divinae Maiestati plurimis Sacrificiis et orationibus commendata matureque cum Patribus Assistentibus consultata, haec, quae sequuntur, decernenda in Domino censuimus. Quae si cui forte Principum minus aliquando probarentur, tum illis omni cum modestia et humilitate significandum erit, per leges nostras his solum et non aliis conditionibus suscipi a nobis id oneris posse. Speramus autem tales fore, ut, cum Religionis commodo et conservatione, magnam simul omnium aedificationem, Principisque utilitatem coniunctam habeant.

Commoda.

Domi nostrae habitet.

2. Primum, Confessarius hic in Domo seu Collegio nostro semper habitare debet et pro subdito se gerere, ut ante solebat, communemque disciplinam, perinde ac caeteri omnes, observare, nec exemptionem ullam aut privilegium hoc nomine habere. Et, quamquam varia ob negotia, quae incidere possunt ad Principem spectantia, et secretum iure postulantia, permitti eis debeat, ut litteras schedasve scribant vel accipiant, tum ab ipso tum a Secretario et aliis, quibus Princeps id demandarit; minime tamen propterea existiment generalem sibi factam esse potestatem, ut hac occasione ad Nostros vel ad externos officiales aliosque scribant; sed regulam prorsus observent: et Provincialis, si quem usquam abusum deprehendat, etiam praeceptum imponat, regulamque ad verbum servare iubeat. Multoque minus permittendum est, ut accipiant vel retineant pecunias, dispensent, dent, vel acceptent munera; quoniam haec et caetera id genus, quale est domo exire absque facultate et quolibet pergere pro arbitrio, religionem omnem ac spiritum in singulis destruunt, nihilque ad Principis obsequium rectamque huius muneris functionem conducunt.

De litteris scribendis servetur regula, sicut et dandi et accipiendi.

Sine facultate ne egrediatur

In itinere ubi pernoctet.

3. Diversari aut pernoctare in aula non poterit, quibus in locis domicilium fuerit Societatis: quin etiam, ubi Princeps illum in itineribus locorumque mutationibus secum manere vellet, a Provinciali, aut cuius id intererit, facultate obtenta, maior futura est aedificatio, si procuret ut in aliquo Religiosorum conventu, aut

apud honestum quempiam Sacerdotem extra aulam commoretur. Tum autem curare simul debet, ut socium ad suam consolationem, actionumque suarum testimonium praesentem semper habeat.

Ne se negotiis immisceat. *C. 7 d. 46. C. 16 d. 26.*

4. Caveat, ne se implicet externis negotiis ac politicis, memor eorum, quae a quinta Congregatione generali severissime praescribuntur canone 12 et 13; sed in ea solum incumbat, quae ad Principis conscientiam pertinent, vel ad illam referuntur, aut in alia certa pia opera; diligenterque vitare debet, ne aulam nimis frequentet, aut eo non vocatus se conferat, nisi pia aliqua necessitas aut grave quidpiam, quod necessario suggerendum videatur, ire compellat. Interestque magnopere, ut Princeps ipse alia illi negotia interdicat. Sic enim et maiore cum libertate atque integritate munus suum obibit, et poenitens vacuus ac liber erit a multis molestiis, quas creare solent qui opera Confessariorum ad privata sua commoda uti volunt.

Nihil procuret.

5. Nullo modo suam operam interponat ad compositiones, ut vocant, ineundas, favorique aut muneri conciliando, vel ad gratiam iustitiamve ulli procurandam: cum talia etiam in casibus licitis scandalo esse soleant, si a Confessario, praesertim Religioso, tractari videantur.

Gubernationi ne se insinuet.

6. Animadvertat, quanto maiori in gratia fuerit apud Principem, ita ut aliqua per illum auctoritate uti possit, ne umquam propterea verbo, nedum scripto, res ullas aut negotia Principis Ministris commendanda suscipiat; sed ubi pia res foret ac Superioris iudicio necessaria, curet ut Princeps ipse de illa scribat aut imperet. Multoque magis cavendum, ne se ad monendos reprehendendosque Principis nomine Ministros et aulicos interpretem adhiberi sinat, sed aperte deprecetur, si quando id illi impositum vellet.

Opinionem gratiae apud Principem non amplificet.

7. Videat etiam atque etiam, ne suboriatur opinio, quasi ipse multum possit, et Principem pro arbitrio suo regat: praeterquam enim quod odiosa et omnibus ingrata res est, atque adeo Principi ipsi parum honorifica; incredibile praeterea Societati damnum affert. Cum enim, ut humana est miseria, murmurationes seu iustae seu iniustae numquam desint, odium semper, ut experientia compertum est, in Confessarium retorquetur. Proinde, quamvis re ipsa aliquid posset, opinionem tamen illam vitare debet; usum autem potestatis, quo supra modo dictum est, temperare.

Quomodo Principem monere debeat.

8. Debet Princeps aequo animo et patienter audire quidquid Confessarius, dictante sibi conscientia, suggerendum in dies pro re nata censuerit; quia cum persona publica et cum Principe quum agatur, convenit, ut Patri religiosa libertate expromere liceat, quod ad maius Dei ac Principis ipsius obsequium in Domino iudicaverit: nec de iis solum rebus, quas ab eo, ut poenitente suo cognorit, sed de aliis etiam, quae hinc inde audiuntur, remediumque postulant, ad inhibendas oppressiones minuendaque scandala, quae, praeter Principis mentem ac voluntatem, Ministrorum saepe culpa eveniunt, et tamen noxa, prospiciendique necessitas in Principis ipsius conscientiam revolvitur.

In dubiis, Theologi consulendi pro conscientia poenitentis.

9. At si quando contingat, quod facile est factu, ut difficultas aliqua circa Confessarii sententiam nascatur, Princeps cum duobus tribusve aliis Theologis rem consultet. Qua in re,

ut acquiescere ipsum oportebit, conscientiam suam deponendo, si contra eius sensum iudicaverint; ita Principi grave pariter non sit assentiri pro sua parte, ut id fiat quod illi faciendum esse decreverint.

Sit observans disciplinae.

10. Domi memor usque sit modestiae religiosae, obedientiae erga Superiores et aequalitatis cum caeteris circa cubiculum, vestitum reliquamque universam disciplinam; quia favores, et quod aliquid interdum pro Societate impetrarint, transversos agere homines solent, ut imperiosius agant, et quamdam prae aliis excellentiam prae se ferant: quod cum bene constitutum corpus magnopere dedeceat, incredibile dictu est quantam etiam in aliis creet aversionem.

Regi se a Superiore sinat.

11. Atque, ut uno verbo dicantur omnia, meminerit se Confessarium tantum esse; omnia proinde, quae ab hoc munere aliena sunt, ab ipso pariter aliena esse oportere. Unde nec Societas illa permittere debet, nec ipse aegre ferre, si eum Superiores hac in re coerceant: quin potius agere Deo gratias, quod hoc modo expeditior reddatur, et uni officio spirituali sibi commisso attendere, Deum assidue orando, ut ei lumen concedat ad recte collimandum, et cum Superioribus in dubiis casibus consultando, quia Spiritus Domini directio, et non humana prudentia, propriumve iudicium utiliter illuminat.

Principis amorem erga Societatem foveat.

12. Semper insistat, ut Principem benevolum ac propensum habeat erga Societatem, et non erga privatam suam personam: quia haec certa ipsius ac Religionis pernicies esset. Quare animum poenitentis sui sic affectum retineat, ut quandocumque Religio ad Dei obsequium expedire iudicabit, ut ipse mutetur aut eius opera alio in loco utatur, maiorem in ea re facilitatem nanciscatur, quam interdum experta sit quorumdam Confessariorum culpa, qui volentes, aut fortasse etiam imprudentes, negotia sic tractant, ut se ipsos et saeculares, quibuscum versantur, a Religione potius avertant, quam ut eos Christo lucrifaciant.

Impensius Spiritualibus Exercitiis incumbat, orationi, etc.

13. Caveat ad extremum, ne occupationes et res aulicae spiritum relaxent; quin maiore cura incumbat per orationem, Exercitia Spiritualia frequentiaque sui examina, ut coniunctum cum Deo Domino Nostro instrumentum efficiatur ita, ut, eius gratia et auxilio nixus, non modo in se ipso spiritum non amittat, sed in ipsis quoque negotiis spiritu illuminetur et regatur. Unde operae pretium etiam fuerit, ut in ministeriis erga proximos, reliquorum Operariorum more, se exerceat.

Inconsulto et non assentiente Provinciali, nemo confessiones Principum audiat.

14. Verum, ut pacate omnia et absque ulla Principum offensione transigantur, necesse esse duximus, ut is, qui pro certo ac stabili Confessario petitur (nam si semel aut iterum id fiat, ut solet accidere, minime oportebit), paratum se quidem esse poscenti Principi respondeat; verum per leges, quas habemus, nulli ex Nostris licere inconsulto et non assentiente Provinciali id oneris suscipere; proinde ab eo petenda facultas.

Ostendenda Principi haec Instructio, et clare ei aperiendum, mutari Confessarium posse.

Provincialis vero per se quidem, si sic expedire in Domino iudicaverit, vel per alium, vel, si visum fuerit, per eumdem ipsum Patrem, priusquam potestatem faciat (dummodo ad id muneris peridoneum, et iis dotibus instructum, ac virtute praeditum esse duxerit, quae necessariae sunt ad id bene peragendum), primum ostendat oportet petentibus Instru-

ctionem hanc nostram, ut plane intelligant, quid Societas ab eo postulet, quem Confessarium sibi eligunt: deinde, modeste quidem, sed plane atque perspicue eisdem significet, etsi ex animo permittimus, ut eius Patris opera ad spiritualem sui consolationem pro libito utantur; intelligant tamen futuram semper in potestate Superiorum, cum illis visum fuerit, exmutationem et liberam Patris, ut et caeterorum omnium, dispositionem.

Quod sane consilium nobis, ut pernecessarium ac salutare, sic eisdem probatum iri confidimus, ita exigente religiosa disciplina: cum persuasum nobis esse debeat, eiusmodi Principes pro sua in nostrum Ordinem benevolentia, nihil, nisi quod honestum sit et legibus nostris affine, a nobis expetere voluisse.

CAPUT XII.

AD SUPERIORES, PRAESERTIM PROVINCIALES.

DE RATIONE TENENDA CUM IIS, QUOS E SOCIETATE DIMITTI OPORTERE IUDICAVERINT, ANTEQUAM AD GENERALEM SCRIBANT.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, anno 1604 ad Provincias missa.

Necessitas et causa huius Instructionis. *C. 5 d. 81.*

1. Quam utile sit ac necessarium a Societate dimitti eos, qui ad illam apti non sint, liquido apparet, non solum ex constitutionibus bullisque apostolicis, sed etiam ex perpetuo usu et traditione, tum B. P. N. ac Fundatoris, tum B. P. Francisci Xaverii, viri, ut eximia sanctitate conspicui, sic eiusdem P. Fundatoris Nostri mentis sensorumque intelligentissimi. Verum, ut res tota cum ea charitate ac prudentia transigi possit, quam Constitutiones praescribunt et quam Spiritus ipse Dei nos docet, postularunt a nobis variae Provinciae, ut Superioribus Instructionem aliquam exhiberemus de modo, quem tenere ad nos scribendo debeant, cum res exigit, ut ad huiusmodi consilia vel inviti descendamus. Quare de his, quae sequuntur, operae pretium visum est admonere: Rectoribus, ac multo magis Provincialibus (ad quos proprie spectat de amputationibus istis nobiscum agere) in futurum praemonitis, nisi ea diligenter observent, fore ut neque conscientiae ipsi suae, officioque, et Constitutionum legibus satisfaciant; neque a nobis (quorum est praevia informatione, congruaque pro rei magnitudine charitate, maturitate ac deliberatione statuere) certum ullum responsum aut sententiam referre possint.

Tria ante dimissionem Provinciali inspicienda circa dimittendum.

2. Primum ergo, cum quispiam de Nostris male se gerit, et de illo dimittendo ab aliis suggeritur, Provincialis, praemissa oratione, animum intendat ut exploret, an ea, quae illi obiiciuntur, vera sint, an vero falsa aut dubia. Deinde, an, ut vera essent, tanti sint momenti, ut de dimissione iuxta partis secundae caput 2 agi debeat. Tertio, inquirat accurate, utrum

Superiores erga huiusmodi hominem debita charitate perfuncti sint, diserte illum commonefaciendo, poenitentiarumque, et quod caput est, Exercitiorum Spiritualium, interiorisque curationis remedia applicando, et quam diuturna deinde fuerit haec curatio; quandoquidem non est satis uno atque altero mense medicinam facere, sed patientia et longanimitate opus est.

Genus culpae attendendum eius, qui dimittitur.

3. Consideret genus culpae quale sit, an ex earum scilicet numero, quae, quod alios inficiant, communi bono adversentur; an ex iis, quae scandalum praebeant, aut quae gravem Societati notam adferre possint; an propter delicti magnitudinem, aut propter emendationis difficultatem, aut denique ad resarciendam Societatis famam praecisionem hanc requirant: si modo et ratio ipsa rei pertractandae, et diuturnitas adhibendae curationis maturae huic curationi locum faciant; cum certum sit, ubi periculum urget, ne alii labefactentur, aut ubi manifesta est Religionis infamia, diutius differri non posse. Quin immo in publicis casibus necesse ad compensandam iacturam interdum erit festina et prompta exsecutione uti, iuxta regulam 41 Provincialis.

Quando minime differendum.

Quinam primum audiendi.

4. Peracta in hunc modum informatione, omnibus diligenter consideratis, auditaque sententia Rectoris illius Collegii, in quo admissum delictum aut unde prodiit accusatio, Provincialis Consultores suos convocet et singula illis exponat. Deinde, informationem ad nos mittat, quemadmodum observata fuerint quae dicta sunt, et quid ipse Consultoresque ipsius faciendum censeant; ut, exempli causa: N. tot annorum est, in Societate tamdiu fuit, gradu caret, aut ad illum promotus est, Scholasticus est, vel Coadiutor, in his studiis versatus, vel artem hanc novit, tot annis male se gessit in hoc vel illo genere defectuum; idem hoc et illo in loco, in quibus vixit; hoc ipso in genere, vel in hac et illa re malae fuit aedificationis; adhibita fuerunt haec et illa remedia; nulla secuta est emendatio. Censemus illum etc.

De quibus circa dimittendos Generalis docendus.

Quando ante dimissionem puniendi.

5. Si defectus sint cum scandalo coniuncti, et qui poena aliqua puniri debeant priusquam sontes dimittantur, iuxta mentem quintae Congregationis in decreto 43, non ante ad dimissionem veniatur, quam pro meritis fuerint castigati. Sin alterius generis erunt, intelligant Superiores non esse necessarium, nec Societati expedire, ut poenae semper irrogentur; cum dimitti possint ac debeant, quantum fieri potest, sine dedecore vel ignominia, ut praecipitur Const. part. 2, cap. 3, § 5, 6 et 7; curandumque sit, ut qui dimittitur, recedat integra cum benevolentia, et quanta cum consolatione fieri potest, atque etiam ut dirigatur iuveturque, prout charitas dederit.

Hic d. 31.

Quid cum iis, qui sponte dimitti petunt.

6. Erga eos, qui ex sua ipsi tentatione dimitti petunt, laxari habenas nullo modo convenit, ne tum quidem, cum, habita personae ratione, utile Societati videretur ab ea liberari. Non convenit, inquam, multas ob causas: tum quia eiusmodi difficultas nonnullos interdum ad saniorem mentem reduxit, tum propter aliorum etiam aedificationem, tum ut ad salutarem ipsis indifferentiam revocari queant, tum denique quia, si persuasio haec, quasi ianua omnibus statim pateret, perniciosa multis futura videretur. Sed quia huiusmodi homines, ubi ad certum gradum tentationis pervenerint, raro apti sunt

ad Societatem; vitari simul alterum extremum necesse est, in quo versantur qui illos omnibus modis semper retinendos censent: propterea quod Instituti nostri et ministeriorum ratio id minime ferret, nec ipsa tandem propria illorum utilitas, nec commune bonum Societatis, quae tunc illos dimittit, non quia ipsi postulant, sed quia inutiles noxiique reliquo corpori effecti sunt, et emendari nolunt.

Cum quis (re nulli communicata) dimittitur.

7. Et, quoniam propter causas etiam occultas, ut docent Constitutiones cum bullis apostolicis, et praxis ipsa B. P. N. ostendit, dimitti possunt, quando vel ipsismet, vel Societati, vel utrique parti expedire visum fuerit; non debent Consultores credere, multoque minus accusare, quasi, eo quod Superior cum ipsis rem non communicarit, temere et sine causa gesta sit; sed cum religiosa potius modestia Superiorem interrogare, quid causae vel Nostris vel externis sciscitantibus reddi queat; is enim, congruae tum prudentiae charitatisque non immemor, eiusque, qui dimissus est, mente praecognita, cum scilicet ex communi utrimque consensu res transacta est, tale illis responsum dare poterit, quod omnibus merito satisfaciat.

8. Perlata tandem ad nos informatione, rem ante omnia Domino commendabimus, et cum PP. Assistentibus, nisi eius conditio secretique servandi lex aliud postulaverit, eamdem consultabimus, omnibusque consideratis, sola Dei gloria, et Societatis atque ipsius etiam, de quo agitur, quoad eius fieri poterit, utilitate ob oculos proposita, eam sententiam amplectemur, quam in Domino magis expedire iudicabimus.

Praepositi Generalis iudicio acquiescendum.

Quam utique, ut rem tanto studio examinatam, mature deliberatam Deoque impensius commendatam, in Provinciis, qua par est animorum quiete iudiciorumque submissione, sine curiosa cuiusquam investigatione exceptum iri speramus: praesertim cum saepe eventurum sit, ut causae, quibus adducti fuerimus, ob multa et gravia impedimenta evulgari a nobis non possint nec debeant.

Superiores docendi de iis, qui ad ipsos mittuntur.

9. Sed quoniam animadversum est (ut alias Superiores monuimus) cum accidit, ut mittendi sint in aliam Provinciam ii, de quorum dimissione agitur, propterea quod in sua commode dimitti non possint; mitti eos interdum sine debita informatione, ita ut Superiores Provinciae praesertim, eorum statum ignorantes, eorum opera in publicis functionibus uti statim incipiant; neque alio modo eos tractent, quam caeteros suae Provinciae; quo fit, ut, cum eos postea dimittere iubentur, multa nascantur incommoda cum externorum et domesticorum offensione: idcirco huic tanto malo, ut in posterum tempus occurratur, si quando acciderit aliquem hoc fine mitti extra Provinciam, meminerint Provinciales, ex regula 117 sui officii, de illius statu instructionem vel praemittere vel minime differre, ut ex ea iudicent Superiores, ad quos mittitur, quid agere et quo loco habere unumquemque debeant, donec (si res ipsa id postulaverit) nostrum ab Urbe responsum praestolentur.

Ne, qui dimittendi sunt, interim in ministeriis occupentur.

10. Illud postremo hoc loco minime praetereundum est, quod, cum et ad aedificationem non parum conducat, et ad offensiones externorum vitandas pernecessarium sit, ipsa experientia docente, Superioribus severe cogimur interdicere, ne eius-

modi personae, de quarum dimissione agitur, ullibi eo tempore quod intercurrit, ullo modo exponantur publicis functionibus aut ministeriis, sed omnino abstineant, et domi contineantur, ut rei gravitas postulare videbitur: habeaturque semper in omnibus aedificationis ratio, temporis locique, quoad eius fieri poterit, in dimissione servatis circumstantiis.

CAPUT XIII.

Ex Instr. sexta Congr. sextae.

DE IUNIORIBUS SCHOLASTICIS.

Qualis debeat esse separatio.

1. Iuniorum Scholasticorum educatio, cum primum ad Seminaria aut Collegia venerint, uti ex prima sui institutione coepta anno 1600, et iussu Praepositi Generalis inducta, ita nunc auctoritate sextae Congregationis generalis confirmata, omnino ea esse debebit, ut seorsim a caeteris ad formam secundi anni probationis, quae olim in Collegiis fiebat, tum in habitandi convivendique ratione, tum in caeteris, in quibus iudicio Provincialis commode distinctio servari poterit, separatio fiat. Ad quem iuniorum locum intelligant omnes sibi minime licere (nisi prius ab uno Rectore facta potestate) accedere; quemadmodum neque illis ab eodem egredi absque eius licentia, qui curam gerit, nisi cum ad res consuetas Domus peragendas signum datur.

C. 6 d. 16.

Tempus biennii.

2. Porro tempus etsi perdifficile erit certum quoddam praescribere, quo iuvenes seorsim a caeteris convivant, tum ob aetatem, tum ob spiritualem indigentiam, quae diuturniorem brevioremve subinde postulant dilationem; tamen, ut minimum, biennii spatium esse oportebit, quod protrahere, prout in Domino et Societatis bono et Fratrum nostrorum expedire iudicaverit, Provincialis erit: qui, uti quam primum monendus erit peracti temporis ab eo, qui curam gerit, ita minime patietur, ut alii, quantumvis graves Patres, intercedendo sese insinuent; neque ante expletum biennium, quamvis firmi ac stabiles in vocatione, ad docendum in scholis educantur.

Per quos regendi.

3. Horum autem cura et instructio, etsi ab ipso Rectore Collegii, sicut et aliorum, tota pendebit, nihilominus per alios exercenda erit: quorum primus, quasi Praefectus spiritus, in eo promoveat ac dirigat, alter, tamquam Minister, in regulari disciplina contineat ac de necessariis prospiciat; nisi ob numerum grandiorem tertius videretur addendus Coadiutor. Nam Ministro totius Collegii minime visum est expedire illos subiicere; cum, posita separatione, peculiarem ac diversam quodammodo esse oporteat gubernandi rationem, nisi forte in illis corrigendis puniendisque, cum aliquid extra definitum locum contra Regulas peccare intellexerit.

De Praefecto spiritus iuniorum.

4. Prioris partes, quamvis in Regulis Praefecti spiritus satis superque explicentur, ex quibus eos iuvari oportebit; tamen eae erunt praecipuae: ut peculiarem eorum curam gerat iuxta directionem potestatem-

que sibi a Rectore factam, a quo in hoc munere pendebit, proindeque adnitendum illi erit, ut quinto decimo minimum quoque die illos alloquatur, audiat, instruat, formet, prout spiritualis necessitas postulaverit; licebitque poscentibus eas poenitentias imponere caeterasque mortificationes, quae vulgares sunt, quaeve devotionis gratia a Nostris suscipi in refectorio consueverunt; publicis reprehensionibus ac disciplinis exceptis, nisi secus Rectori visum fuerit.

Munus Ministri iuniorum.

5. Posterioris vero, qui Sacerdos plurimum esse debebit, munus erit, Rectorem ad exteriorem gubernationem iuvare in iis omnibus, quae ab eodem praescripta fuerint: a quo item uno tamquam suum iustrumentum, et non ab aliis pendebit: qui cum vitae exemplo, tum prudenti cum charitate et amore dirigere eos iuvenes debebit in religiosa disciplina exacte servanda.

Catalogos officiorum conficiet et distribuet.

6. Quare eiusdem erit catalogum officiorum exercitiorumque, quae ab illis in Collegio fieri oportebit, ex Rectoris praescripto conficere, diesque ac tempora in culina ac refectorio inserviendi ex condicto cum Ministro designare; curabitque, ne quidquam Fratribus desit, sive ad vestitum et habitationem, sive ad caetera necessaria pertineat, Rectore consulto.

Necessaria comparet.

Ad Superiores et Magistros dirigat.

7. Cum quis ex Novitiatu ad Collegium primum venerit, statim ad Provincialem et Rectorem ipse dirigat, ex eiusdemque praescripto ad studiorum Praefectum vel Magistrum, si periculum de litteris faciendum erit, libris ac necessariis comparatis. Memineritque eorum omnium, qui ad Collegium venerint, de numero Ministrum Collegii docere.

Recreationibus intersit.

8. Versetur una cum iisdem in recreationibus, quae in vinea aut domi fiunt, in loco a Rectore praescripto, a quo sine eiusdem Patris facultate non abscedent: sintque minimum terni, quotquot, cum foras eundum erit, egredi domo oportebit; curabitque, quoad eius fieri poterit, ut Coadiutores quoque Novitii intersint et in spiritu iuventur.

Sint terni in recreatione, et cum foras eundum erit.

Qui defectus Rectori et Ministro aperiendi.

9. Quamvis de singulis ab eo monendus erit Rector, quin et singulis quibusque mensibus, ac saepius (si sic eum velle intellexerit), quemadmodum quisque se gerat, nisi res ipsa quam primum fieri docebit; leviores tamen defectus et quotidianos Ministro totius Collegii deteget, ut in refectorio poenitentias iniungat. Facultatem quidem accipiendi dandique mutuo minima, atque inter se de rebus necessariis loquendi dare poterit, si Rector non abnuerit. Caeterum Magistros, caeterosque alloquendi, qui Superiores non fuerint, vel Domo egrediendi, sive ad ianuam eundi potestatem ipse non faciet sine Rectoris consensu: a quo, et divisionem personarum in cubiculis, et rationem mutuo inter se sociandi (nam alios comitari minime licebit) cum egrediuntur Domo, accipiet, ut exsecutioni mandet. Porro ex iis non erit difficile eorum Regulas describere.

Quas facultates dare poterit.

CAPUT XIV.

Ex Instr. septima Congr. sextae.

DE IIS, QUI IN PRAEDIIS AUT VILLIS MORANTUR

CUM A STUDIIS FERIANTUR.

Finis recreationum. *P. 4 c. 13 n. 5. C. 6 d. 40 n. 8.*

1. Quoniam, ut assiduitas in litterario exercitio, ita et aliqua remissio necessaria est, ne, dum absque aliqua relaxatione vel convenienti recreatione labores studendi nimium protrahuntur, corpus detrimentum patiatur; operae pretium visum est Patribus rationem quamdam esse praescribendam, quo religiose fiat.

Quomodo religiose peragendae.

Idcirco enitendum erit Superioribus, ut quae intermissiones a studiis ad novas vires sumendas institutae sunt, quo alacriores ad eadem revertantur, ita peragantur, ut et corpori recreationem pariant et vires, et spiritus ardorem minime exstinguant. Quare haec pauca in universum praescribenda visa sunt.

Aedes habitationi accommodae sint, et fores obseratae.

Primum, ut, cum in aliquod praedium secedendum erit animos relaxandi gratia, minime eo mitti debeant Nostri, nisi peraccommodae ac sufficientes aedes habitationi sint; in quibus et Superior, qui praesit omnibus, et obseratae fores sint, ne liber sit exitus, nec desideretur religiosa disciplina.

Oratio et examen.

2. Ut spiritualia exercitia examinum et orationis minime praetermittantur, utpote res eo quidem tempore pernecessariae.

Villae externorum ne adeantur. *Ex Dep. pro renov. spiritus.*

3. Ut nullus, eo praesertim tempore, externorum villas, licet propinquorum, adeat, nisi graves ob causas Provinciali videretur esse alicui concedendum.

Singularia Provincialis expendet. *C. 6 d. 40 n. 8.*

4. Qualis vero haec esse debeat recreatio, et quamdiu duratura (nam ultra quindecim dierum spatium non erit procedendum), qualeve genus exercitii aut ludi, prudenti considerationi Provincialis, expensis personarum locorumve circumstantiis, habita ratione aedificationis, relinquitur: cuius erit singularem quamdam directionem in huiusmodi recreationibus suae Provinciae accommodatam conficere.

CAPUT XV.

Ex Instr. nona Congr. sextae.

DE MANIFESTATIONE DELICTI

SUPERIORIBUS FACIENDA.

PARS PRIMA.

C. 6 d. 32. *Circa regulam 9 et 10 Summarii, desumptam ex capite 4 Examinis § 4.*

Reg. 9 Summar. 1. A*D MAIOREM in spiritu profectum, et praecipue ad maiorem submissionem et humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, ut omnes errores et defectus ipsius, et res quaecumque, quae notatae in eo et observatae fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.*

Reg. 10 Summar. *Boni etiam omnes consulant ab iis corrigi, et ad aliorum correctionem iuvare; ac manifestare sese invicem sint parati, debito cum amore et charitate, ad maiorem spiritus profectum; praesertim ubi a Superiore, qui eorum curam gerit, fuerit ita praescriptum aut interrogatum ad maiorem DEI gloriam.*

Superiori ut patri, quodcumque delictum manifestatur. C. 6 d. 32 n. 1. Primo, decretum est, licere omnibus manifestare Superiori, ut patri, quodcumque delictum alterius, sive leve sit sive grave, et hunc esse intellectum regulae.

2. Cum illo capite 4 Examinis proponatur omnibus, et interrogentur, an contenti sint futuri, ut omnes defectus et res quaecumque, quae in iis notatae et observatae fuerint, Superiori manifestentur; eo ipso Nostros cedere cuicumque iuri famae, quod huic manifestationi obstare possit; et potestatem fieri omnibus deferendi ad Superiorem quaecumque, etiam gravia, quae de illis notata fuerint: quandoquidem ratione maioris humilitatis et profectus spiritualis, et ut a Superiore melius cognosci, dirigi iuvarique possint, ipsimet expresse concesserint, et iudicaverint id sibi magis expedire ad maiorem DEI gloriam et bonum animae suae. (Cedimus iuri nostro. C. 6 d. 32 n. 2.)

3. Cum in eodem loco, non solum de defectibus, sed etiam de erroribus et quibuscumque aliis rebus, quae in ipso notatae et observatae fuerint, fiat expressa mentio; non esse dubium, quin de omnibus delictis gravioribus sermo quoque sit. (Regula intelligenda de omnibus etiam gravioribus delictis. C. 6 d. 32 n. 3.)

4. Verba illa regulae: *per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit,* intelligi de illis, quae ab aliquo alio in eo notata et observata fuerint; non autem de iis, quae ipsemet secreto et consilii petendi gratia, ut dirigatur vel iuvetur, cum aliquo communicaverit. Si quando autem ob aliquas peculiares vel graves rationes dubitaverit consiliarius, num debeat manifestare Superiori rem eo modo secreto acceptam, consulat tunc diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter eaque, qua decet, cautione procedere possit. (Interpretatio verborum regulae: « Per quemvis, qui extra confessionem. » C. 6 d. 32 n. 4)

5. Necesse non esse in hac manifestatione exspectare, ut hoc illi a Superiore iniungatur, vel interrogetur; cum verba illa regulae: *praeser-* (C. 6 d. 35 n. 5.)

« Praesertim ubi a Superiore etc. »

tim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum, satis declarent, paratos esse oportere ad hanc manifestationem, non exspectato Superioris praescripto.

« Debito cum amore. » C. 6 d. 32 n. 6.

6. Quod vero subiungitur: *debito cum amore et charitate*, sic accipi oportere, ut, qui manifestat, non debeat aliquo inordinato affectu duci; ut alius scilicet confundatur, mortificetur, puniatur; sed ex affectu charitatis; ut videlicet ille melius iuvetur in spiritu, periculis a Superiore occurratur, bono communi prospiciatur: atque ita manifestans servet eum modum manifestandi in verbis, in narratione, in intentione, qui amorem et charitatem prae se ferat.

Quando utendum denuntiatione paterna. C. 6 d. 32 n. 7.

7. In delictis, quae vel in detrimentum boni communis, vel in damnum imminens tertiae personae vergunt (qualia sunt infectiva aliorum et nociva bono Religionis, ut sunt lapsus carnis cum tertio, seminatio discordiarum inter Fratres, furtum, impugnatio vel machinatio contra Institutum aut Superiores, praesertim vero Generalem, consuetudo detrahendi ac susurrandi, et his similia), non solum potest, sed etiam tenetur quisque immediate uti denuntiatione paterna, manifestando illa Superiori, ut secreto ac prudenter tam bono subditi quam Religionis prospiciat.

Quando iudicialis denuntiatio facienda. C. 6 d. 32 n. 8.

8. Quando vero prudenter iudicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo bono communi vel tertiae personae provideatur, nisi assumatur in ea re persona iudicis; tunc tenebitur subditus ad iudicialem denuntiationem Superiori faciendam.

PARS SECUNDA.

Qua ratione in denuntiatione paterna se gerere debeat Superior, ut pater, tam in servando secreto quam in aliis, quae ad remedium adhibendum pertinent.

Deferens nulli revelandus. C. 6 d. 33 n. 1.

1. Ea ratione secretum servare debet Superior, ut deferentem nulli revelet sine eius consensu, quem interdum is dare tenebitur; ita ut semper Superior omnimodae indemnitati deferentis consulat.

Quando delatus revelandus. C. 6 d. 33 n. 2.

2. Delatum nemini revelare debet, qui prodesse non possit fini, quem denuntiatio paterna intendit, qui est profectus spiritualis subditorum et bonum commune Religionis, quibus Superiorem necesse est paterne providere. Quare sine urgenti necessitate et magna utilitate pertinente ad dictum finem, et cum eo minore detrimento, quo possit, famae delati, numquam debet manifestare delatum. Quando vero ob fines et rationes allatas existimat revelandum esse, tunc iis tantum manifestare oportebit, qui remedio adhibendo prodesse poterunt. C. 6 d. 33 n.

Quando monendus et corrigendu delatus. C. 6 d. 33 n. 4.

3. Habita ratione finis denuntiationis paternae, non solum potest Superior ipsum delatum aliquando monere et secreto corrigere coram duobus testibus, ut ex Evangelio cum S. Thoma docent Doctores: sed etiam consulere de remedio, imponendo secretum iis, quibuscum communicat. Quin etiam poterit unus Superior rem sic delatam et cognitam alteri Superiori eiusdem delati dicere, quando res ita postulaverit ad finem paternae delationis. C. 6 d. 33 n. 5.

Quando consilium petendum et quomodo. C. 6 d. 33 n. 6.

4. Cum autem possit et liceat de ea re eos consulere, quibuscum expedit, pro remedio et cum secreto; ut maiore cum cautione procedatur quando consultatio videretur necessaria, petatur deferentis consensus, quem ille dare debebit, ita tamen, ut in

consultatione deferentis nomen taceatur, et res, quoad eius fieri poterit, in universum tractetur. Porro Superior minime a deferente petere debebit, ut suo nomine rem delatam subscribat, cum ea subscriptio tantum iudiciali denuntiationi deserviat.

Non est a deferente exigenda subscriptio.

Quae Superior circa delatum praestare poterit. C. 6 d. 33 n. 7.

5. Licet etiam Superiori ob praedictum finem secreto peragere quaecumque iudicarit expedire ad remedium profectumque delati citra eius infamiam, nimirum privatim monere, reprehendere, terrere minis, diligenter circa illum invigilare, mutare loco, occasiones antevertere, praecavere a recidivo, non admittere ad aliquod officium, ab eodem removere, si quod habet, si sine violatione secreti sub alia apparenti ratione et probabili id praestare possit.

Etiam leves defectus publice corrigere poterit. C. 6 d. 33 n. 8.

6. Potest etiam Superior nonnulla ex ita delatis et cognitis manifestare in publicis refectorii reprehensionibus, ut sunt defectus leves et communes subditorum, imponendo poenitentias ordinarias iuxta praxim communem Societatis; dummodo ipsi delato infamiam alicuius momenti non inferat, et, quoad eius fieri poterit, impetrato deferentis consensu, et absque eiusdem detrimento.

Quomodo ad dimissionem descendet. C. 6 d. 33 n. 9.

7. Denique licebit interdum Superiori ex ita cognitis, et ad se tamquam ad patrem delatis, descendere ad dimissionem delati e Societate, ita ut, quamvis utatur et adiuvetur ea notitia, non eo tamen modo procedat, ut talis defectus vel in specie vel in genere in aliorum cognitionem deveniat; sed alias alia via cognitas notas illi opponat, quae ad illum dimittendum aliorum iudicio sufficere videantur, aut certe nihil tale dicat, neque occasionem aliquam det credendi, quod dimissio fiat in poenam delicti, quod omnino secretum est, nec alia via quam paternae denuntiationis scitur.

Unde haec doctrina de manifestatione desumpta. C. 6 d. 33 n. 9.

8. Caeterum haec doctrina de manifestatione delicti minime nova videri debet, cum inter caetera Iulius II in Statutis Franciscanorum fateatur damnandum esse dogma illud, quod habet, Religiosum criminis socium non teneri ad denuntiandum illud Superiori; et in Constitutionibus generalibus Farinerii Ordinis Minorum capite 7 refertur, in quodam Capitulo generali a S. Bonaventura statutum quoddam in haec verba conditum fuisse:

Nullus Frater dogmatizet vel teneat quod, cum aliquot sunt socii in crimine, non teneatur alter alterum Superiori revelare, qui potest ac debet prodesse et animarum periculis praecavere. Nam ex sententia Bonaventurae, Magistrorum Ordinis ac totius Capituli generalis definitum est, hanc doctrinam perniciosam esse, et in destructionem Ordinis et regularis disciplinae excogitatam; cum Praelatos nosse oporteat subditorum excessus, non solum ut puniant, sed ut praecavere possint.

Novitiis declaranda. C. 6 d. 34.

9. Postremo decretum fuit, ut hoc ipsum, quod de manifestatione delicti sancitum est, ostendatur Novitiis, declareturque iuxta regulam 15 Magistri Novitiorum, inter alia, quae ipsis explicanda declarandaque paulatim ibidem esse dicuntur.

CAPUT XVI.

DE ACCEPTANDIS COLLEGIIS

IUXTA QUINTAE GENERALIS CONGREGATIONIS DECRETUM LXIX.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, explicata.

Quomodo in posterum Collegia acceptanda.

1. Cum Collegiorum ratio triplex esse possit, nempe: infima, media et suprema; et admitti nullo modo in posterum debeant Collegia ulla, quae Seminarium, sibi saltem ipsis necessarium, Operariorum, qui in iisdem Collegiis occupantur, alere non possint, unde sibi de Operariis eisdem, quando opus est, vel proxime et immediate, si id praestare poterunt, prospiciant, vel certe per modum permutationis cum alio Collegio faciendae, unius, verbi gratia, Lectoris Rhetoricae pro uno Confessario aut Concionatore etc.; necessarium esse duximus cuilibet Collegiorum rationi suum numerum personarum, quas alere possit, infra quam ea acceptanda non erunt, designare.

De infima Collegii ratione.

Numerus Operariorum in infimo Collegio.

2. Cum igitur tribus quasi membris quodlibet Societatis Collegium constet: domestica scilicet gubernatione, institutione scholarum, et templi ministeriis; infimae rationis Collegii ratio septem, ut minimum, Sacerdotes requirit: Rectorem, Ministrum, Concionatorem, Praefectum rerum spiritualium, Confessarium Nostrorum domesticum unum, externorum alterum, et Procuratorem: ex quibus tres vel quatuor in templo confessiones diebus festis excipiant.

Scholarum institutio qualis. P. 4 c. 7, B. P. 4 c. 5, A. P. 4 c. 12, A.

3. Scholarum vero institutio, iuxta Constitutiones, in Grammatica disciplinisque humanioribus, Rhetorica et linguis casibusque conscientiae, quantum fieri poterit, esse debebit; ne scilicet suo fine fraudetur Societas, quin suos discipulos ad mediocritatem saltem instruat, ut vel ad ecclesiastica ministeria exercenda et animarum salutem promovendam sint utcumque idonei, vel ad saecularia munia usu linguarum sufficienter instructi.

Quot Magistri praeficiendi.

Erunt igitur praeficiendi tres Grammaticae Praeceptores, Humanitatis unus, Rhetoricae unus (in quorum nonnullis classibus erit ab eisdem lingua graeca docenda), unus denique casuum conscientiae Lector; Praefectus item scholarum unus: omnes denique septem, praeter Correctorem externum.

Minimum triginta esse oportebit.

4. His quatuordecim Operariis essent attribuendi, ut minimum, totidem Societatis Scholastici pro Seminario; essentque universi viginti octo; quibus, si unum Correctorem et undecim Coadiutores omnino necessarios addamus, erit numerus huius rationis Collegii quadraginta personarum. Verum, quia quinta generalis Congregatio decrevit, ut infimae huius rationis Collegiorum fundationes, quae ad sustentationem triginta personarum sufficerent, admitti possent; onerum tamen seu obligationum mensu- C. 5 d. 69.

ram, scholarum scilicet et Magistrorum numerum, non determinavit; Praepositi Generalis erit obligationibus et gravamina in eiusmodi fundationibus, quae triginta personis alendis tantum sufficient, ita attemperare, ne huiusmodi Collegia supra vires onerentur: ut, si in his, verbi gratia, duas Grammaticae classes, unam vero Humanitatis tantum admittat cum scholarum Praefecto, atque his, non ex obligatione, sed ex mera Societatis liberalitate, ubi opus fuerit, unum casuum conscientiae Lectorem addat: his autem quinque, et aliis Sacerdotibus sex, uno scilicet subtracto ex septem superius designatis Sacerdotibus, si totidem Scholastici addantur pro Seminario, erunt universi viginti duo, quibus vix sat esse poterunt Coadiutores temporales septem vel octo, praeter Correctorem; erit utcumque constituta ratio Collegii personarum triginta.

Obligationes et gravamina numero attemperanda.

Vide tamen C. 8 d. 27.

Aucto numero, augenda fundatio.

5. Quod si fundator aliquis exigat lectionum Grammatices, Humanitatis et Rhetoricae plenitudinem, Lectorumque numerum superius designatum, hic fundationem augere debebit ad quadraginta circiter personarum sustentationem sufficientem.

Quae praeter fundationis censum requirantur.

6. Praeter fundationis autem censum, congruam pro ratione numeri personarum habitationem, praeparatam cum supellectili et bibliotheca, templique et scholarum aedificio, hortoque dare debebit.

Quod si ex his aliquid desit, quod ex censu ipso fundationis suppleri debeat, monebitur de hoc, sicut et de re tota, Praepositus Generalis.

De media Collegiorum ratione.

Numerus minimum sexaginta.

7. Si ad supra dictum Operariorum et Scholarum numerum tres Philosophiae cursus triennales, singulos scilicet singulis annis auspicandos, fundator adiicere volet, addendi similiter erunt scholarum tres Magistri, Praefectus unus item aut alter, qui praelectionibus eorum Magistrorum, quos decumbere contigerit, substitui possint, templi etiam Operarii, Seminarii Scholares, et Coadiutores temporales: qui, si recte distribuantur, ad numerum octoginta circiter personarum Collegii, computatis infimae rationis personis ascenderent; sed quandoquidem generalis Congregatio censuit, non esse gravandos huiusmodi Collegiorum fundatores ultra censum, qui alendis sexaginta personis in universum sit sufficiens; cum reliquis templi, habitationis et scholarum aedificiis supra dictis, his contenti esse debebimus.

Pro rata augenda fundatio.

De suprema Collegii ratione.

Numerus minimum centum personarum.

8. Si quis fundator petat Studium Generale vel Universitatem institui, nimirum, ut in ea, praeter omnia supra dicta, praelegatur Theologia scholastica et Sacra Scriptura atque lingua hebraica; ad haec praestanda necessarii erunt tres vel quatuor alii Professores, propriusque huius Facultatis Praefectus, seu totius scholae Cancellarius, substituti aliique Officiales in Universitatibus adhiberi consueti: insigne item aliud Seminarium Theologorum cum aliquo domesticorum Officialium incremento, ut ex Collegii huiusmodi fundatione, annumeratis simul Collegiorum infimi et medii generis personis, centum, ut minimum, ali possint.

Pro rata augenda fundatio.

Excipiuntur indicae et transalpinae Provinciae.

Excipiuntur autem indicae ac transalpinae regiones, de quibus nihil certi praescribendum censuit Congregatio generalis.

CAPUT XVII.

DE APTIS AD GUBERNANDUM.

QUOMODO DE IIS CONFICI DEBEANT INFORMATIONES, QUAE IN URBEM TERTIO QUOQUE ANNO MITTENDAE SUNT.

C. 7 d. 99. A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, recognita et aucta anno 1595.

PARS PRIMA.

Quanti sit facienda bona Superiorum electio. *P. 9 c. 6 n. 6.*

1. QUONIAM magna ex parte Societatis nostrae gubernatio, ut B. P. Ignatius affirmat parte IX Constitutionum, pendet ex Praepositis localibus, quibuscum necessario ab eo, qui universalem curam sustinet, communicandum est onus, ut in rebus particularibus eas Ordinationes, quae hinc praescribuntur, exsequantur; et cum ea fortitudine et suavitate, quae a Constitutionibus nostris exigitur, *C. 19 d. 11.* curent, ut in praxim perducantur; semperque vivae ac vigentes eo ipso usu declaratae censeantur Constitutiones ac Regulae (siquidem, quod eae chartis descriptae sint, non id Societatis spiritum tuetur ac vivificat): ideo plane necessarium est, ut huiusmodi homines ad hoc munus deligamus, in quorum industria ac prudentia merito conquiescere; et quibus eorum, qui nobis crediti sunt, animorum corporumque curam vicissim credere possimus; et aliquam allevationem habere gravissimi huius oneris, quod nobis a Domino impositum est.

Exquirendi et exercendi ad hoc munus idonei.

2. Quocirca valde commendatum Provincialibus esse debet, ut, quemadmodum in aliis ministeriis, quo copia sit hominum ad ea sufficientium, datur opera, ut mature instruantur et aptentur; ita etiam in hoc gubernandi, omnium vel praecipuo, non minus adhibeant studii et diligentiae in inquirendis ac notandis cuiusque talentis, et praeterea etiam exercendis, et iis, qui aliquam aptitudinem a Domino accepisse videntur, erudiendis tum praxi tum etiam opportunis instructionibus et monitis.

Modus eos exercendi.

3. Modus autem eos exercendi esse hic poterit, si in aliquas consultationes adhibeantur; vel Ministri in aliqua Domo constituantur; vel si cum eis Regulae perlegantur et doceantur ipsarum intelligentiam et usum; denique aliis eiusmodi rationibus, quas Superioribus eorum prudentia suggeret.

Eorum notitia constare debet Generali.

4. Eadem de causa valde expedire videtur, ut plena notitia eorum omnium Praeposito Generali constet, et quos Provinciales in suis quisque Provinciis habeant, qui in hac parte operam Societati navare queant.

Quorum iudicio seligi, et a quibus informationes accipi debeant.

5. Provincialis primum omnium, audito Cousultorum suorum nec non antiquiorum, si necesse fuerit, ac praecipuorum Patrum iudicio, ex omnibus suae Provinciae Sacerdotibus eos seligat, de quibus informatio accipienda videatur. Postea vero informationes ab iis accipiat, qui prudenter et sincere eam daturi videantur: ac re tota rite precibus DEO commen-

data, suo tempore nobis mittat catalogum eorum, quos ad gubernandum aptos censebit ex formula, quam in hunc finem subiiciemus; illud tamen observans, ut omnia fiant secrete, ut rem ipsam postulare intelliget.

Informationes in visitatione acceptae tertio quoque anno ad Generalem mittendae.

6. Operae pretium autem erit, ut Provincialis, qui visitat, quemadmodum informationes de promovendis sumit iuxta regulam 69 sui officii, ita etiam de idoneis ad gubernandum accipiat. Et postea tertio quoque anno catalogus huiusmodi informationum ex praescripto huius formulae ad Praepositum Generalem mittatur.

Catalogus informationum in tres classes dividendus.

7. Porro huiusmodi catalogus in tres classes distingui debet. Prima quidem eorum erit, qui actu gubernant. Altera vero eorum, qui aliquando gubernarunt; quod si horum aliqui iustis de causis non proponantur, addatur ratio, quare praetermissi fuerint. Tertia denique eorum, qui apti ad gubernandum videbuntur, et de his dicatur quinam proxime, qui vero remote idonei censentur.

Latinae mittendae.

A quibus hae informationes accipiendae.

8. Has autem informationes (quae ab omnibus latinae mittendae sunt, ut eae, quae de promovendis ad gradus fiunt) debebunt Provinciales accipere, non solum a Consultoribus, sed ab antiquioribus etiam et praecipuis Patribus, qui eos, qui proponuntur, optime nosse possunt, vel quia illis praefuerunt, vel quia cum illis familiariter egerunt, vel in missionibus foris vel Domi: quorum omnium nomina ad nos perscribant. Non erit tamen necesse singulis capitibus et responsionibus ponere, quid quis dixerit, sed id tantum fieri debebit, cum in ea responsione non consentiunt, et res est alicuius momenti. Tunc enim in informatione addendum erit, duos tresve contra sentire, et in charta aliqua separata explicandum, illos duos vel tres, qui aliter sentiebant, esse Patres talem et talem; quibus omnibus significandum erit, si quid aliud eis seorsum ad nos scribendum occurrat, id omnino facere non omittant.

Quid addendum cum Romam mittuntur.

PARS SECUNDA.

Capita informationis mittendae a Provincialibus de iis, qui in suis Provinciis ad gubernandum idonei videbuntur.

1. Cuias sit, et qua aetate is, de quo mittitur informatio, et quot annis in Societate fuerit, et quibus in studiis versatus sit, et quo progressu. — De aetate.

2. An alias umquam gubernarit, ubi et quamdiu, et in quibus officiis, et qua Nostrorum caeterorumque satisfactione. — An gubernaverit.

3. Quam affectus sit ad res spirituales, ad orationem caeteramque cum Domino communicationem. — De affectu ad res spirituales.

4. De mortificatione passionum, de mansuetudine, de humilitate, amore paupertatis, vel singularitate circa propria commoda. — De mortificatione passionum.

5. De vigilantia, prudentia et fortitudine in negotiis tractandis. — De prudentia etc.

6. De charitate et suavitate in subditos et discretione. — De charitate etc.

7. De religiosa disciplina et observantia, de rectitudine et constantia. — De disciplina etc.

8. Quam intelligens sit nostrarum Constitutionum et Regularum; et an ex earum spiritu subditos ad perfectionem dirigere studeat, non humana et politica ratione; et an sensus habeat proprios et peculiares, non consentaneos modo Societatis. — An intelligens Constitutionum.

9. Ut affectus sit ad externas nationes et Provincias; et an particulares affectiones retinere soleat ad — De affectu ad externas nationes.

personas aliquas particulares, ita ut cum aliorum offensione gubernaturus videatur.

De zelo animarum etc.

10. De zelo animarum et studio iuvandi proximos, et an hoc studium in Nostris promoveat; de obedientia et subordinatione ad suos Superiores, et de proprio iudicio.

De ambitu.

11. An umquam notatus sit, quod gubernationem ambierit aut procuraverit.

Alia quae forte occurrant, addenda.

12. Denique, si quid aliud occurrerit, propter quod aptus vel minus aptus ad gubernandum videatur.

Haec omnia in iis, qui aliquamdiu gubernarunt, facile erit animadvertere: et ideo ab iis, qui vel eorum subditi vel Superiores exstiterunt, eorum notitiam consequi licebit. Qui autem hactenus numquam regimen attigerunt, de iis illa dici debebunt, quae, vel iam usu comperta sunt, vel quorum specimen aut significationem praebuerint.

PARS TERTIA.

Praxis conficiendarum et mittendarum informationum iuxta formulam de idoneis ad gubernandum.

Personarum selectio ut facienda.

1. Provincialis cum suis Consultoribus catalogum omnium Sacerdotum Provinciae perlegat, et ex eorum iudicio illos seligat, de quibus merito sumenda sit informatio.

Informatio quomodo sumenda.

2. Facta hac selectione, de singulis selectis sumat informationem iuxta formulam, et ex responsis, quae retulerit, expresso numero eorum, qui ita sentiunt, tacitis autem nominibus, brevem summam conficiat, dilucidam tamen et iuxta singulas interrogationes, ad hunc fere modum:

Informatio accepta a quatuor Patribus de P. N. N. C. 9 d. 37.

De aetate.

Ad 1. P. Antonius Pamphilius, romanus, annorum 40, fuit in Societate annis 20, studuit Philosophiae et Theologiae, vel casibus conscientiae etc., bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium sententia, plus quam mediocriter ex duorum vel omnium sententia.

De gubernandi tempore.

Ad 2. Numquam gubernavit; vel fuit Minister Collegii vel Domus talis per biennium cum bona vel mala satisfactione, ex omnium, vel trium, vel duorum, vel unius sententia. Fuit item Rector Collegii talis cum bona satisfactione externorum, omnium iudicio vel aliquorum, mala autem vel bona vel mediocri Nostrorum. Ita sentiunt duo, vel tres, vel unus, vel omnes. Et sic de aliis muneribus, si quae obivit.

Sic de singulis.

3. Quod autem de duobus his capitibus dictum est, idem faciendum in caeteris.

Facta informatione, Provinciales et Consultores statuant quid sentiant.

4. Facta igitur in hunc modum de singulis informatione, illam cum Consultoribus leget ac examinabit: ac, re inter se discussa, statuant quid de singulis capitibus sentiant; idque addant informationi hoc, qui sequitur, modo iuxta informationem superius positam:

Ad 1. P. Antonius Pamphilius, romanus, annorum 40, fuit in Societate annis 20, studuit Philosophiae et Theologiae, vel casibus conscientiae etc., bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium sententia, idemque sentiunt duo Consultores; plus quam mediocriter ex duorum iudicio, quibus adhaeret unus ex Consultoribus etc.

Secretis et separatis litteris

5. Absoluto informationum examine, et apposito Consultorum iudicio

ad Generalem scribent.

de veritate informationum singulis capitibus, iudicium, utrum ille aptus vel minus aptus videatur, tum ipse Provincialis tum Consultores secretis et separatis litteris ad nos scribant.

PARS QUARTA.

Paradigma informationis iuxta formulam de idoneis ad gubernandum.

Informatio de P. Antonio Pamphilio, romano, a quatuor Patribus accepta, et cum Consultoribus examinata.

De aetate.

1. P. Antonius Pamphilius, romanus, annorum 40, fuit in Societate annis 20, studuit Philosophiae et Theologiae, plus quam mediocriter profecit omnium iudicio; idemque sentiunt omnes Consultores.

Ubi gubernaverit, et qua satisfactione.

2. Fuit Minister in Collegio romano per annum, mediocriter satisfecit; erat enim aliquantulum severus ex trium sententia, quibus consentiunt Consultores. Fuit etiam Rector lauretanus annis 4 cum bona Nostrorum externorumque satisfactione ex omnium iudicio; duo tamen ex Consultoribus sentiunt non bene satisfecisse externis, licet Nostris satisfecerit.

De affectu ad res spirituales.

3. Affectus est ad res spirituales, et ad orationem caeteramque cum Domino communicationem ex omnium sententia; quibus consentiunt Consultores, uno dempto, cui non videtur devotus.

De mortificatione passionum.

4. Mortificatas habere passiones videtur fere omnibus, uno dempto; humilis est et mansuetus ex trium iudicio, quibus omnes assentiunt Consultores. Amare creditur paupertatem, et non esse singularis circa propria commoda ex omnium tam informantium quam Consultorum iudicio.

De vigilantia et prudentia.

5. Est vigilans et mediocriter prudens, sed non valde fortis in negotiis tractandis, in quo omnes consentiunt.

De charitate et suavitate.

6. Charitatem et suavitatem exercet in subditos ex informantium sententia; dissentiunt tamen duo ex Consultoribus, qui illum existimant severiorem. Discretionem videtur habere mediocrem, in quo omnes consentiunt.

De disciplina.

7. Religiosam disciplinam et observantiam cum rectitudine et constantia promovet ex omnium informantium sententiis; unus tamen ex Consultoribus dissentit.

De intelligentia Constitutionum.

8. Intelligens est nostrarum Constitutionum et Regularum mediocriter, et ex earum spiritu subditos ad perfectionem dirigere studet ex duorum sententia: tres autem existimant illum humana et politica ratione gubernare; atque hoc secundum verius censent Consultores. Sensus proprios et peculiares habet aliquando non consentaneos modo Societatis ex omnium, etiam Consultorum, sententia.

De affectu ad externas nationes.

9. Affectus bene est ad externas nationes; duo tamen ex Consultoribus contrarium censent. Affectiones ad particulares aliquas personas, praesertim eas, quae suas res probant, retinere solet; ideoque cum offensione aliorum gubernat. Ita sentiunt omnes, nec dissentiunt Cousultores.

De zelo animarum.

10. Zelum animarum et studium iuvandi proximos habet qualecumque; hoc autem studium in Nostris non ita, ut decet, promovet. Ita omnes informantes. Unus autem ex Consultoribus addit, illum suadentibus scrupulis hoc studium in subditos aliquando supprimere.

De iudicio.

Obediens est, et suis Superioribus subordinatus, nec proprii iudicii: ita omnes sentiunt.

De ambitu.

11. Numquam notatus est gubernationem ambivisse, aut procurasse etc.

CAPUT XVIII.

DE PROMOVENDIS AD GRADUS SOCIETATIS.

QUOMODO DE IIS CONFICI ET IN URBEM MITTI DEBEANT INFORMATIONES.

C. 7 d. 99.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, recognita et aucta iuxta decretum 36 quintae Congregationis.

PARS PRIMA.

Qua circumspectione Provincialibus procedendum in re tanti momenti.

1. In primis Provinciales, ad quorum officium haec informatio pertinet, persuadere sibi debent magna fide, diligentia et circumspectione procedendum esse in hoc negotio, cum scilicet tanti momenti sit ad ordinem firmitatemque Societatis, ut ea quam exactissime serventur, quae in quinta parte Constitutionum et alibi dicuntur de dotibus, quibus ornatos esse oportet, qui in huiusmodi gradus sunt referendi; quod quidem eo facilius erit, si antea servata fuerint, quae in prima parte de recipiendis, et in tertia et quarta de formandis Nostris praescribuntur.

Singulis annis in visitatione capiant informationes, et ad Generalem mittant.

2. Studeant igitur Provinciales non praeterire regulam 69 eorum officii, nempe: ut in visitatione ordinaria singulorum Collegiorum accipiant informationem promovendorum, et, absoluta visitatione Provinciae, ad Praepositum Generalem referant, nec diu differant, ne ex diuturna mora aliqui se negligi arbitrentur, unde et amaritudinum occasio oriri et graduum huiusmodi distributio minus facilis ac suavis reddi potest.

Examen de sufficientia litterarum fiat statim post absoluta studia.

3. Quoniam vero, si examen de sufficientia litterarum ad id tempus differretur, quo quis ad gradum promovendus proponitur, minus commode succederet (contingeret enim eos, qui examinandi tunc essent, ante aliquot annos studia absolvisse, et in variis Societatis ministeriis occupatos ac distractos fuisse, ac proinde scholasticas res vel certe subtilitates non ita in promptu habere, unde non possent forte ita satisfacere, ut satisfecissent, si statim absolutis studiis fuissent examinati); propterea animadvertendum deinceps erit, ut examen iuxta Instructionem a nobis missam fiat postquam quisque studia absolverit, antequam ad tertium probationis annum mittatur iuxta Constitutiones; et Romam deinde, ut asservetur et in tempore deservire possit, quam primum Provincialis mittendum curabit. Haec enim notitia plurimum postea iuvabit, cum de cuiusque gradu statuendum erit; et, si is, qui examinatur, non plene satisfecerit, commodius videbit Praepositus Generalis, an ulterius progrediendum sit in litteris, iuxta eamdem Constitutionem.

Examen Romam mittendum.

Nullus sine praevio examine etc. promovendus.

4. In quo nobis semel monendi visi sunt Provinciales, ut, quemadmodum nemo eorum, quorum doctrinae periculum faciendum sit, ad professionem quatuor votorum promoveri poterit, nisi praevio examine (quod sane in huiusmodi gradu so-

lemne ac firmum esse oportebit, vel nulla in nostris litteris eius facta mentione); ita post factum periculum sufficientis doctrinae neutiquam promoveri oportebit, Generali non praemonito, ab eodemque exspectato et accepto responso, quantumvis a nobis de alicuius gradu rescriptum fuerit, et, inspecta eius informatione, placere, ut promoveatur, si de caeteris constiterit.

Post triennium in ministeriis, ad gradum proponantur.

5. Absoluto itaque tertio probationis anno, si non fuissent antea satis perspecti et exercitati (tunc enim statim, illo finito, Provinciales Generalem monere debebunt), triennium integrum in variis ministeriis exerceantur, quo absoluto, proponantur omnes iuxta formulam. Idem etiam faciendum est in iis, qui absolutis iam studiis Societatem ingressi sunt: qui etiam, exacto biennio probationis, et integro triennio in variis ministeriis exercitati probeque perspecti, proponi debent, et, si satis fecerint, promovebuntur. Coadiutores vere spirituales formandi, si sufficientem doctrinam pro eo gradu habuerint et probationes peregerint, non excedent annum trigesimum aetatis et decimum ingressus in Societatem, quin proponantur.

Idem de iis, qui absolutis studiis, in Societatem ingrediuntur.

Coadiutores spirituales post decennium proponendi. *C. 12 d. 14.*

Qui simul venerunt, simul proponendi. *C. 7 d. 75.*

6. Dent operam Provinciales, ut, qui eodem tempore Societatem sunt ingressi, una etiam, quoad fieri potest ad gradum proponantur; et, si qua gravis erit causa, quae aliter fieri suadeat, eam Generali exponere non praetermittant. Quod si aliquorum ob docendi munus aliasve occupationes dilata fuerint studia, eorum in primis ratio habeatur, vel tempus illis contrahendo, quo in ministeriis post studia probandi sunt, vel aliis prorogando; ita ut vel doceant, qui ante non docuerunt, vel diutius aliquanto in aliis ministeriis occupentur, quo simul omnes proponi possint. De iis vero, quos Generalis simul decrevit scripsitque promovendos, caveant omnino, sive ipsi per se sive per alios qui illorum vota excepturi sunt, ne antiquiores recentioribus postponantur.

Antiquiores praeponendi recentioribus.

7. Verum quia nonnumquam contingit, ut quidam, licet legitimo tempore in Societate fuerint, nec eis doctrina sufficiens et aliae eiusmodi qualitates desint, propter iustas tamen causas adhuc differendi sint; saltem nos certiores facere debent de causis, ob quas eos non proponunt, ut scire possimus quare praetermissi fuerint. Quin etiam contingere potest, ut, mutatis Superioribus Provinciarum, cum successores non sint informati, aliter iudicent de eisdem personis, et condemnent praedecessores, eo quod putent illos negligentia praetermissos.

Causae scribendae de non propositis ad gradus.

8. Convenit etiam, ut ii, qui iustas ob causas non promoventur nec proponuntur, sincere moneantur de eorum defectibus, ita ut eis dicatur habere quidem partes sufficientes, et sufficienti tempore fuisse in Societate, sed non promoveri ob hunc vel illum defectum; sunt etiam hortandi, ut se emendent, quare huius rei peculiarem curam habere oportet.

Sincere monendi de causis cur non promoveantur. *Inf. Parte 4 n.5*

Instr. de spir. ad Super. c. 6. n. 4.

9. Ut omnia autem maiori cum luce ad Dei gloriam fiant, eorum, quae subiicientur, capitum informationem quaeret ab iis, qui unumquemque proponendum melius noverint, interrogando, sive de doctrina, sive de moribus, sive de aliis, quibus haec magis cognita et perspecta esse potuerunt. Ad quae respondebunt omnes quid sentiant coram Domino,

Quomodo informantes interrogandi, et quomodo respondendum.

cum prudentia et charitate; easque responsiones vel voce vel scripto Provinciali tradent.

Informationes confectas Provincialis cum Consultoribus communicet.

10. Ex his responsionibus Provincialis separatim suam de singulis informationem accurate ac dilucide conficiet, easque omnes cum suis Consultoribus communicabit, tacitis tamen nominibus eorum, a quibus acceptae fuerint; deinde suam sententiam ipse, ut et Consultores separatim, iuxta propositas informationes, quantumvis hominem non noverint, distinctis litteris ad Praepositum Generalem mittet, eumque certiorem faciet, a quibus uniuscuiusque informationem acceperit.

Litteris distinctis ad Generalem sententiam scribent.

Etiam informantes scribere ad Generalem possunt.

11. Idem etiam Provincialis, non solum Consultoribus, sed aliis quibuscumque, a quibus aliquam informationem acceperit, Generalis nomine significabit, ut, si quid praeterea sciant, quod aliquibus de causis non censuerint in Provincia manifestandum, id omnino ipsi Generali perscribant.

Secretum servandum.

12. In his autem omnibus, non solum diligentia et prudentia, sed etiam secretum, quod oportet, adhibendum erit; et omnino curandum Provinciali, ne in tanta re ullam officii sui partem praetermittat.

PARS SECUNDA.

Interrogationes, iuxta quas Provinciales ad Generalem mittent informationem de proponendis, ut vel Professi vel Coadiutores formati fiant.

Nomen, patria etc.

1. Nomen, patria, aetas, valetudo et vitae genus ante ingressum.

Quando et ubi admissus, et num experimentis probatus.

2. Ubi et quando admissus, et an experimentis omnibus, quae in Examine praescribuntur, in novitiatu probatus; sin minus, quid causae fuerit.

De profectu in virtutibus. C. 12 d. 56 n. 6.

3. An profecerit in virtutibus a suo ingressu, quantum requirit decretum 6 Congregationis IX, praesertim in sui contemptu, obedientia, fraterna charitate, simplicitate, paupertatis affectu et amore Instituti, et an in vocatione umquam vacillaverit, aut ab ea etiam defecerit.

De tempore et profectu studiorum.

4. An quadriennium integrum, vel quantum temporis post Artium liberalium et Philosophiae studium in Theologia expleverit; et num postea atque quamdiu eidem repetendae et legendis Patribus operam impenderit, quantumve in iis rebus profecerit, et etiam quantam Iuris Canonici peritiam habeat.

De tertio anno probationis.

5. An et qua satisfactione, suis studiis absolutis, (nisi ea ante ingressum absolverit) tertium probationis annum iuxta Constitutiones peregerit.

Quamdiu docuit.

6. An et quanto tempore Litteras Humaniores, Philosophiam aut Theologiam docuerit, aut casus conscientiae explicaverit, et quanta in singulis huiusmodi artibus et scientiis tradendis eruditione et doctrina polleat.

Quamdiu in ministeriis se exercuit.

7. An et quamdiu in praedicationibus aliisque ministeriis salutis proximorum versatus sit, et quanta cum gratia, facultate et animarum fructu ea exercuerit, quaque aedificatione cum externis, praesertim in missionibus, si quas obivit, se gesserit.

Quamdiu gubernaverit.

8. An et quamdiu administrationem aliquam Societatis obierit, quaque prudentia, humilitate, modestia, integritate, charitate et satisfactione domesticorum et externorum subditos rexerit et negotia tractarit.

De opinionibus peregrinis.

9. Sequaturne extraordinarias opiniones, peregrinumve aliquem alienumve a nostro Instituto sentiendi

aut procedendi modum, praesertim in doctrina, in orandi ratione et aliis spiritualibus exercitiis. Denique, an sit proprii iudicii amator et in affectibus parum mortificatus.

De oratione et zelo animarum.

10. Sitne devotus et orationi deditus, salutis animarum zelator, et in negotiis promovendis et difficultatibus superandis strenuus, ac fiducia in DEUM fretus. Denique, an optet labores et alia incommoda pro DEI gloria et proximorum salute perpeti, praesertim inter gentiles et haereticos.

De ambitu.

11. An aliquod regendi munus aut dignitatem ambierit, aut ad professionem, sacerdotium litterarumve altiora studia aspiraverit, atque haec per se vel alium procuraverit; an potius semper visus sit et adhuc iudicetur ad quemcumque Societatis gradum et ad quaevis eius ministeria indifferens.

Quae servanda in conficiendis Coadiutorum temporalium informationibus.

In informationibus autem, quae de Coadiutoribus temporalibus formandis mittuntur, satis erit, praeter tria prima capita interrogationum, ea tantum attingere, quae ad ipsorum statum proprie pertinent, et ex Constitutionibus part. 1, cap. 2, § 2 facile colliguntur; an scilicet sint bonae conscientiae, quieti, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propensi ad devotionem, qui domesticis et externis aedificationi sint, et qui sorte Marthae in Societate contenti sint etc.

Quando proponendi.

Coadiutores temporales proponendi non sunt, antequam decimum Religionis annum, aetatis vero trigesimum, ad minimum, expleverint.

PARS TERTIA.

Quae videntur observanda in examine eorum, qui de sufficientia litterarum examinantur, ut ad professionem quatuor votorum admittantur.

Quaenam doctrina requiratur ad professionem quatuor votorum.

1. Doctrina in iis, qui ad hunc gradum sunt admittendi, ea esse debet, quae praescribitur quinta parte Const. cap. 2, § 2, ut scilicet ita in Philosophia et Theologia profecerint, ut assertiones Logicae, Philosophiae et Theologiae scholasticae tueri pro dignitate possint, et quidem in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus: haec vero aptitudo non expendenda est relative ad alios ante promotos, sed absolute; nec habita solius ingenii, sed etiam doctrinae praesentis ratione. Ex quo fit, ut non satis sit in his Facultatibus mediocriter profecisse; neque enim tales ad haec studia altiora admitti debent, nisi in quibusdam casibus iuxta regulam Provincialis 19, in Ratione Studiorum. Hinc etiam, secundo, apparet, non satis esse eam doctrinam ad hunc gradum, qua quis ad confessiones tantum audiendas idoneus censetur; sed eam requiri, qua vel eas Facultates praelegere cum satisfactione possit, vel non vulgariter concionari, vel Provinciam administrare, aut quid simile. Constitutiones enim parte x § 7, eos, qui ad hunc gradum sunt admittendi, viros doctrina selectos requirunt; quin etiam bullae Summorum Pontificum Iulii et Pauli III ad hunc gradum viros litteris conspicuos exigunt.

C. 8 d. 37 n. 2.

C. 12 d. 22 n. 1.

Quinam a Provinciali Examinatores constituendi. *Instr. 19 n. 1.*

2. Quatuor, qui sunt argumentaturi et illum examinaturi, hi esse debent, qui huiusmodi iudicium de doctrinae sufficientia merito facere possint; cuiusmodi ordinarie ii tantum esse videntur, qui eas Facultates publice professi sunt aut profi-

tentur, vel certe qui omnium iudicio sunt in illis bene versati. Monere autem Provincialis Praepositum Generalem debet, quosnam in sua Provincia ad id munus deputaverit. Hi vero non admittendi, nisi praelectis Decretis Congregationis VII, VIII et XII hac super re editis, et iuramentum coram Superiore emiserint, iuxta formulam Congregationis XII decreto 22, § 2.

A Generali confirmandi.

C. 7 d. 88 n. 3. C. 8 d. 87 n. 2. C. 12 d. 22 n. 1. C. 22 d. 87 n. 3.

3. Quatuor saltem assertiones ex quatuor partibus S. Thomae, et tres ex cursu philosophico, Logica scilicet, Physica et Metaphysica, quarum unaquaeque tria membra aut puncta saltem habeat, defendere debebit qui examinandus est.

Quot assertiones tuendae. Instr. 19 n. 3.

4. Examen hoc fieri debet coram Provinciali, aut certe Rectore illius Collegii, in quo fit examen; nec alii quam Examinatores adesse debent: qui plane intelligant sui muneris esse eos, qui examinandi sunt, serio et non perfunctorie aut leviter, sed ut vere de doctrina fiat periculum, an tanta sit quanta in Constitutionibus requiritur, ut supra dictum est, examinare. Meminisse etiam debent Examinatores, cum quis assignatum doctrinae mensuram non assequitur, sed mediocritatem attingit, suo suffragio declarandum esse.

Quomodo examen faciendum.

C. 8 d. 87 n. 1. C. 12 d. 22 n. 2.

5. Absoluto examine, Examinatores suam sententiam in consultatione non dicant, sed, re prius Domino commendata, et omni humano affectu seposito, quisque separatim quid in hac re, videlicet de sufficientia doctrinae tantum, sentiat, breviter ac diserte scriptum Provinciali tradat (qui suum etiam mittet, aut qui eius loco examini praefuerit); praeterea iudicium idem ad Praepositum Generalem mittat, addens etiam, si quid significandum occurrat, quod Provinciali aperiendum non censuerit: nulli autem praeter hos quid quisque senserit omnino communicet; quod etiam secretum maxime Provinciali commendatur.

Quomodo ab Examinatoribus iudicium ferendum.

6. Ab hoc examine excipiendi videntur omnes, qui pro dignitate et cum satisfactione audientium has Facultates professi sunt aut profitentur; vel qui actum generalem mane et vesperi in Theologia habuerint, si is Patribus, qui Provincialis iudicio disputationibus interesse debuerint, satisfecerint. Horum autem iudicum obligationes eaedem sunt, quae et Examinatorum supra relatae.

Quinam excipiantur ab examine.

C. 10 d. 13. C. 11 d. 24 n. 6.

PARS QUARTA.

Quae in Patrum Procuratorum Congregatione anno 1600 a Patribus excogitata sunt, et a R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, ad Provincias missa.

1. Ne in posterum Provinciales minus diligenter, quam oporteat, in id incumbant, intelligant hanc esse unam ex praecipuis officii sui curis, sibique magna ope nitendum, ut informationes de promovendis suis temporibus opportune mittantur P. N. Generali: ita ut iuxta approbatam consuetudinem, post expletum annum trigesimum tertium aetatis possint ad professionem quatuor votorum promoveri. Et, si rei tanti momenti defuerint, sibi etiam imponendam esse poenitentiam ita, ut in Provincia intelligatur, rem maxime cordi esse P. Generali.

Provincialibus serio commendatur, ut informationes de promovendis opportune mittant.

Si defuerint, poenitentia imponenda.

2. Ad easdem querelas tollendas, et ut informationes citius, sincerius et suo tempore ad P. N. Generalem perferantur, ii, qui ex officio designantur ad exigendam rationem offi-

Provincialis visitandus in fine triennii.

cii Provincialium in fine triennii uniuscuiusque provincialatus, diligenter inquirant, an Provinciales servaverint omnia, quae de informationibus ad P. Generalem opportune mittendis praescripta sunt; et singillatim, num aliquem, de quo mittenda esset informatio, quacumque ex causa praeterierint.

Quomodo informationes capiendae de iis, qui ex una Provincia in aliam commeant.

3. Qui ex aliis Provinciis adveniunt in Provinciam aliquam Societatis, non promoveantur in illa Provincia, nisi prius acceptis informationibus ab ea, ex qua discesserant, aut in qua diutius versati sunt. Et Provinciales illarum Provinciarum, unde discesserunt illi, teneantur saltem semel suo tempore proponere istos, praeviis informationibus, sicut alios quos habent in Provincia; dummodo sint iuxta Formulam in ministeriis exercitati.

Quomodo sincere fiant informationes.

4. Ne in informationibus contingant defectus, ex quibus iustae querelae oriri possint; ut eae in posterum sincerissime fiant, onerentur conscientiae Informatorum et Consultorum Provincialium, et Provinciales ipsi diligentissime observent, ne praedicti aut eorum aliquis sit ulla ratione suspectus. Et nos quidem hic, quod in nobis erit, id unum in primis curabimus diligenter, cum huiusmodi informationes una cum PP. Assistentibus examinandae censendaeque erunt, ut qualitatis potius Informatorum ratio, quam numeri habeatur, et probatiores aliis praeferantur. Demum, si qui ex Consultoribus Provincialis eum non noverint, de quo consultatur, iudicio Provincialis praeter Consultores vocetur ad consultationem unus aliquis ex gravioribus, cui ille, de quo agitur, notus sit.

Defectuum admonitio scripto tradatur. *Sup. Parte 1 n. 8.*

5. Ne conquerantur, ut faciunt multi, quod moniti non sint de defectibus propter quos retardatur eorum promotio, haec admonitio in posterum scripto tradatur; et scribant Provinciales P. N. Generali de monitione scripto facta cum declaratione defectuum.

PARS QUINTA.

Praxis conficiendarum informationum de promovendis ad gradus.

Provincialis quando, a quibus, et quomodo informationes conficiat. *Hic n. 9.*

1. Provincialis, cum singula Collegia visitat, informationes de promovendis, si qui in illis sunt, accipiat, quae a quatuor sumi debent, qui eos bene norint, iuxta § 7 Formulae. Ex responsionibus autem, quas ab iis, qui informarunt, de singulis capitibus habuerit, propriam de unoquoque promovendo informationem componat, apponatque numerum eorum, qui idem sentiunt, hoc fere modo:

Informatio de P. N. N. a quatuor Patribus accepta. *C. 9 d. 37.*

Aetas.

Ad 1. P. N. N., romanus, annorum 40, robustus vel infirmus etc., ante ingressum operam dabat Philosophiae vel Theologiae, vel Iuri etc.

Tempus Societatis. Experimenta.

Ad 2. Admissus est Mediolani anno 1580, 20 Martii, omnibus experimentis in novitiatu probatus, vel experimenta non perfecit ob infirmam valetudinem; non enim potuit peregrinari, vel inservire infirmis.

Progressus in virtutibus. *C. 12 d. 56 n. 6.*

Ad 3. In virtutibus profecit, vel non profecit, quantum Congregatio IX decreto 6 requirit, ut omnes Informatores, vel duo tantum, sentiunt. Sui contemptum non habet, vel habet etc. secundum omnes, vel unum, vel tres. Est obediens, vel non, vel parum, aut multum profecit in obedientia, paupertatis affectu etc. De Insti-

tuto bene sentit illudque amat, vel contra: ita duo sentiunt etc. In vocatione non vacillavit, vel aliquando vacillavit ob hanc vel illam causam etc. (non intelligimus autem in vocatione vacillasse quempiam, si, dum in probatione versaretur, fuit de vocatione tentatus etc.); ab ea tamen non defecit etc.

Idem faciendum in reliquis capitibus.

2. Quod autem de tribus his capitibus dictum est, faciendum in reliquis.

Confectae informationes cum Consultoribus communicandae.

3. Peracta autem sua de unoquoque promovendo informatione, eas omnes cum suis Consultoribus examinabit, iudiciumque illorum de informationum veritate singulis informationis capitibus apponet, tam si consentiant cum iis, qui informarunt, quam si ab illis dissentiant, tacitis tamen Consultorum nominibus, hoc, qui sequitur, modo.

Quomodo informantium et Consultorum iudicia attexenda.

Ad 3. In virtutibus profecit, vel non profecit, quantum Congregatio IX, decreto 6 requirit, ut omnes Informatores, vel duo tantum sentiunt, quibus consentiunt Consultores omnes, vel duo, vel unus etc. Sui contemptum non habet secundum omnes vel unum, vel tres etc. Aliter tamen sentiunt omnes, vel duo Consultores, quibus videtur sui contemptor etc.

A Provinciali et Consultoribus separatim ad Generalem scribendum.

4. Absoluto in hunc modum informationum examine, iudicium, utrum ille promovendus videatur, an non, et ad quem gradum promovendum censeant, tum ipse Provincialis tum Consultores secretis et separatis litteris ad Praepositum Generalem scribant.

Scribendum quoque a quibus acceptae, et quibuscum communicatae.

5. Scribat etiam Provincialis a quibus de unoquoque informationem acceperit, et cum quibus Consultoribus eas examinarit; non erit autem necesse, quod quisque in singulis capitibus dixerit, ponere; sed satis erit, si id fiat, cum in aliqua responsione de re alicuius momenti inter se non consentiunt: tunc enim in informatione ponendum erit, unum, duos vel tres ex Informatoribus vel Consultoribus ita sentire, alterum vel alios in contraria esse sententia; et in charta aliqua separata scribendum eos, qui contra sentiant, esse PP. talem vel talem.

Quomodo scribendae informationes.

6. Animadvertant Provinciales informationes de promovendis non solum claro et distincto charactere scribi debere, sicut et litterae Provincialis et Consultorum, cum margine ad excipiendam sententiam nostram sufficienti, dum a nobis cum Patribus Assistentibus recognoscuntur, apposita anni nota, quo factae fuerint; sed in diversis praeterea foliis seorsim ab iis, quae de idoneis ad gubernandum conscribuntur; quum separatis in Archivio loculis, ut facilius reperiantur, asservandae sint. Caeterum Consultores cum Provinciali, qui sua simul iudicia privatis ad id litteris transmittent, eumdem illum numerum et ordinem promovendorum, qui in informationibus erit descriptus, retinebunt in suis quisque litteris ad nos scribendo: ita ut de primo et secundo primo ac secundo loco, atque ita deinceps de reliquis scribant, ad singulos numeros, eius, de quo agunt, nomen et cognomen adscribendo; tum de singulis significando, primum, quemnam ad gradum idoneos censeant, an ad quatuor scilicet votorum aut trium professionem, an vero ad vota Coadiutorum spiritualium; deinde, an statim promovendos iudicent, an adhuc differendos, ut clarius apparebit in paradigmate.

Idem numerus et ordo ab omnibus in scribendo servandus.

Litterae de

7. Litterae nostrae de promoven-

promovendis quamdiu asservandae, et subinde legendae.

dis, quas certo aliquo in libro tamdiu conservari oportet, quoad expediti fuerint de quibus agitur, ne qua oriatur perturbatio aut oblivio apud sequentes Provinciales, subinde ab illis revolvendae ac legendae sunt, ut mature ad nos referant, an exsecutioni mandatum fuerit, quod constitueramus. Qua in re ad nos scribendo id observabunt, ut priore loco verba ipsa litterarum nostrarum producant, apposita nota diei et anni, a quo datae; deinde quid iuxta eas actum effectumve sit, subiiciant; ut summam tandem de unoquoque sententiam pronuntiemus.

Quomodo ad Generalem de iisdem rescribendum.

PARS SEXTA.

Paradigma formulae scribendi ab iis, qui ad Praepositum Generalem de promovendis, sicut de aptis ad gubernandum, separatis quisque litteris suam sententiam iudiciumque ad eum mittere debebunt iuxta paragraphum sextum partis 5: " Praxis conficiendarum etc. "

1. P. Blasius Coriolanus ad professionem quatuor votorum dignus videtur etc., sed per annum differendus.

2. P. Melchior Miraldus dignus mihi quidem videtur professione trium votorum, et quam primum ad eum gradum promovendus.

3. P. Franciscus Verelinus formandus mihi videtur, sed ad annum differendus, ut maturescat magis.

4. P. Diomedes Rinaldinus, etsi ad professionem quatuor votorum peridoneus mihi videtur ob praeclara eius talenta; differri tamen poterit ad duos annos, cum sit adhuc iuvenis et novus in Societate.

5. P. Gaspar Armellus quam primum ad professionem quatuor votorum, vel trium, promovendus erit, vel cito formandus.

6. P. Nicolaus Pepelinus ob insignem eius virtutem dignus esset professione quatuor votorum; sed, cum in eo multa desiderentur, quam primum ad professionem trium votorum promovendum censeo.

7. P. Theodorus Cangoscus, etsi idoneus quidem erit ad professionem quatuor votorum, vel trium, omnino differendus, monendus et serio iuvandus in spiritu mihi videtur.

8. P. Laelius Bobalinus, etsi formandus quidem esset, cum sufficiens in eo desideretur doctrina; quia tamen insigne talentum habet concionandi, vel gubernandi, iudico promoveri oportere ad professionem quatuor votorum etc.

PARS SEPTIMA.

Paradigma informationis iuxta formulam de promovendis ad gradus.

Informatio de P. N. N. a quatuor Patribus accepta et cum Consultoribus examinata. *C. 9 d. 37.*

1. P. N. N., romanus, annorum 40, robustus, vel infirmus etc., ante ingressum operam dabat Philosophiae, vel Theologiae, vel Iuri etc. Aetas et studia.

2. Admissus est Mediolani anno 1580, 20 Martii, omnibus experimentis in novitiatu probatus, praeter peregrinationem etc., quam non obivit ob infirmam valetudinem etc. Tempus admissionis in Societatem. Experimenta.

3. In virtutibus profecit, vel non profecit, quantum Congregatio IX decreto 6 requirit, secundum omnes; vel, ita sentiunt duo ex Informatoribus, quibus consentiunt omnes, vel duo Consultores. Sui contemptum non ostendit se habere, vel habet; vel in sui contemptu bene profecit, aut

De profectu in virtutibus. *C. 12 d. 56 n. 6.*

parum etc.; ita sentiunt omnes, vel duo, vel plures, quibus assentiunt Consultores, vel dissentiunt etc. In obedientia et paupertatis affectu nonnihil, vel multum, profecit; Institutum amat, vel non amat; de eo bene, vel non bene, sentit etc. In vocatione non vacillavit, ut aiunt informantes: duo tamen ex Consultoribus credunt semel vacillasse, vel, idem sentiunt Consultores, vel non vacillavit, secundum omnes. A vocatione semel, vel bis, vel numquam defecit, vel quia durioris erat iudicii, vel altiora studia appetebat, defecit etc.

De tempore et profectu in studiis.

4. Post absolutum in Societate, vel extra, Philosophiae cursum, quadriennium, vel unum, aut duos annos studuit Theologiae, atque in his studiis bene, vel parum, vel mediocriter, vel plus quam mediocriter profecit. Ita sentiunt omnes, idemque affirmant Consultores, vel, ita affirmant tres ex informantibus; Consultores autem contra sentiunt cum altero informante etc. Post absoluta studia, per annum, vel per biennium, illa repetiit, vel non repetiit, et Patribus legendis operam dedit, vel non dedit, cum bono profectu, vel mediocri etc. Iuris Canonici peritiam non habet, vel mediocrem habet, vel bonam etc., vel antequam Societatem ingrederetur, studia theologica absolvit cum bono profectu, vel mediocri, vel modico; vel, in Societate post Philosophiae cursum, in quo mediocriter, vel parum profecit, vel, audita tantum Logica, studuit casibus conscientiae per biennium cum modico, vel mediocri profectu etc. Ita omnes sentiunt.

De tertio probationis anno.

5. Absolutis studiis tertium probationis annum peregit cum bona, vel mediocri, vel modica satisfactione. Ita duo informantes, quibus consentiunt Consultores: vel tertium probationis annum ex parte, per sex, aut octo menses fecit, quia infirmus erat, vel ob necessitates Provinciae cum eo dispensatum est de Praepositi Generalis licentia, vel quia non proficiebat et aliis erat impedimento etc. Ita omnes informantes; dissentiunt tamen duo, vel plures Consultores: vel tertium probationis annum non fecit, quia tunc non erat in usu, vel quia fuit dilatus propter occupationes, vel infirmam valetudinem etc., vel quia ingressus est absolutis studiis. Absolvit autem tertium probationis annum mense Maio anni 1595.

Quamdiu docuerit.

6. Docuit Grammaticam, vel Litteras Humaniores, vel Rhetoricam, vel Philosophiam, vel Theologiam, vel casus conscientiae uno, vel pluribus annis cum eruditione et magna doctrinae existimatione, vel mediocri, vel modica, et cum multa, vel mediocri satisfactione Nostrorum, ut sentiunt informantes; contrarium tamen affirmant Consultores etc.; aiunt enim ingenio esse obscuriore.

Quamdiu in ministeriis exercuerit.

7. Conciones habuit per sex annos cum modica, vel magna gratia et satisfactione audientium; ad id munus enim magnum, vel modicum talentum habet: vel externis satisfacit in concionibus, quia curiosa et delectabilia, potius quam utilia solet tractare etc. Ita sentiunt duo, vel tres, vel omnes informantes; secus autem sentiunt duo, vel tres ex Consultoribus etc. Confessiones audivit ab octo annis cum fructu et aedificatione, et huic muneri est, vel non est applicatus propter scrupulos etc. In missionibus, in quibus per annum versatus est, bene, vel male, et cum fructu, vel infructuose, se gessit: ita

unus ex informantibus. Contrarium tamen asserunt Consultores cum reliquis.

Qua satisfactione gubernaverit.

8. Fuit Rector vel Minister in Collegio mantuano tribus, vel pluribus, annis, quod munus magna cum humilitate, modestia, integritate et charitate obivit; desiderabatur tamen in eo maior prudentia, ut tres ex informantibus et unus ex Consultoribus affirmant. Ideoque Nostris quidem bene, vel mediocriter, vel parum satisfecit, non tamen externis, vel contra. Ita omnes informantes, quibus adhaeret unus tantum ex Consultoribus; vel numquam fuit Superior in Societate etc.

De peregrinis opinionibus.

9. Sequitur, vel non sequitur, extraordinarias opiniones, et peregrinum aut alienum a nostro Instituto procedendi modum in rebus spiritualibus tractandis, praesertim in orandi modo etc. Ita sentit unus ex informantibus, cui adhaerent omnes Consultores. Non est, vel est proprii iudicii amator, et in affectibus parum est mortificatus, vel affectus habet mortificatos. Ita omnes sentiunt, tam informantes quam Consultores.

De studio orationis et devotionis.

10. Est, vel non est devotus et orationi deditus; zelum animarum habet, vel non habet. Ita sentiunt duo, vel tres; contrarium tamen affirmant omnes Consultores. In negotiis promovendis et difficultatibus superandis est, vel non est strenuus; est enim timidioris naturae, licet fiducia sit in Deo fretus: ita sentiunt omnes. Optat labores et incommoda pati pro Christo etiam inter gentiles: ardenter enim cupit mitti ad Indos; vel labores pro Christo non appetit, sed refugit, nimius enim est in propriis commodis curandis. Ita tres ex informantibus, licet duo ex Consultoribus illum excusent ob infirmam valetudinem.

De ambitu.

11. Regendi munus aut dignitatem non ambit, vel ambiisse videtur; id enim tres ex informantibus et duo ex Consultoribus affirmant, licet negent alii. Ad Sacerdotium vel altiora studia non adspiravit, vel adspiravit: ita duo Consultores credunt, licet omnes alii contrarium censeant. Professionem procuravit, ut duo affirmant. Alii vero aiunt, illum ostendisse quidem desiderium professionis, non autem illam procurasse. Indifferens creditur, vel non creditur ad quemcumque gradum et ad quaevis Societatis ministeria. Dubitant duo ex Consultoribus de eius indifferentia ad quaevis ministeria; aiunt enim se difficilem ostendisse ad audiendas confessiones.

CAPUT XIX.

De primo et secundo Catalogo, vide Form. scribendi n. 32, 33.

DE CATALOGIS,

QUI TERTIO QUOQUE ANNO A SINGULIS PROVINCIIS IN URBEM MITTI DEBENT.

R. P. N. Claudii Aquavivae, Praepositi Generalis, iussu recognita, et anno 1589 in Provincias missa.

PARS PRIMA.

Catalogi rerum utilitas.

1. Quoniam paucae admodum Provinciae sunt, quae per Procuratorem singulis trienniis cum primo et secundo catalogo personarum, alterum catalogum Domorum et Collegiorum cum suis reditibus mittant, qui rerum catalogus dici potest; cuiusque et Const. part. IX, cap. 6, § 3, et Instructio quaedam anni 1579, meminit: operae pretium visum est Provinciales omnes monere, ne hunc catalogum praetermittant. Nam, quam hic sit utilis et necessarius, res ipsa indicat, ut scilicet Domus seu Collegii cuiuslibet praesens status brevi compendio Patri nostro Generali ob oculos ponatur. Quamvis enim in cuiusque domicilii fundationum historiis huc in Urbem ad archivium iam pridem maiori ex parte transmissis eorumdem status ad illud usque tempus narrationes contineantur (quas idcirco repetere opus amplius non erit, praeterquam iis, qui eas nondum miserunt), praesentem nihilominus cuiuslibet saltem triennii statum Generalis Praepositus ignorare non debet. Quem etsi aliqua ex parte ex annuis litteris habere posset; quia tamen illae a paucis suo tempore mittuntur, et ea non attingunt, quae ad rerum temporalium conditionem pertinent; nec si attingerent, facile esset inde repetere: propterea necessario fuerunt monendi Patres Provinciales, ut iuxta subiectam Formulam curent hunc rerum catalogum, cum supra dictis duobus aliis personarum catalogis, singulis trienniis ad R. P. N. Generalem transmitti; atque alterum eorumdem catalogorum exemplar ad P. Assistentem.

Catalogus rerum singulis trienniis cum aliis per Procuratorem mittendus.

Quomodo conficiendus.

2. Principio igitur recensebitur numerus Nostrorum omnium, qui in Provincia sunt; simulque eorum seorsim, qui proximo triennio vel in Societatem admissi, vel ab ea dimissi, vel vita defuncti sint; tum Domorum, Collegiorum et Residentiarum numerus ac nomina addantur; dicatur praeterea, quot e Nostris in singulis illis domiciliis habitent. Deinde vero ad singula domicilia suis quaeque distincta capitibus describenda descendendo, Nostrorum, qui in singulis sunt, numerus repetatur, ac praeterea addatur, quot in his sint Sacerdotes, quot Praeceptores, quot Scholastici et quarum Facultatum; quot item Coadiutores temporales, quinam reditus, vel ordinariae eleemosynae, quantum aeris alieni, ac reliqua, iuxta subsequentem Formulam.

PARS SECUNDA.

Praxis.
Catalogus Provinciae romanae.

Numerus personarum recensendus.

1. Sunt in romana Provincia de Societate 549: in Professorum Domo 90, in Collegio romano 190, Tusculi 10, in Domo Probationis 90, in Poenitentiariorum Collegio 21, in germanico 13, in anglicano 6, in Maronitarum 2, in Seminario 22, Tibure 12, Senis 18, totidem Maceratae, Florentiae 23, Perusii 16, Recineti 14, in lauretano collegio 45, et 4 in illyrico. Admissi hoc triennio in Societatem 100, dimissi 9, vita functi 15.

Domus Professorum.

Quae in Domibus Professorum explicanda.

2. Aucta est insigni templo illustrissimi Farnesii Cardinalis liberalitate exstructo, superiore anno consecrato. Sunt nonaginta e Nostris: Sacerdotes quinquaginta, reliqui Fratres; possunt ali ex eleemosynis ordinariis circiter septuaginta; aes alienum contractum ad mille coronatos; ad quod in totum, vel ex parte dissolvendum, habet creditam pecuniam tantam, vel nullam etc. Utitur vinea Collegii bis terve in anno pro necessaria Nostrorum animi relaxatione.

Collegium romanum.

Quae in Collegiis.

3. Alit e nostris 190: Sacerdotes 40, Praelectores 18, nempe: Grammatices quatuor in totidem classibus, Humaniorum Litterarum unum, linguae graecae unum, Rhetorices duos, linguae item hic graecae unum. Mathematicarum unum, Philosophiae tres, scholasticae Theologiae duos, Scripturae unum, casuum conscientiae duos; Scholares nonaginta, reliquos Coadiutores. Ad omnes has praelectiones nulla obligatione tenetur Collegium, vel tenetur ad has vel illas ex fundationis contractu. Annui reditus sunt novem millium scutorum, ex qua summa mille sunt deducendi annui census, qui pro summa principali quindecim millium scutorum aeris alieni contracti penditur, praeter alia tria millia commodato accepta: ad quae dissolvenda habet in credita pecunia totidem millia, vel his plura, aut pauciora. Ex reliqua summa ali possunt circiter 150.

Eodemque modo pergendum in reliquis Provinciae domiciliis.

Index alphabeticus praefigendus.

4. Quoniam vero multum temporis interdum insumitur, dum alicuius informatio in primo personarum catalogo quaeritur; ad illius faciliorem usum, ad quemvis scilicet e Nostris nullo negotio inveniendum, index alphabeticus nominum tantum et cognominum omnium eorum, qui in ipso catalogo continentur, erit eidem praefigendus, addito numero, qui cuique nomini praefixus est in primo catalogo, ac praeterea numero paginae, in qua nomen ipsum describitur. Debebunt enim singulae primi catalogi paginae suis ordine numeris notari. Exempli gratia:

P. Albertus Felix,	pag. 6.	num. 12.
P. Antonius Magnus,	„ 7.	„ 15.
P. Bernardinus Coelius,	„ 9.	„ 14.
P. Bonaventura Turre,	„ 9.	„ 18.
P. Camillus Bernardi,	„ 9.	„ 6.
P. Cornelius Broeth,	„ 12.	„ 7.

CAPUT XX.

DE CELEBRANDIS CONTRACTIBUS

IUXTA MOREM ET PRIVILEGIA SOCIETATIS.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, anno 1581 ad Provincias missa.

PARS PRIMA.

Quinam contractus repugnent Instituto.

1. QUONIAM, sicut accepimus, in nonnullis Societatis nostrae Provinciis adhuc celebrantur contractus, congregatis ad pulsum campanae, vel omnibus Collegiorum Sacerdotibus et Fratribus, vel maiori aut potiori eorum parte, acceptisque coram notario et testibus suffragiis, quae omnia repugnant Instituto et modo procedendi Societatis ac privilegiis illius; serio curent Praepositi Provinciales, ut contractuum celebrationes per Superiores tantum, auditis nempe Consultoribus, fiant, et ad normam Instituti accommodentur. Quod si alicubi difficultates moveant externi, quibuscum contrahendum erit, curent Provinciales, ut illis vel per se ipsos vel per Collegiorum Rectores ac etiam per Iuris peritos, quos prius ea de re consuluerint, ostensis locis Constitutionum, Canonum et bullarum, persuadeant, firmiores ac securiores multo fore contractus, si iuxta privilegia nobis ad id in specie a Sede Apostolica concessa celebrentur; prout est in bulla Pii v, et Gregorii xiii, et iuxta Constitutiones ac Decreta Societatis, Const. part. ix, cap. 3, § 5, et primae Congregationis generalis decreto 21, tit. 6, quam si diverso quopiam modo; ad quem nos cum privilegia non habeamus, facilius contractus ipse infirmari, et an alicuius valoris sit, a multis dubitari possit. Nam alioqui magnum praeiudicium generaretur, primum, privilegiis Societatis, quae per non usum obsolescerent; deinde, facilitati contrahendi, ac libertati Societatis, et modo eam gubernandi.

Quomodo conficiendi.

Docendi qui ignorant, firmiores esse contractus, si iuxta nostra privilegia fiant.

Hic d. 100.

Quando, et quomodo intersint Consultores.

2. Quod si pro celebritate contractus ii, quibuscum transigitur, velint, ut Consultores celebrationi intersint; quamvis Societatis Instituto id magis consentaneum esse videtur, si solus Superior id faceret: poterunt quidem illi interesse, sed sic, ut in ea re suffragium non habeant decisivum; ita neque in ipso contractu dicendum erit, quod ad eam rem conficiendam suffragium tulerint; sed, praesentibus N. et N. dicti P. Rectoris Consultoribus, idem Rector vendidit etc. Si autem opus fuerit, aut ita videatur, poterit initio contractus aliqua mentio fieri de modo contrahendi Societatis iuxta illius privilegia et Constitutiones auctoritate apostolica confirmatas; ut, si, verbi gratia, ita fieret narrativa:

Formula contractus celebrandi.

3. Personaliter constitutus N., Rector N., asserens se ad infra scriptam venditionem vel permutationem sufficientem habere potestatem a R. P. Generali Praeposito, penes quem omnis facultas celebrandi contractus residet,

iuxta dictae Societatis Constitutiones et Decreta, apostolica auctoritate confirmata, prout de confirmatione constare asserit litteris apostolicis fel. rec. Pii Papae v sub plumbo expeditis, et sub datum Romae tertio kal. Maii 1568, Pontificatus eius anno 3, et de licentia dicto Rectori concessa litteris patentibus, manu eiusdem Praepositi Generalis subscriptis, eiusque sigillo munitis, quarum tenor talis est: Claudius Aquaviva, etc.; omni meliori modo, quo de iure potuit, idem Rector vendidit vel commutavit etc.

PARS SECUNDA.

Modus informandi R. P. Generalem circa alienationes faciendas.

Explicanda R. P. Generali.

Cum petitur a R. P. Generali licentia alienandi vel commutandi bona aliqua Collegiorum, hic modus servandus erit.

Rei alienandae nomen, confinia, valor.

1. Ut rei alienandae nomen, confinia, valor et reditus, et si quae sunt aliae circumstantiae, explicentur.

Rei vel reditus accipiendi circumstantiae.

2. Simili modo rei vel reditus, qui in commutatione accipiendus est vel pretio rei vendendae coemendus, circumstantiae eodem scripto comprehendantur.

Rationes.

3. Rationes in utramque partem adducantur.

Quinam informationi subscribant.

4. Rector et Consultores, si consentiant in alienationem, subscribant scripto huiusmodi tractatus seu informationis; cui, si qui non assentiant, id etiam eodem scripto adnotetur, simul cum rationibus, quae hos ad non assentiendum moverint.

Informatio ad Provincialem mittatur; ab hoc ad Generalem.

5. Scriptum illud ad Provincialem mittatur; et ipse sententiam suam simul cum eodem scripto ad R. P. Generalem mittat.

Quando a Generali dabitur facultas alienandi.

6. Si tractatus vel informatio de re alienanda praedicto modo detur, concedet, si expediens videbitur, R. P. Generalis licentiam simul et confirmationem alienationis; confirmando ex nunc, pro eo tempore, quo alienatio fiet, quia constabit de evidenti utilitate, expressis nempe in informatione utrisque rebus, alienanda scilicet, et emenda seu commutanda, cum utriusque circumstantiis.

Quando nulla occurrit in specie res coemenda.

7. Si autem adsit necessitas vendendi, nec occurrat in specie res pretio venditionis coemenda, dicatur saltem in genere, quod sit utilius emere possessionem, vel reditus tales etc., qui frequenter venales occurrant. Et tunc poterit etiam eodem modo dari confirmatio, simul cum licentia vendendi; alias licentia quidem dabitur, non tamen confirmatio, quia neque constabit de utilitate ulla: immo si pecuniam pretii rei vendendae diu vacuam fore probabiliter timeretur, omnino expediret similes alienationes non fieri.

Pretium rei venditae ne in alienos usus distrahatur.

8. Intelligant etiam omnes Superiores, quotquot alienabunt, districte illis ex nunc prohiberi a R. P. N. Generali, ne pecunias pretii rei venditae in alios ullo modo sumptus distrahant, praeterquam in rem vel reditum, cuius emendi causa fuerit data facultas vendendi, vel certe in similem aut meliorem, si interim occurrat; et quamdiu id non fiat, pecuniam pretii huiusmodi in depositum custodiant, donec res alia coematur.

Idem iudicium de censu redimibili.

9. Idem intelligendum erit, quando pretium census alicuius redimibilis restituitur Collegio, ut illud eodem modo servetur ad similes vel meliores reditus comparandos.

CAPUT XXI.

DE MODO, QUI SERVARI DEBET,

CUM SODALITATES B. VIRGINIS AD PRIMARIAM ROMANAM AGGREGARI PETUNT.

R. P. N. Claudii Aquavivae, Praepositi Generalis, iussu anno 1585 ad Provincias missa, et dein recognita anno 1606.

Romana Congregatio, pontificia auctoritate appellatur Primaria.

1. ROMANA B. Virginis Annuntiatae Sodalitas, Summi Pontificis Gregorii XIII auctoritate confirmata, quia reliquas tempore antecessit, et eius exemplo omnes deinceps inductae sunt, Primariam Summus Pontifex illam appellari voluit, eique certas indulgentias impertiri. Facultatem deinde Praeposito Generali Societatis IESU concessit, ut reliquas Congregationes auctoritate apostolica erigere, easque huic Primariae coniungere posset. Quam facultatem Sixtus V extendit ad aggregandas etiam plures Congregationes in eodem Collegio, vel Domo, vel in Seminariis; et Clemens VIII in quibuscumque Residentiis, sub quovis titulo, etiam nou studentium, ita ut eisdem indulgentiis, quibus ista, fruerentur; sic tamen, ut reliquae indulgentiae, quas tum isti romanae, tum caeteris omnibus Congregationibus antea concesserat, intelligantur omnes revocatae.

Praeposito Generali conceditur facultas erigendi et aggregandi Congregationes.

Sixti V et Clementis VIII extensio.

Quot litterae scribendae.

2. Quare, ut deinceps in hac Sodalitatum aggregatione certa aliqua formula et omnibus communis servetur, visa est R. P. N. Generali haec tenenda. Primum, ut Provincialis Rectores suos admoneat, quorum in Collegiis iam sunt eiusmodi Congregationes, ut earum Praefectis et Assistentibus significent, esse illis binas epistolas scribendas: alteram ad Reverendum Patrem Generalem, penes quem est omnis potestas, qua petant suam Congregationem institui certo aliquo sub titulo, et aggregari ad hanc Primariam Collegii romani cum eius indulgentiis; alteram, ad ipsum Praefectum et Assistentes huius Primariae, rogando, ut haec eadem apud Patrem nostrum procurent. Quod ipsum intelligendum est de Collegiis, ubi nondum sit ulla erecta Congregatio. Cum enim Rectori, accedente etiam Provincialis iudicio, videbitur, tot esse personas et tales, ut nova Congregatio institui debeat, iubebunt aliquos ex iis, qui id cupiunt, binas item litteras huc scribere eodem plane, quo diximus, argumento. Atque hoc modo debebunt Congregationes omnes denuo erigi ac confirmari. Quod ut ad DEI et Virginis Matris, sub cuius umbra militant, honorem ac gloriam cedat, ipsius infinitam bonitatem ex animo precor.

Titulus declarandus.

Quando facienda aggregatio.

3. Postremo, duo hic adscribenda visa sunt notatu digna: alterum, quod aedificationi magnopere conducit, ne expensae, quae in exscribendis litteris patentibus pro aggregationibus Sodalitatum Beatae Virginis et pro communicatione bonorum operum Societatis fieri consueverunt, ab aliis,

Quorum expensis aggregationes scribendae.

quam ab ipsis Provinciis suscipiantur; quibus sumptibus faciendis peculiari aliqua ratione, ne Collegia aut Domus graventur, Provincialis erit prospicere. Alterum est, quod puritati paupertatis nostrae deserviet, ut Nostri intelligant atque omnino sibi persuadeant, Congregationes, quarum directio a Societate suscipitur, nullo modo bona immobilia aut certos reditus admittere posse; cum nec Societas, penes quam est erigendi aggregandique facultas, capax sit eorum redituum, nec ipsa Sodalitia, quae per se stabile ac perpetuum quoddam corpus constituere nequaquam possunt, cum eiusmodi ea esse oporteat, ut, quandocumque Nostri subducere se voluerint, eo ipso dissolvantur: quod aegre fieret, si corpus unum efficerent, certoque reditu potirentur. Accederet inter alia multa illud etiam incommodi, quod, si Sodalitates nostrae reditus certos haberent, essent omnino, sicut et aliae externorum Confraternitates, visitationibus Ordinariorum obnoxiae, quo uno maxime praesidio a constitutione Clementis VIII, ne comprehenderemur, immunes fuimus.

Certus reditus non possunt admittere.

A. R. P. PETRI BECKX

ORDINATIO DE IIS,

QUAE SERVANDA SUNT IN EVULGANDIS NOSTRORUM LIBRIS VEL QUIBUSCUMQUE LUCUBRATIONIBUS.

9 Februarii 1856 et 11 Maii 1862. — A Congregatione XXIII approbata decreto 43 numero 2.

R. P. Roothaan de edendis libris plura praescripserat.

Antecessor noster piae. mem. R. P. Ioannes Roothaan, Ordinatione ad omnes Provincias 4 Martii 1844 data, plura praescripserat, quae in evulgandis libris ex Instituto nostro servanda sunt; idque eo fine, ut praecaveretur ex una parte, ne Nostri in libris scriptisve edendis levitatem praesentis saeculi imitarentur, neve quodam pruritu (ut Congregatio XXI decreto 26 loquitur) scribendi suaque scripta edendi abripi se sinerent; et ut ex altera parte promoveretur eorum studium, qui feliciter quidpiam elaboraverint, quod et nostrae vocationi convenire, et reipublicae christianae utile futurum ab idoneis Censoribus iudicaretur.

Verum, non obstante hac Ordinatione, quaedam in editione librorum irrepsisse passim notatum est, quibus nisi remedium adferatur, gravia incommoda inde enascitura merito timeri oporteat; et cum idcirco ad postremam Congregationem generalem varia postulata, ut opportune

Nihilominus irrepserunt quaedam, quibus occurrendum.

Eam curam Congregatio 22 P. Generali commisit.

provideretur, essent delata, eadem Congregatio, de re tanti momenti vehementer sollicita, censuit huic malo efficaciter esse occurrendum, nobisque decreto 20 totam huius negotii curam commisit, et plurimum commendavit. Nos igitur, ea, qua par est, diligentia eius voluntati obsequi cupientes, omnibus, quae in ipsa Congregatione proposita fuerunt, mature perpensis, et cum Patribus Assistentibus pluries discussis, quae sequuntur Nostris omnibus praescribenda, et praesertim Superioribus enixe commendanda esse in Domino existimamus.

C. 22 d. 20.

In primis cum Provinciali agendum.

1. Si quis Nostrorum aliquid a se elucubratum in lucem edere velit, in primis cum Provinciali agat, eique scripta sua deferat, qui dispiciet, an argumentum scriptionis eiusmodi sit, de quo ab homine Societatis aliquid publicari utile fore, aut certo non inconveniens videatur. (Const. part. VII, cap. 4, n. 11.)

Provincialis Generalem monebit.

2. Provincialis haud omittat nos admonere, sive talem publicationem certo convenire existimet, sive dubitet; namque, si eam non convenire putabit, sufficiet, ut suam hanc sententiam scriptori aperiat, qui, si forte Provincialis sententiae non acquiescat, ad nos recurrere non prohibetur, servata regula 23 communium.

Auctoris scripta a Censoribus revidenda.

3. Si Provinciali scriptionis argumentum probetur, auctoris scripta revidenda tradat Censoribus, quos, nisi sint ex praevie adprobatis, nobis confirmandos reservamus; si vero de merito argumenti dubitet, tum non antea Censores designet, quam responsum nostrum acceperit.

Censores pro argumenti qualitate assignandi; sint auctori ignoti, secreti tenaces.

4. Censores a Provinciali pro argumenti qualitate assignandi sunt iuxta regulam Revisorum generalium secundam; et quo maiori libertate ac sinceritate iudicium proferre possint, curandum, ut iuxta decretum 15 Congregationis XVI, quantum fieri potest, Censores ignoti sint auctoribus, et auctores Censoribus; qui quidem secreti maxime tenaces sint, ita ut nec censuras nec scripta, quae recensebunt, priusquam edantur, cuiquam ostendant sine P. Provincialis facultate.

Censores observent Regulas Revis. generalium.

5. Censores Revisorum generalium Regulas, quae revisionem instituendam ac iudicium ferendum concernunt, ac eatenus ad singulos Revisores spectant, diligenter legant et observent, praecipue vero septimam, octavam et nonam. Consulant etiam decretum 20 Congregationis XXII.

Censores librorum de Instituto a Generali speciatim designandi.

6. Libri de Instituto Societatis, eiusque iuribus seu privilegiis tractantes, item ea scripta, quae nobis speciatim reservabimus, imprimi non debent, nisi per Censores a nobis hunc in finem speciatim electos fuerint recogniti.

Quid Provinciali agendum, si Censores omnes librum approbant, aut improbant; quid, si non consentiunt.

7. In caeteris autem, si Censores unanimi consensu opus luce dignum existiment, quod nempe mediocritatem in suo genere non mediocriter superare censeant, Provincialis statim illud edendi licentiam dare potest. Haec tamen facultas, ex antiquo et communi Societatis more et pro meliori ordine, non nisi per litteras patentes manu propria subscriptas et sigillo officii munitas est concedenda. Si autem opus a singulis Revisoribus reprobetur, hanc de opere sententiam Provincialis scriptori referat. Si tandem Censorum iudicia inter se non conveniant, Provincialis totam rem ad nos transmittat, suamque de re sententiam addat.

Singuli Censores sententiam ad Provincialem, et per hunc ad Generalem mittant.

8. Necesse est, ut singuli Censores seorsim, tum ad P. Provincialem tum per ipsum ad nos, suam transmittant sententiam, ut quocumque in casu constare possit, quinam Censores fuerint, quodve tulerint iudicium. Ratio autem ad nos scribendi sit iuxta "*Practica quaedam ad formulam scribendi...*"

Si quaedam corrigenda videntur, quid in informatione annotandum.

9. Quando Revisores librum edi posse probant, et tamen quaedam in eo corrigenda esse putant, in informatione seu censura, quam ad Praepositum Generalem et Provincialem mittent, expresse dicant, utrum has correctiones adeo necessarias esse credant, ut sine eis librum edi non posse iudicent. Reliqua vero, quae quidem minus essentialia esse videntur, sed tamen ad opus perpoliendum corrigi debere censent, separatim adnotent; sciant autem sibi non licere proprio suo iudicio textum auctoris mutare, et suam ipsi sententiam obtrudere.

Censurae factae, cum auctore communicari possunt.

10. Quae censurae factae fuerint, eas (quin tamen reveletur a quo factae sint) cum auctore communicari nihil vetat, ut, siquidem ad illas scripta sua conformare paratum se exhibeat, idipsum exsequi possit.

Quidquid editur, revisionis legi subiacet.

11. Opus quodcumque ab homine Societatis conscriptum, sive proprio, sive alieno, aut tacito nomine in lucem edatur, revisionis legi subiacet, et id in primis intelligendum de thesibus. (Congr. XV decr. 9.) Dein etiam de praefationibus, epistolis liminaribus, titulis, inscriptionibus et quae huiusmodi sunt; uti, si quis alium adiuvando quaedam conscripserit; adeo ut nihil edatur, nisi quod rite discussum, et approbatum fuerit. (Congr. X decr. 11.)

Etiam articuli folio periodico destinati.

12. Pari modo articuli, ut vocant, alicui commentario seu folio periodico destinati, similiaque scripta non publicentur sine debita revisione et Provincialis facultate.

Calumniam vel errorem aliquando statim, inconsulto Provinciali, confutare licet.

13. Si quando typis spargeretur calumnia quaedam seu error, unde grave scandalum aut damnum Societati immineret, nisi statim refelleretur, licebit (ubi Provincialis consuli nequit) cum licentia Superioris Domus publico scripto errorem arguere et confutare, modo id fiat debita cum cautela, et scriptum a duobus Patribus idoneis, ubi fieri potest, revideatur, ac Provincialis statim de eo quod accidit certior reddatur.

Quae a scholis in lucem edi consueverunt, permittuntur curae Provincialis.

14. Ea, quae a scholis occasione suarum exercitationum in lucem mandari consueverunt, uti promulgationes, nuntii seu folia volantia, quae exigui sunt momenti, non tam operis mole, quam argumenti natura, relinquuntur curae et providentiae P. Provincialis, qui porro videbit qualem in hac parte facultatem Superioribus localibus delegare velit. (Congr. XVI decr. 14.)

In libro recudendo, vel ex alia lingua transferendo, quid servandum.

15. Nemo opus iam alias editum recudendum curet sine praevio consensu Provincialis, cuius erit iudicare, an opus, maxime si auctum aut in quibusdam immutatum fuerit, novae revisioni subiici debeat. Opus autem ex una in aliam linguam translatum non edatur, nisi revisionis lege servata.

Cavendum, ne impressione librorum Domus nimis sumptibus onerentur. Quando demum pactio cum bibliopolis etc. fieri possit.

16. Caveatur, ne impressione librorum Collegia vel Domus sumptibus immodicis graventur, aut aliis Provinciis damnum inferatur: et nullus contractus cum bibliopolis, typographis aut editoribus ineatur, aut operis impressio inchoetur, priusquam opus totum revisum et approbatum fuerit, et Provincialis expresse consensum, iuxta decretum 33 Congre-

gationis xvi, et scriptori litteras patentes, de quibus supra, dederit.

Quaenam librorum venditio generatim vetita.

17. Generatim vetitum est decreto 84 § 3 Congregationis vii typographiae sumptus pro edendis Nostrorum libris suppeditare, et exempla damno lucrove nostro divendenda accipere. Ubi autem aliorum periculo edantur, non est prohibitum scriptoribus, conscio et approbante Provinciali, vel pro manu scripto iustum pretium, vel certum exemplarium numerum ab editore exigere, quae quidem exemplaria iuxta Superiorum dispositionem convenientibus usibus destinari vel etiam vendi possint.

Si aliorum periculo edantur, quid pretii exigere liceat.

Pretium perceptum Superiori Domus consignandum.

18. Quodcumque autem lucrum seu pretium ex venditione manu scripti vel quorumdam exemplorum perceptum fuerit, ex decreto 7 § 2 Congregationis xx, Superiori totius Domus consignetur, cui integrum erit illud impendere, sive ad promovenda auctoris studia aliosque usus litterarios, sive ad alium quemcumque utilem finem, sicut expedire visum sibi in Domino fuerit. (Congr. xxii decr. 26.)

Ecclesiastica aut civilia de librorum editione statuta servanda.

19. Quae circa censuram seu editionem librorum alicubi vigent potestatis civilis aut ecclesiasticae statuta, et probatae consuetudines, etiam a Nostris diligenter serventur.

Librorum exempla ad Generalem mittenda.

20. Omnium librorum seu operum editorum, quae alicuius momenti sunt, tria exemplaria, vel saltem duo ad nos tempestive mittantur.

Haec ab omnibus fideliter servanda.

Omnes itaque Provinciales, Superiores, Scriptores et Censores serio in Domino monemus, ut, quae hac nostra Ordinatione praescribuntur, fideliter in praxim deducant et constanter observent.

Faxit autem divina bonitas, ut res tanti momenti eum sortiatur fructum, quem postrema Congregatio sibi pollicita est, et quem nos summopere cupimus et optamus A. M. D. G.

INSTRUCTIONES

PRAEPOSITORUM GENERALIUM

INSTRUCTIO
R. P. CLAUDII AQUAVIVAE,
SOCIETATIS IESU PRAEPOSITI GENERALIS,
PRO SUPERIORIBUS,
AD AUGENDUM CONSERVANDUMQUE SPIRITUM IN SOCIETATE.

SUPERIORIBUS SOCIETATIS.

ANNI sunt prope septem, cum missa sunt ad Provincias sex capita, quibus praecipua quaedam monita, quasi fontes spiritualis nostrae administrationis, continebantur, ad conservandum augendumque spiritum in Societate, a R. P. N. Generali excogitata et cum Patribus Assistentibus communicata, quae posthac Superiores lectitarent studiose, et ad faciliorem commodioremque gubernandi rationem prae manibus haberent. Quin etiam anno ante, ea de re serio moniti Provinciales, qui omnino efficerent, ut in suis Provinciis eorum copia Superioribus suppeditaret, essetque exemplar penes unumquemque. Verum, cum experientia compertum sit, haec a multis ignorari, nedum a singulis legi atque versari, eorumque inopia in Provinciis plerumque laborari, qua in exscribendo labore, qua sensu quodam, quo, nescio quonam pacto, iis pervolvendis legendisque magis oblectamur ac ducimur, quae a typis lucem accipiunt, quam quae in membranis scripta delitescunt: ob id e re Societatis fore ac prope

necessarium visum est, si ea typis excusa ederentur; spe facta, illud omnino commodi ex hac editione futurum, ut, si, suppeditante copia, pervolutari haec incipiant ac Superiorum manibus teri, is, quem tantopere expetimus et ad quem tot conditae leges et haec ipsa diriguntur, fructus in diem capiatur uberior, (hoc est ea, quae iubentur, exsequi non remisse) et tantus ac tam utilis labor non omnino irritus reddatur. Quod equidem, ut et futurum plane confido, si ea diligenter, ut par est, Superiores meditando commentandoque perlegerint, sic pro certo habeo facturos alacriter, cum, Patris nostri vigilantiam prope singularem experti, qui totus est in elaborando perficiendoque spiritu in Societate, intelligent ex huius aurei libelli commentatione non parum emolumenti in subditos redundaturum. Romae, kalendis Ianuariis 1604.

Mandato R. P. N. Generalis,

BERNARDUS DE ANGELIS,

Secretarius Societatis Iesu.

CAPUT I.

DE INSTRUENDIS FORMANDISQUE SUPERIORIBUS.

Cur post multas et varias Ordinationes editas optatus fructus haud exstiterit.

QUANDOQUIDEM post varias Ordinationes, post crebras Superiorum ad officii sui curam excitationes, post visitationes denique, tum solemnes Provincialium, tum extra ordinem institutas Visitatorum, nondum tamen is fructus, nec spiritus incrementum aut fervor elucet, quem omnes optamus, et quem ego, ut omnibus modis procurem, privato ac praecipuo muneris mei vinculo admoneor; in hanc cum Patribus Assistentibus meis deliberationem veni, ut, ab Urbe per aliquot hebdomadas secedentes, animum intento studio ad contemplandas detrimentorum nostrorum radices et remedia referremus. Re autem multis precibus et sacrificiis DEO Domino diligenter commendata, manifesto deprehendimus, reliquos omnes defectus ab uno executionis defectu tamquam ex fonte manare: quia, si Ordinationes diversis temporibus editae, immo solae Regulae ipsae si observarentur, vix admodum esset, quod in studio perfectionis religiosaque disciplina desideraretur. Et, quoniam haec ipsa executio maxima ex parte pendet a Superioribus, propterea primum ac peculiare studium in eo ponendum esse censuimus, ut accurate instruantur formenturque Superiores. Frustra siquidem libri Regulis, Ordinationibus ac Visitationibus implentur, si desint animata instrumenta, quae spiritum subministrent et vividam illarum praxim exerceant. In hunc ergo finem operae pretium ante omnia visum est de hoc capite pauca, quae sequuntur, statuere, ut in posterum observentur.

Radix, exsecutionis defectus.

Vis exsecutionis maxime ab optimis Superioribus pendet.

A Provinciali in visitatione quae legenda et declaranda.

Provincialis, dum Provinciae suae loca visitat, in singulis Domibus et Collegiis cum Superiore ac Ministro Consultores etiam, eosque, qui alias gubernarunt, convocet; coramque cum illis Rectorum et aliorum subordinatorum Regulas, Ordinationes item Instructionesque typis excusas legat. Ubi, praeter communem earum intelligentiam et declarationem, propria etiam cuiusque praxis, et quibus in ea modis errari possit, sedulo pertractetur; ita ut practicae quaedam fiant conferentiae de via et modo recte gubernandi. Legant praeterea, sed singuli privatim, S. Bonaventurae libellum de sex alis; tum deinde in medium adferant, si quid forte inter legendum incidit, quod proponant. Neque abs re forsan fuerit, si semel in eo congressu recitetur etiam epistola nostra ad Superiores. Denique permagni futurum est adiumenti, si ad rem nostram et Institutum adaptemus quod S. Basilius in Reg. fus. disput. c. 54 suadet, ut celebrentur de iis rebus conferentiae, in quibus labi proclive est; et quam quisque

Quid cuique privatim legendum.

Conferentia habenda.

rationem in quorumdam morbis, quorum difficilior ad tractandum natura et mores erant, ut illis mederetur, secutus sit; quid denique in hoc illove casu fieri oporteret, prolatis in medium variis interrogatiunculis et peculiaribus circumstantiis. Quam ad rem conferent iuvabuntque, ut spero, aliquot industriae, quas ad spiritualium infirmitatum curationem appositas, ut eorum, qui gubernare incipiunt, instructioni, aliorum etiam memoriae serviant, propediem missuros nos confidimus; cum adeo discrepans a corporum medicina, tantoque quam illa difficilior sit haec curatio, propter causas, quas Gregorius Nazianzenus Apologetico suo complexus est, et Gregorius alter Papa praeclare item explicat pluribus in locis. At Superiori privatim postea indicabit Provincialis, si quid fortasse in hoc illove curando peccarit, et quomodo in posterum se gerere debeat, ne aberret.

Proderunt industriae iam editae.

Quod ipsum, cum ad Domus cuiuspiam visitationem accesserit, cum eius Superiore et Consultoribus praestabit, aliisque, de quibus dictum est. De singulis autem, re perfecta, suis ad nos litteris perscribet: quos nimirum convocarit et in hunc modum instituerit; quemadmodum successerint conferentiae; quantum iudicii unusquisque, et quantum in se spiritus ostendat; scribentque de iisdem etiam rebus singuli, tum ipsius Provincialis, tum uniuscuiusque Collegii Consultores.

De quibus circa has conferentias Generalis monendus.

Nunc vero, ut ad ipsum Superiorum officium veniamus, ostendamusque quibus in rebus errare ac muneri suo deesse possint; doceri debent errores defectusque ex eo nasci, quod subditorum suorum morbos, vel ignorent, vel negligant, vel foveant interdum ipsi, vel etiam augeant, vel eos denique exasperent et gravius exulcerent. Ad haec enim capita quinque omnes huius spiritualis medicinae defectus revocari videntur.

Superiorum errata.

1. Et ignorant quidem, vel quod ad actus ipsos extrinsecos, eo quod fidos vigilantesque syndicos non adhibent, non percontantur a quibus et quando sciscitandum est. Ministrum nec habent idoneum, nec fingere ipsi aut formare norunt. Filiorum denique suorum aegritudines paterno affectu ac sollicitudine non observant. Intrinsecus autem, quia aut conscientiae rationem, quo par est modo, non exigunt; aut subditi ipsi, minus eis confidentes, aperire se penitus non audent. Ita fit, ut interdum durior quaedam agendi ratio et parum affabilis homines alienet; interdum opinio, quam de Superioribus suis, quasi fuco et artificio utantur, animo conceperunt: quo quidem certior nulla pestis esse potest, cum accidere nihil possit quod animos ab amore ac fiducia sic avocet; nihil, quod subditorum mentes magis excitet acuatque, ut fucum et ipsi quaerant, et res suas tectas atque occultas esse velint. Unde, sublata mox integra ac sincera sui ipsius erga Superiorem manifestatione, quam Regulae nostrae et Sancti Patres tantopere inculcant, occluditur sine ulla spe remedii via omnis et ratio totius auxilii spiritualis.

Ignorant subditorum morbos.

2. Negligunt, atque in deteriora labi sinunt multis modis: seu quia paterne ac sincere non monent; seu quia laqueos et pericula non indicant, quae subditi in suis illis defectibus non vident; defectuumque ipsorum radices ac fontes non patefaciunt. Id

Negligunt.

ipsum praeterea faciunt, cum vel poenitentias non imponunt, culpasque et errata non corrigunt, quod quidem pertinet ad disciplinam; vel damna non prospiciunt, nec illis occurrunt, vel occasiones amputando vel habenas revocando, quod spectat ad custodiam. Haec siquidem duplex illa est cura, quam subditis praestari a Superioribus debere S. Bernardus affirmat.

Fovent dissimulando.

3. Fovent aluntque dissimulando et connivendo, quasi non videant; relaxando, ac liberius interpretando, dispensando sine causa legitima, ubi nec maius bonum cernitur, nec maior Religionis subditive utilitas, quin immo ubi et bonum minus est, et maius Religionis subditique ipsius detrimentum. Quae quidem laxitas et licentia plurimum haud dubie damni affert, longeque ab illa summa cura et sollicitudine distat, qua filii Dei, ad perfectionis statum ab eo vocati, educari tractarique debent. Ex quo et illa S. Ephraem praeclara sententia, omni certe memoria dignissima: *Eum* inquit, *qui caeteris praeest, peritissimum esse convenit, et ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum; utque singulorum observet incessum, motum, gestum ac habitum, adhibita etiam debita earum rerum correctione, quae minus conveniunt, ut ad optimum ea statum formamque reducantur. Magistri enim, non solum elementorum figuras discipulis ostendunt, sed et minima quaeque puncta distinctionesque proponunt. Sic igitur oportet Praelatum nihil, quantumvis minimum, quod ad salutem pertineat, omittere, quin id Fratribus proponat.* Huc usque illius verba.

Serm. de vita spirit. num. 86.

Augent placendi studio.

4. Augent porro humano quodam metu, dum placendi studio errata, vel leviter tractant, vel penitus etiam tegunt et dissimulant. Idemque accidit, cum remedia opportuno tempore non admovent, quae postea scilicet, cum morbus invaluit, alieno tempore et parum considerate adhibere student: quando et lenia, quae iuvare suo tempore potuissent, inutilia iam facta sunt, et acriora sine gravi incommodo applicari nequeunt.

Exasperant acriori correctione.

5. Exasperant atque exacerbant, cum in ipsa correctione stomachum potius quemdam animique perturbationem, quam sincerum charitatis affectum commiserationemque prae se ferunt; cum acrioribus verbis rem exaggerant, iisque nonnumquam mordacibus et contumeliosis; cum acerbiora denique medicamenta ingerunt, quam aut morbi vis requirat, aut aegri conditio et natura patiatur. Quo ex fonte mala plurima dimanant. Ideoque S. Gregorius, ad Urbicum Abbatem scribens, ex intemperato et incondito eius agendi modo, dissolutam Monasterii regulam fuisse dicit. *Quod ex nulla,* inquit, *alia re evenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est; nec cum gravitate aliquid valet disponere, sed modo studet peccantibus leniter blandiri, modo inordinate et extra modum nimium irasci.*

Radices horum malorum in Superioribus hae videntur esse.

Ignorantia Superioris et oblivio muneris sui.

1. Ignorantia seu oblivio muneris et partium, quas ab eis exigit officium; quia minime cogitant se medicos, pastores et patres esse; quod non debeant, nec vero possint relaxare aut dispensare dissipando, sed in iis tantummodo, in quibus constat talem illius, qui Regulas et Ordinationes condidit, mentem fuisse. Quodque in omnibus rebus primas tenere oporteat, non arbitrium sensumque gubernantis,

sed exploratum ac certum iudicium, ad maiorem Dei gloriam fore id fieri, de quo agitur, quam omitti. Non recordantur, quod S. Basilius docet, infirmorum onera et infirmitates portare, ita demum intelligi, cum in iis curandis omnis fuerit adhibita diligentia. Non recogitant se patres esse, et patres non corporum, sed animarum; quique illius locum teneant, qui Pater spirituum, ut Apostolus loquitur, ad id semper nos dirigit, quod utile est ad recipiendam sanctificationem eius. Unde cavendum ipsis est diligenter, ne gubernationem suam politico sensu et ingenio dirigant, neve humanis respectibus, privata potius commoda finesque, quam divinam gloriam et subditorum perfectionem (quantumvis ipsi excusare se apud se, et malum hoc tegere studeant) spectantibus, sinant se duci. Obliviscuntur denique se non unius cuiuspiam aut duorum Superiores esse, sed omnium, qui ipsorum curae fideique commissi sunt. Quo fit, ut in iis cernantur interdum privatae in aliquos amicitiae ac necessitudines, quae offensionem in aliis subditis et diffidentiam aemulationemque pariant; tum suspiciones etiam, non prorsus vanas nec inanes, ne affectu aliquo infuscatae minusque sincerae sint informationes, quae ad mediatos Superiores transmittuntur.

Exigua cura interni cultus.

2. Negligentia, seu exigua cura rerum internarum; quia Superior, si curam spiritus, devotionis et intimae cum Deo coniunctionis studiose diligenterque complecteretur, rectum procul dubio erga se aliosque in omnibus ordinem teneret. Ideo enim hoc studium Constitutiones nostrae, tamquam primarium ac potissimum, in Superioribus requirunt. Et S. Bonaventura, hanc veluti sextam postremamque alam faciens, merito dixit, sine ea reliquas perfici non posse; cum per illam zelus iustitiae accendatur, pietas compassionis erga Fratres infundatur, patientia roboretur, exemplum bonum condiatur, discretio denique clarificetur. Quam ob rem necesse in primis videtur, ut et nos omnes in Superioribus deligendis in hoc Dei donum oculos intendamus; et qui ad id munus vocantur, donum hoc a Deo enixe petant, omnique studio prosequantur. Sed quam necessaria sit iis, qui praesunt, haec conditio, praeclara exstant et luculenta S. Basilii et S. Chrysostomi, utriusque Gregorii et S. Bernardi, omniumque, ut semel dicam, Sanctorum testimonia.

P. 4 c. 10 n. 5.
P. 9 c. 2 n. 1.

Horae considerationis perfunctoria obitio.

3. Omittere, aut perfunctorie et sine attentione obire praescriptam horam considerationis. Nec enim dubium esse potest, quin Superior, posita obligationis suae notitia, et bona ac recta cuiusque voluntate, communisque Societatis boni et subditorum auxilii desiderio, si vacuo atque attento animo ea considerare incipiat, quae in ea Ordinatione breviter indicantur, excitari se necessario sentiat, impellique ad exsecutionem. Veremurque non parum, ne ex huius capitis defectu complures alii suboriantur, qui per Collegia in dies conspiciuntur, et post multa monita, visitationes ac litteras Provincialium, eodem tamen in statu sine remedio semper haerent. Propterea eodem ipso, quo tum temporis usi sumus, ac maiore etiam studio et contentione Ordinationis illius curam observationemque commendamus.

In rebus externis occupatio.

4. Est et alia malorum radix longe perniciosissima, eoque periculosior,

quo minus vulgo noxia censeri solet; rerum scilicet externarum occupatio, in quam Superiores ferri, ut plurimum, ac variis nominibus supra modum effundi solent. Sunt enim qui, naturae quadam propensione ad distractiones proni, non solum oblatas occasiones cupide arripiunt, ut operam suam impendant, sed eas ipsimet ultro quaerunt, et nasci quodammodo ac succrescere faciunt. Alii ob rei familiaris inopiam, sic illis se totos tradunt, ut summa et praecipua subditorum cura in hoc uno sita esse videatur. Alii, per speciem proximos lucrifaciendi, multis sese visitationibus implicant, iisque, non modo non necessariis, sed parum etiam utilibus, atque in his ita versantur, ut a saecularium moribus parum abscedant; adeo ut, si rationes subducere velint, reperiant vesperi, cum sero Domum redeunt, se perexiguo fructu horas complures non levi damno, suorum commodis et consolationi disciplinaeque domesticae utilitati subtractas, consumpsisse. Alii, pia magis specie proximos per consueta ministeria iuvandi, erga devotulas aliquot operam suam ponentes, plus inde occupationis referunt, quam fructus; ut necessarium plane sit remedium huic malo efficax adhiberi, cum inordinatae huiusmodi occupationes, non solum tempus eripiant, sed mentem quoque obscurent, et cor ipsum indurent: quo fit, ut tacito sensu post aliquod temporis spatium homo nec opinans immutetur, longeque aliter affectum se deprehendat, quam suspicabatur. Hinc illa S. Gregorii (homilia 17) memorabilis et assidue expendenda sententia: *Curis*, inquit, *saecularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quae foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe curae terrenae a coelesti desiderio obdurescit animus; et dum ipso suo usu durus efficitur per actionem saeculi, ad ea emolliri non valet, quae pertinent ad charitatem Dei. Unde bene sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Cant. I, 5. *Vineae quippe nostrae actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi nostram vineam minime custodimus, quia, dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostrae negligimus.* Neque vero haec eo dicuntur, quod Superior, aut necessitati rerum temporalium prospicere non debeat, aut illi a ministeriis penitus abstinendum sit; sed quo et illa ordine, modo auxiliisque consentaneis procuret (qua de re apposite S. Bonaventura in ala quinta discretionis, in tertio gemmarum ordine), et haec ita tractet, ut, tantum ex illis sibi sumens, quantum ea, quae officii propria sunt, minime impediat; quidquid in eis temporis ponere potest, id in utilioribus rebus ponat, quae subditis simul exemplo sint, tum humilitatis tum zeli animarum. Quod scilicet tum usu venit, cum vilioribus et egentioribus personis operam navat, ubi constet maiorem inesse laborem et plus meriti, quam honorificae vel speciosae occupationis.

Ignoratio spiritualiter medendi.

5. Quinta est, artem nescire modumque curandi spirituales infirmitates; quia, cum praepostere initur curatio, sperari salus vix potest. Et, quoniam ex hoc fonte plurima incommoda nasci solent, ob eam rem statuta sunt quae de hoc capite supra diximus, quae quidem Provincialibus unice commendamus.

Impatientia in perferendo.

6. Sexta est, impatientia in per-

ferendis laboribus diuturnae curationis; quia tametsi malum saepe cognoscant, et medicinam ei facere incipiant; attamen, quia curatio haec, non unius aut alterius est hebdomadis, sed tempus longiusculum requirit, et infirmus reluctatur paritque fastidium, defessi tandem fractique succumbunt. Ex quo sequitur, ut, aut malum leviter tantum obducant, contentique sint externa quadam specie sine effectu verae ac solidae sanitatis, aut, taedio certe victi, cum Provinciali importunius agant, ut subditus ille alio amandetur. Quod quidem longe mali plus habet, quam prima forsitan fronte videatur. Translato etenim huc illucque infirmo, cum eius curam ex animo nullus amplectatur, mutenturque in dies et medicus et ratio curationis: fit, ut aeger ipse propemodum desperet, et, ab omnibus Superioribus aversus, in maximas angustias miser redigatur; eo quod, abiecto iam pristino erga Societatem affectu, ad eum modum vivere nequit, et Religione vicissim adeo gravem omnibus illum, ut Superior eum nullus habere velit, ac prope insanabilem reputante, quo res tandem emersura sit, facile est iudicare. Quapropter necesse est, ut magna cum charitate et longanimitate, illius quisque infirmi curam gerat, quem Dominus eius fidei commisit; statuatque se in eo rem divinae ipsius Maiestati gratissimam facere (a qua proinde sperare ac suis et aliorum precibus in hac curationis sollicitudine implorare opem debet, mercedemque amplissimam exspectare): nisi forte huiusmodi aliquando circumstantiae concurrant, vel ex parte Superioris immediate, vel ex loci occupationisve aut ipsius etiam infirmi conditione, ut discreta charitas Provinciali suadeat illum commodius et fructuosius alio potius in loco curandum esse.

Defectus boni exempli.

7. Septima et postrema, quod non det operam Superior, ut ipse aliis omnium virtutum exemplo praeluceat singularitatem declinando, et modum omnem procedendi, qui suspicionem praebere possit, ipsum imperio et gubernatione delectari; specimen dando humilitatis, religiosae paupertatis, charitatis, studii amorisque laborum, et, quod ad rem maxime facit, obedientiae erga suos Superiores, non voluntatis solum, verum etiam iudicii, optando ab eis dirigi, monitaque illorum ac reprehensiones humiliter et cum aedificatione, quando usu venit, suscipiendo; nec contra, aegre ferendo, curiosiusque, quis detulerit, observarit, scripserit, inquirendo. Et quia, quod de exemplo dictum est, summi prorsus est momenti, multa utique hoc loco dicenda forent; sed nobis satis fuerit S. Gregorii verbis 24 Moralium concludere. *Necesse est, ut is, qui praeest, quae exempla subditis praebeat solerter attendat; et tantis se sciat vivere, quantis praeest.* Subditque: *Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines vivendo praeire; ne, qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debeat, ipse committat. Hinc inde ergo se, qui praesunt, circumspiciant, ut sibi et subditis vivant, ut bonum, quod faciunt, et intra sinum mentis abscondant, et tamen ex eo ad profectum sequentium exempla rectae operationis impertiant.*

CAPUT II.

CIRCA EXSECUTIONEM.

In exsecutionem incumbendum.

1. Et quoniam omnis, ut dictum est, conatus, non in novis Ordinationibus condendis, sed in earum, quas habemus, exsecutione adhibendus est; necesse omnino fuerit in hanc prae omnibus serio ac diligenter incumbi. Prorsus enim docet experientia, et incommoda, quae inde nascuntur, liquido demonstrant, plus in hoc genere desiderari, quam aut bona tot Dei famulorum voluntas, aut prompta et simplex obedientia polliceri debere videantur. Id porro ex trium capitum aliquo nasci solet.

Exsecutionis defectus ex ignorantia Ordinationum. C. 6 d. 3C.

Primum, quod ignorentur interdum a Rectoribus nonnullae Ordinationes, aut earum certe minime recordentur. Qui enim eas nesciunt, aut memoria non retinent, nec in promptu habent quod praescriptum est, eos certum est Ordinationum praxim exigere non posse. Satis autem constat aliquos Superiores et Consultores suam nonnumquam ignorationem prodere, cum audiunt admonenturque, exstare de hac aut illa re talem Ordinationem.

Nimia facilitas et indulgentia.

2. Alterum est, nimia quaedam facilitas et indulgentia, quando, ut ante dictum est, parvi interesse putant, atque in manu sua esse arbitrantur, ut dispensent et habenas laxent, prout volunt; non aliter, quam si, quidquid conscio Rectore fit, idem continuo recte ac religiose fieri credendum sit. Qua nimirum opinione nulla Religioni perniciosior esse potest: quia non Regulas tantum, tot lacrymis et precibus a B. P. N. Ignatio exaratas, sed Ordinationes etiam ac Decreta, tot item consultationibus precibusque expressa, persuadere sibi deberent maioris esse momenti gravioribusque malis declinandis condita fuisse, quam ut ab unoquoque Rectore concipi et comprehendi statim possit. Quod si nondum id assequi penitusque cognoscere potuerunt, haec saltem opinio ac persuasio, quod in illis maius quoddam bonum insit, quam ipsimet intelligant, reverentiam illis atque auctoritatem conciliare deberet, ne tam leviter et pro arbitratu, perinde ac si res prorsus indifferentes essent, ab eis tractarentur. Hinc enim illa (quam S. Bonaventura describit) Religionum confusio, *quia pueriles mentes sibimet dimittuntur, sine fraeno retrahente a noxiis, et sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum aut ex nociva condescensione. Sicut imprudens medicus* etc.

De Instit. Novit. p. 2 c. 1.

Repugnantia subditorum in obediendo.

3. Tertium est difficultas, quae a subditis obiicitur. Superiores enim, dum eorum in obediendo repugnantiam cernunt, et quod post crebra monita ac poenitentias nondum, ut aliquid facerent, inflecti potuerint; partim ut altercationes devitent, partim quod emendationis spem nul-

C. 6 d. 37.

lam concipiant, nonnumquam etiam humano quodam respectu ducti, urgere amplius non audent. Res summi plane periculi errorisque plena: quoniam si ei, qui obliquas scribendo lineas ducat, regulam applicare non ausis, perspicuum est qualia tandem eius scripta futura sint. At in hoc genere tanto gravius est periculum, quanto certius est ex licentia libertateque agendi ut velis, habitum ingenerari, per quem difficilius in dies evadat, ex regula alienoque arbitrio vitam ducere.

Remedia.

Ordinationum frequens lectio, et hora considerationis.

1. Curent Provinciales, ut Superiores locales omnino habeant et legant Ordinationes, horamque considerationis observent quam accuratissime.

In visitatione, de exsecutione inquirant et Generalem doceant.

2. Cum visitant, de hoc capite nominatim inquirant, et ad nos singulis ex locis referant, ubi et qua in re peccetur; singulis item in locis coram Rectore eiusque Consultoribus Regulas et Ordinationes examinent, observando in quibus et quas ob causas erretur, et quaenam praescripta sint remedia.

Admonitor Provincialis id maxime curet.

3. Admonitor Provincialis, qui eiusdem Socius, ut plurimum, esse solet, hoc ipsum peculiari cura inspiciat, illumque de eadem re commonefaciat, atque ad nos quoque, quid fiat aut praetermittatur in hac parte, perscribat. Quod etiam iuxta Instructionem suam praestabunt uniuscuiusque Domus et Collegii Consultores.

Remissionis damna.

4. Faciant Provinciales, ut Superiores intelligant sibique omnino persuadeant eum, qui gubernat, sola ipsa remissione plurimum nocere. Itaque, non de iis solum, qui ea faciant, quae facere non debent; sed de his quoque, qui, quod facere debent, praetermittunt, dici non posse eos talentum habere gubernandi. Unde necessarium erit, ut Provinciales mature de iis nos moneant, qui in hoc genere delinquunt, ut mutari scilicet possint, et alii substitui, qui diligentius invigilent; quandoquidem Deo rationem recte reddere de mala eorum locorum gubernatione non poterimus, quae ab huiusmodi Superioribus ex sancta ipsius voluntate non gubernantur.

CAPUT III.

DE SPIRITU ET ORATIONE.

Potissima cura in oratione.

Ex operibus ipsis imperfectionibusque quotidianis facile apparet orationis internarumque rerum studium haudquaquam in omnibus tantum esse, quantum esse res ipsa postularet. Idemque nobis contingit, quod vasculo cuipiam accideret, quod, perangusti oris aditu modicam aquam accipiens, complures rimas haberet, quibus illa sensim efflueret. Quare praecipuam in hoc studio curam poni necesse est, quo-

niam et disciplina et ministeria, atque, ut uno verbo dicam, omnia nostra recte habebunt, si spiritu ambulemus.

Promovendae orationis media.

Ad promovendum autem, quoad conferre humana cooperatio potest, augendumque sanctum hoc studium opportuna in primis haec pauca videbantur.

Exhortationibus accendendi.

1. Primum, ut in exhortationibus seriis et cor ipsum petentibus ad id crebro incitentur.

Praefecti excitentur.

2. Excitentur identidem Praefecti rerum spiritualium.

Frequens usus exercitiorum spiritualium.

3. Frequententur exercitia spiritualia, ita ut revera intelligant omnes quantopere illis indigeant, quicumque Conditorem suum agnoscere, et in eius amorem ardentius inflammari desiderant. Et vero multis verbis minime opus est ad persuadendum, ut fenestram mane aperiat, qui lucem videre velit.

Exigenda ratio modi in orando.

4. Exigatur primo quoque tempore per Superiorem, aut certe per rerum spiritualium Praefectum, ab omnibus domesticis ratio, quam orando tenent, tum circa materiam, tum circa modum ipsum; in eoque instruantur, ut cum fructu peragatur.

Seriae exhortationes de examinanda conscientia.

5. Fiant per aliquot dies solidae circa examinandae conscientiae rationem exhortationes. Et quia non omnes forsan Rectores ex se habent, unde hoc praestare pro dignitate possint; operae pretium fuerit, si Provincialis, quibus locis opus esse iudicarit, nonnulla ad eos capita mature cogitata et expensa transmittat. Cureturque, ut singuli hebdomadis unius aut alterius spatio in hanc examinis curam diligenter incumbant, suos in eo defectus observando, de impedimentis cum Praefecto conferendo, rationesque exquirendo, quibus utiliter fructuoseque id facere possint. Commendetur impense usus examinis particularis, ut, si minus diverso, communi saltem utriusque examinis tempore peculiari cura exerceatur; in eumque finem publica et communis sit haec animi contentio; ita ut domi sciant omnes in eo nunc loco ab omnibus operam dari, ut sese in examinis usu et studio perficiant. Sic enim fiet, ut non fervor solum maior excitetur, sed maior etiam gratia et influxus per communes omnium preces a Domino impetretur.

Legantur litterae de renovatione spiritus.

6. Legatur attente et cum meditatione aliqua epistola nostra de spiritus renovatione.

Extraordinarium spatium dent lectioni.

7. Sumant singuli ad duarum hebdomadum spatium tempus aliquod extraordinarium, quod lectioni spirituali tribuant, pro sua cuiusque necessitate legendo ac meditando; in primisque de causis damnisque tepiditatis, de motivis ad Deo perfecte serviendum impellentibus, de iis demum, quae sibi impedimento esse sentiunt; caput aliquod Gersonis, seu de imitatione Christi, S. Bonaventurae, S. Bernardi et similium, prout vel superiorum temporum experientia, vel eius, qui dirigit, consilium edocebit.

Quaerendum de causis distractionis.

8. Interrogent unumquemque Superiores de causis suarum distractionum, occasionesque fortiter ac intrepide submoveant; gratum siquidem id illi esse debet, qui, cum propositum habeat ad perfectionem contendere, obices omnes removeri ex animo desiderat. Et Superior ipse regulam suam Constitutionemque servet, quam enixe studioseque commendamus.

Exhortationes de silentio.

9. Praemissa efficaci exhortatione de fructibus silentii, de damnis et periculis nimiae loquacitatis, de facilitate servandi in Societate silentii,

serio admoneantur omnes, ut regulam silentii, minime obscuram illam satisque manifestam, observent; imponanturque transgredientibus poenitentiae. Nec alienum fuerit, si iis, qui loquendo modum excedunt, hanc poenam iniunxerint, ut a communi recreatione abstineant, et tempus illud, ab aliis segregati, ponant in consideranda obligatione atque utilitate silentii; aut alias item usitatas poenitentias. Denique advigilent Superiores, ut vigeat prorsus huius regulae disciplina, quae multis in locis plus aequo, nec sine gravi iactura negligitur. Verendum enim nobis est, ne, qui plurimum colloqui et tractare inter nos et cum proximis solemus, minus absurdum paulatim iudicemus frangi apud nos violarique silentium. Ita ut, neglecto eius, tamquam rei, quae minimum offendat, studio, iaceat omnino regula, maneatque in solis libris exarata. Quod vero servandi silentii permagna sit in Societate facultas, ei facile constabit, qui, per tempora et occupationes orationum, examinum, studiorum, disputationum ministeriorumque cum proximo decurrens, animadvertet, excepto utriusque recreationis tempore, quod silentii tempus non est, perexiguum esse spatium, quod restat. Quo graviore utique censura et animadversione digna, maiorque linguae incontinentia ea videtur, quae, post tot occupationes et post stata recreationum intervalla, vel modicum abstinere nequit a verbis non necessariis.

Recreationes religiose obeantur.

10. Adhibeatur peculiaris diligentia, ut recreationes religiose traducantur, quod eo tempore, nisi recte transigatur, refrigescat spiritus plurimumque distrahatur. Advigiletur, ut non solum exterminentur obmurmurationes, sed explodantur etiam rerum novarum narrationes, libertasque et saecularitas indecora. Designentur idonei syndici, submittanturque secreto boni aliqui ac spirituales, qui sermones sanctos et religiosae recreationi convenientes inducant.

CAPUT IV.

DE OBEDIENTIA.

In obedientia perfici debemus.

QUARTUM, in quo perfici summo studio debemus, est obedientia. Cuius, etsi, quae divina est misericordia, non exigua virtus cernitur in Societate, cuius subditi tanta cum alacritate tot periculis navigationum tantisque locorum difficultatibus se committunt, et in missionibus, confessionibus, lectionibus aliisque Instituti nostri exercitiis magno animi ardore et contentione versantur; tamen, cum ea sit huius virtutis dignitas ac momentum, ut in eius absoluta perfectione praestantissimos B. Pater Noster esse voluerit homines Societatis, inficiari non possumus haud exiguum esse quod in multis desideretur. Quo igitur ad perfectionis huius apicem contendatur, suppleaturque quidquid uspiam deesse potest, haec visa sunt

Quae iuvare possunt.

suggerenda, atque, ut re ipsa in usum veniant, sedulo commendanda.

Aliquot diebus legenda Epistola B. P. N. Ignatii.

1. Ut singuli dierum aliquot spatio Epistolam B. Patris Nostri de obedientia attente legant, meditenturque capita, excerpendo quae in ea sane insignia et plurima occurrent, tum de virtutis huius dignitate ac praestantia, tum de eiusdem necessitate, gradibus et perfectione, de impedimentis, motivis et caeteris. Veniatque in mentem quod a S. Basilio in Reg. brev., interrog. 166 dictum est. Cum quaesiisset: *Quo animi affectu par illi sit obedire, qui ad mandati exsecutionem sollicitet urgeatve? Non minore*, inquit, *quam quo parvulus, vehementer esuriens, vocanti se ad pastum nutrici obtemperat; cum alio in loco Dominus dicat: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, Patris.*

Io. IV, 34.

Opus est animi robore.

2. Hoc persuasum habeant omnes, animi robore ac virtute opus esse, ut ipsi nos vincamus in rebus arduis: crebras autem contradictiones, procurationes caeterosque conatus, qui nonnumquam interponuntur, magnam imperfectionem denotare, proculque ab ea simplicitate, promptitudine, alacritate reliquisque conditionibus abesse, quas virtus haec requirit, et quas Constitutiones nostrae baculi cadaverisque exemplo declarant: non quo interdicatur id, quod eadem Constitutio et Epistola permittunt, ut Superiori proponatur; ita nimirum, ut, praemissa oratione et cum indifferentia, quae ibidem praescribitur, eo denique modo id fiat, ut vere nihil aliud sit, quam repraesentare, hoc est, ob oculos Superioris ponere, totam ei curam rei expositae relinquendo; sed quoniam alter ille agendi modus, quem diximus, non est exponere, sed vi quadam extorquere, voluntati suae obsequi, occultisque cuniculis peragere, ut id demum fiat, quod ipse velit.

P. 6 c. 1 n. 1.

Superiores suaviter et fortiter subditos regant.

3. Superiores, suavi ac paterna imperandi ratione utentes, liberum et legitimum ad orationem recurrendi tempus subditis concedant; leniant ipsi difficultates, et in circumstantiis aliquibus condescendant. Quod ad rem vero ipsam, fortiter adnitantur, ut subditi se ipsos vincant, fiatque id omnino, quod ad maiorem Dei gloriam inferiorumque bonum conducit.

Intercessiones moderandae.

4. Si quando vulgares personae intercedant, quae privata potius benevolentia humanoque instinctu moveantur, quam quod ad eos haec cura pertineat, reiici a Superioribus debent, suaviterque moneri ad ipsos non spectare, ut sese in talia ingerant. Quod si graves sint personae, ut Consultores aliive alicuius nominis Patres, benigne illos audiant: deinde vero, si animadvertant levioris esse momenti, quod proponunt, hortentur, ut obedientiam ipsi potius promoveant, animum iis addendo, pro quibus intercedunt. Ubi autem saepius repugnando modum egrederentur, aut interponerentur etiam externi, tum diserte doceant sibi hoc ipso constringi manus, ne assentiri possint.

Quid si duriorem se praebeat subditus.

5. Si subditus, ut fieri nonnumquam solet, duriorem se hac vel illa ex causa praebeat, ita ut, solam verbi *Nolo* vocem vitando, rem ipsam praestare videatur; constantes nihilominus fixosque manere Superiores oportet, illumque ad orationem et indifferentiam, quam regula iubet, hortari. Admoneant praeterea, repugnando diutiusque renitendo, graviter peccari; nec exspectari in Societate praecepta debere, ubi satis esse

debeat signum ipsum indicatae voluntatis; ut sibi persuadeant, se, postquam se ipsos vicerint, tanto laetiores fore, tum ob quietem conscientiae, tum ob fructum ipsum, quem magno cum merito ex victoria capturi sunt.

Non reformidandi recursus.

6. Non reformident immediati Superiores subditi recursum ad mediatos, nec propterea omittant obedientiam urgere; quin hunc potius exspectent, quia mediati erit omnia, quae ipsi egerint, confirmare, subditumque ad obedientiam inducere.

Causae inobedientiae investigandae.

7. Serio moneantur Nostri, ut causas, unde obediendi difficultas nascitur, investigent: reperientque non in una solum obedientia peccari; sed, quoniam haec, ut prompta sit, alias etiam virtutes supponit, altius infixum haerere illarum defectum intelligent. Verbi gratia, si quid praecipitur, quod ab existimatione vel honore proprio alienum sit, difficultas obediendi oritur ex superbia. Hic igitur admovendum examen, hic meditationes et remedia applicanda sunt, considerando, quam inanis res ea sit, praesertim in homine religioso, qui sui contemptum seque mundo crucifixum esse profiteatur. Si opus aliquod imponitur vel officium, a quo ipsi abhorreamus, ex immortificata natura promanat; sin contra deferendum est officium, ad quod propensiores eramus, ex eodem ipso inordinato ad officium illud aut personam affectu proficiscitur. Si terret operis difficultas, fortitudinis est defectus; eodemque modo in similibus. Humiliemur itaque, et, ad anteriora virili animo connitentes, gloriosam de nobis ipsis victoriam reportemus.

Superioribus cohibendi ii defectus.

8. Intelligant Superiores se, cum suorum in hac parte defectus non cohibent, plurimum damni adferre, tum subditis ipsis, tum etiam Societati. In illis siquidem minuitur virtus et meritum obedientiae, minusque in dies apti et minus tractabiles efficiuntur: non aliter quam equis meticulosis accidere solet, qui, nisi stimulis incitentur, gravius semper ex omni re concutiuntur, et longius retrocedunt. Societati vero difficilior sensim redditur gubernatio, divinique obsequii cursus magnopere retardatur. Sublata enim ex Societate obediendi promptitudine, quum praecepti, ut dictum est, poenarumque usus, eo quod signum ipsum satis esse debeat, ordinarius non sit; in promptu nimirum est, quis tandem rerum nostrarum status futurus sit, animo prospicere.

Unde fit minus suavis obedientia.

9. Intelligant porro subditi ex tot eiusmodi contradictionibus, intercessionibus, difficultatibus futurum, ut et minus suavis sit obedientia, et Superiores vicissim id praestare nequeant, quod, de Praeposito Generali agens, B. Pater Noster VIII parte Constitutionum cap. 1, lit. G ab illis exigit: ut subditorum scilicet arbitrio aliquid relinquant, eis compatiantur, et ex parte etiam nonnihil aliquando indulgeant, cum videretur id posse magis convenire: quoniam haec in subditis pariter supponunt obedientiam, ut plurimum, in caeteris rebus promptam, humilem, integram, caecam, qualem denique ab eo descriptam videmus. Cum iis enim, qui sic obedire consueverunt, potest et debet Superior in nonnullis indulgere, quippe qui hoc tum sine ullo vel subditi vel gubernationis suae detrimento facturus sit. Cum iis vero, qui aliter se gerunt, aliterque fere semper affecti sunt, locum non habet illa B. Patris Nostri admonitio; quandoquidem id magis, sicut ipse ait, convenire

non potest, nec perpetuo item praestari hoc debet: quoniam id aliud non esset, quam subditorum inobedientiam alere, eorumque infirmitatem confovere. Faciliora autem evadent omnia, si excitetur animus, ut in Superiore DEUM agnoscat, nec certa quadam prudentiae lege, qua una ad obediendum duci videmur, eo quod rem ita fieri debere iudicemus, usquequaque moveatur; sed illum in iis etiam agnoscat, quae ab hacce humana prudentia dissentire et discrepare quodammodo videantur. Quam ad rem conferre haud dubie plurimum possent praecipui nonnulli ex antiquioribus maiorisque existimationis Patribus, si hanc de se fiduciam Superioribus praeberent, ut extraordinaria nonnumquam in ipsis earum rerum exempla edere possint, quae humana hac prudentia niti minime videantur, et in quibus DEUS ipse in Superiore agnoscatur. Ideo enim ad ista nos B. Pater Noster confirmabat, tum doctrina, dum cocum ipsum instrueret, ut ipso etiam loquendi modo huius rei nos quodammodo commonefaciat; tum exemplo, ubi res tulit, magnae interdum virtutis, Patres vel ipse redarguens, vel publicas illis reprehensiones ac poenitentias imponi iubens; quod Ignatius, ut Ignatius, nulla prorsus ratione committendum censuisset. At extremum, ut caput hoc concludam, meminerint Superiores debere se facem, sicut dictum est, aliis praeferre et exemplo illis praeire, quemadmodum a B. Patre Nostro praescribitur quarta parte, cap. 10, § 8, eodemque modo qui primas in Societate tenent, ut est in parte octava, capite primo, § 3.

CAPUT V.

DE CASTITATE.

Qualis Societatis puritas.

CUM ea, quae huic virtuti adversantur, honori divino, Societatis existimationi, proximorum auxilio tantopere adversentur; satis fore videbatur, si in mentem revocaremus, quod in principio sextae partis a B. Patre Nostro dictum est, enitendum nobis esse angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia. Sed quia necesse est quibusdam adiumentis et damna praevertere, quae suboriri possunt, et bonum Religionis nostrae odorem conservare, ne unius cuiuspiam labes in universum corpus redundet; e re etiam futurum visum est, si nonnulla breviter commoneremus.

1. Lapsus istos in bene constituta Religione, qualis per DEI gratiam est Societas, si quando contingant, non posse nisi ex magna quadam negligentia, longique temporis laxitate proficisci. Quod quidem manifeste constat ex Novitiis: hi enim, si pravos saeculi habitus intueamur, acriores haud dubie illos habent et minus mortificatos; si virtutem eiusque firmitatem, minus solidam minusque confirmatam; si virtutum exercitia

Causae huiusmodi lapsus.

aut sensuum mortificationem, multis partibus breviorem; si noxias rerum species, magis vividas et magis impressas; si usum orationis et communicationis cum Deo, longe difficiliorem. Quare nihil est, quod non persuadeat, illos ad lapsum proniores et magis expositos esse. Et tamen novo suo fervore, sensuum custodia, tentationum manifestatione, occasionumque absentia, divina gratia iuvante, in magna puritate conservantur. Ex quo intelligere est caeteros, qui diutius in hac schola versati sunt, quique frequentiori orationis, mortificationis, poenitentiarum, sacramentorum aliorumque exercitiorum usu solidiores facti sunt, nisi omnem sui curam abiicere velint, posse Dei ope nixos, non solum immunes ab omni graviori labe servari, sed in dies magis in omni puritate ac sanctimonia proficere.

Praesidia ad puritatem conservandam.

2. Magna esse ad hunc finem, si recte illis uti noverimus, in Societate praesidia: ut sacramentorum frequentationem, rationem conscientiae, quae Superiori reddenda est, errorum ac defectuum per eos, qui extra confessionem illos acceperint, manifestationem, assiduam socii praesentiam, orationem mentalem, duplex examen, frequentem librorum spiritualium lectionem, otii fugam, studiorum laborem, sobrietatem, et poenitentias, modestiae castitatisque in aliis, quibuscum vivimus, exemplum, Superiorum vigilantiam, casuum reservationem, tot denique Regulas ad hunc eumdem scopum tendentes; ut permirum sit hominem, qui tam multis praesidiis septus sit, labi, nisi sensim pervertatur, et his omnibus auxiliis se ipse destituat, alia penitus omittendo, alia perfunctorie et sine fructu usurpando. Quo certe admoneri ac permoveri quisque debet, ut ad seipsum animaeque suae statum cognitionem referat, memoria repetens quod a S. Bernardo dictum est, neminem repente fieri turpissimum; et naves submersas complures fuisse, dum in eas aquam sensim defluere sinunt, nec laborant, ut quam primum exhauriatur.

Tria Superioribus providenda.

3. A Superioribus tria sunt diligentissime providenda:

Ut subditi spirituales sint.

1. Ut subditi spirituales revera sint, procedantque cum omni sinceritate et desiderio perfectionis, atque ut auxiliis, quae diximus, rite fructuoseque utantur. Excubare sedulo in uniuscuiusque curam debent, ita ut, simul ac detrimentum aliquod iacturamque aut remissionem spiritus animadvertunt, mature succurrant, nec differant quousque mala crescant et corroborentur.

Occasiones amputandae.

2. Amputent occasiones, quantumvis aegre laturum subditum sentiant, quasi vel parum ipsi fidatur, vel nota aliqua inuri videatur; quandoquidem, qui malis occurrit, et exacta Regularum Ordinationumque praxi suos periculis removet, nullam iustam suspicionis causam praebet, sed cautela utitur necessaria. Et, quamvis nullum subesset periculum (et vero superbus adeo nullus esse debet, ut se omni tempore, atque in omni occasione securum arbitretur; cum S. Petrus, post iteratum saepius parati ad mortem animi propositum, post tam multa constantiae promissa, quin immo post animi et fortitudinis suae experimenta, cum in tot armatorum conspectu manum ferro admovere non dubitaret, ad vilis mulierculae vocem adeo gravi foedoque casu prolapsus sit), attamen vel oblocutionum cau-

sas praecidisse permagnum est, atque, ut hoc etiam deesset, ipsa nihilominus disciplinae observatio per se laudabilis est, Religioni decora atque honorifica, et meriti apud Deum singularis. Dispiciant ergo Superiores quemadmodum cum proximis tractetur; feminarum visitationes et prolixa colloquia fortiter, iuxta Instructionem, circumcidantur, praesertim ubi levitas aliqua iocique cernerentur. Ingrediantur prorsus cum illis socii, semoto quovis respectu, serveturque ad unguem Ordinatio nostra circa regulam 18 Sacerdotum. Nec praetereundum hoc loco videtur, quod S. Gregorius, talia reprehendens, ad Ioannem subdiaconum scribit de Constantino monacho: *Cognovi quia ad Monasterium, quod in Piceni provincia situm est, solus pergere sine aliquo Fratrum suorum praesumpsit: ex qua eius actione cognoscimus, quia, qui sine teste ambulat, recte non vivat.*

Lib. 10 Ep. 22.

Schedulae et munuscula caveantur.

Schedulae et munuscula, clanculum data vel accepta, diligentissime caveantur; familiaritas tenuiorum et ignobilium feminarum, ut quae suspicioni ac periculo magis expositae sunt, procul omnibus modis habeatur. Earum cura et patrocinium ad temporalia subsidia conquirenda, nec suscipi, nisi magno delectu et cautione, permittatur, nec tractari sine peculiari cum Superiore communicatione, atque ita dumtaxat, ut nec incommoda inde ulla, nec sinistrae suspiciones nasci possint.

Minus spirituales ut iuvandi. *Instr. 8 n. 3, 4.*

Erga Coadiutores, qui in villis degunt, servetur exacte Ordinatio. Erga eos, qui minus spirituales sunt et distractionibus magis obnoxii, peculiare sit studium, ne periculis obiiciantur; quia, etsi nullam de castitate sua sinistram suspicionem praebeant, huiusmodi tamen homines occurrentibus occasionibus, quae plerumque non desunt, tuti parum sunt magnaque tum ipsis tum Religioni fit iniuria, cum, velut oceano parva quaedam cymba, male tuta exponitur. Tales ergo parum solidi ad speciosa concionum, lectionum et alia id genus munia non promoveantur, quae opinionem famamque conciliant, et charos externis illos faciunt. Hinc enim adiguntur saepenumero Superiores, ut de illis vel circa locum vel circa occupationes ea statuant, quae nec Societati nec subditis ipsis expediant. Quod si tandem accidat, quod hominibus spiritu vacuis evenire saepe solet, ut aut sua sponte abeant, aut merito suo dimittantur e Societate, gravius inde fit scandalum, alienanturque quam plurimi, nec capere possunt, qua ratione homines, qui tanto cum applausu in eiusmodi rebus occupabantur, talem in statum redigi potuerint, nisi occultae quaedam persecutiones et graves iniuriae intervenissent, quae miseros et afflictos ad extrema consilia impulerint: aut si a Societate ipsa dimissi fuerint, quod durissimum censeri non debeat, tam utile membrum, et de quo Religio ipsa tam illustria magnae in eo fiduciae ac satisfactionis argumenta dabat, illico amputari.

Levia non praetereantur.

3. Si quid usquam accidet, quamvis id leve sit, quod minus rectum videatur, non praetermittant officium Superiores, ut commonefaciant, corrigant et remedium statim admoveant; alioqui deterius paulatim fit malum, et tempore ingravescit.

Confessarii Nostrorum monendi.

Doceantur Confessarii, ne ex pia quadam opinione, quam habent de Nostris, venialia omnia aut levia atque extra periculum esse ducant; sed,

considerantes quonam tandem res istae, quae parvae videntur, evadere, quoque exitu terminari possint, nimis liberas conscientias exstimulent, ruinas et praecipitia, in quae ferri imprudentes possunt, ostendant: hoc unum esse quod daemon technis suis fraudibusque moliatur. Dent operam, ut pestiferas quasdam et nimis laxas opiniones penitus evellant, hoc illudve non esse mortale, magni momenti non esse, necessarium non esse ut distincte confitendo explicetur. Meminerint denique, sic terram paulatim alluvione consumi, et cuiusmodi puritas in Societate requiratur, ut omni cura invigilent, et mala praevertant.

CAPUT VI.

DE DIFFICULTATE IN GRADIBUS ACCEPTANDIS.

Graduum difficultas.

Hoc unum est, quod ad Societatis pacem unionemque conservandam permagnam inter alia vim habet. Et quamquam per Pontificum declarationes sublatae fuerint difficultates non paucae, minime tamen obscurum est humanam naturam se ipsam semper quaerere, multosque, ex eorum etiam numero, quos virtutis disciplinaeque in caeteris amantes esse constat, magnas easque graves in hac graduum materia pugnas ac molestias experiri. Caeterum sperare in Domini bonitate vocationisque gratia debemus, divinam maiestatem, quae B. Patri Nostro hanc graduum distinctionem, Societati usque adeo necessariam, inspiravit, obices etiam et impedimenta, quae incurrunt, magis in dies magisque submoturam. Sed advigilandum nobis est adnitendumque, ut per exactam Ordinationum eo spectantium observationem Constitutiones ipsas in usum perducamus. Quam ad rem facient, quae sequuntur.

Servanda pro gradibus.

Servetur decretum 50 Congr. 5 n. 1.

1. Servetur accurate quod ex decreto quintae Congregationis ad regulam 15 et 57 Magistri Novitiorum adiectum est: ut aperte explicetur iis, qui ingrediuntur etc.

Servanda quae circa studia praescripta sunt.

2. Serventur Ordinationes hac de re constitutae circa genus tempusque studiorum, varia examina suis temporibus instituenda, perscribendum ad nos iudicium, etc.

Quae circa tempus proponendi.

3. Ordinationes itidem circa tempus, quo proponi nobis debent qui ad Coadiutorum gradum promovendi sunt, ut praefixum spatium quam minimum prorogetur.

Quid cum minus probatae virtutis.

4. Erga eos, qui virtute sua parum se probant Societati, mature quod ad illorum studia et circumspecte agendum est ita, ut aliis occupationibus nonnumquam interrumpantur, tum ut ipsi ex parte animum ab eis abducant magisque in spiritu proficiant, tum ut hoc modo probentur, ostendantque quantum in obedientia processerint, ac praesertim in hac circa studia et circa liberam

sui ipsorum dispositionem resignatione; differantur certe, ut sensim perspiciatur, quomodo se gerant; nam, absolutis postea studiis, si recte illis successerint, insignesque adeo, quod interdum accidit, doctrina evaserint, obrepunt indidem tentationes, cum sibi ob scientiam et talenta quemlibet gradum deberi existimant, aegreque adduci possunt, praesertim post aliquot annorum curricula, ut agnoscant defectum virtutum satisfactionisque in ipsis tantum esse, quantus revera est, et hunc unum promotioni suae obsistere atque officere merito debere. Ob hanc causam, quando eorum studia differuntur, aperte simul de imperfectionibus suis moneri debent: sic enim, aut eos paulatim corrigent, aut causam certe suam Societas aequiorem reddet; nec poterunt illi, quod subinde solent, causari, se laudabiliter et cum approbatione semper vixisse, eo quod de suis defectibus moniti numquam fuerint, nec propter illos mortificati.

Ut exercendi, qui ad professionem minus idonei.

5. Non alantur in certa quadam spe assequendae professionis, qui ob ingenii aut virtutis vel utriusque inopiam ad hunc postea gradum per Constitutiones provehi non possunt. Multoque minus in speciosis ac plausibilibus muniis exercendi erunt, ex quibus ubi famam apud imperitos et eos, quibus noti non sunt, aliquam collegerint, hac vulgi postea opinione abuti solent, non modo ut testimonium id opponant Societati, verum etiam ut semetipsos ipsi decipiant, iudicium vulgi amplectentes, et de se sibi, supra quam res habeat, mira persuadentes.

De gradu Coadiutorum non abiecte loquendum.

6. Nullo modo ferant Superiores, ut de Coadiutorum gradu abiecte quisquam loquatur aut sentiat, praecipue ex Professis; sed illos arguant, mortificent et instruant, docentes quo ex spiritu talia procedant: et charitatem, obedientiam fructumque proximorum, ea demum esse, quae non solum apud Deum meritum, sed in Religione etiam benevolentiam apud Superiores existimationemque concilient. Hos esse Operarios, qui, tamquam membra revera utilia et tali corpore digna, in Societate pluris fieri magisque foveri debeant. *C. 21 d. 24.*

Coadiutores Patres praeficiendi Collegiis. *P. 4 c. 10 n. 8. P. 6 c. 2 n. 3.*

7. Quandoquidem Constitutiones ex hoc Coadiutorum ordine Rectores, ut plurimum, deligi volunt, peculiari studio in eos intendant Provinciales, quos idoneos ad id munus animadvertent; quoniam hos in primis libentiusque prae caeteris admittemus.

Humilitas necessaria ad gradus.

8. Quaecumque ad spiritum humilitatemque faciunt, eadem omnia ad graduum etiam facilitatem conducent: ex huius siquidem defectu, et humana quadam aestimatione, externaque in paucis quibusdam specie omnes hae molestiae et anxietates promanant.

Antiquiores ut disponendi pro gradu.

9. Speramus in posterum ob varias Ordinationes accuratioremque aliarum Constitutionum praxim leviores ac pauciores fore difficultates. Praecipuus nunc labor in antiquioribus erit, qui studia peregerunt, et de se ipsis praeclare quidem sentiunt, sed longo intervallo, seu doctrinam seu talenta spectes, ad eam formam accedunt, quam describunt Constitutiones. Verum et hic quoque in vocationis gratia confidendum est fore, ut difficultates omnes facile profligentur, si, quam possumus, diligentiam adferamus. Quare, si repugnabunt, suaviter primum instruendi sunt, quanta maturitate, secretis informationibus, multorum prudentium

iudicio, accuratisque examinibus de ipsis actum decretumque in consultationibus fuerit. Inculcanda est promissio, quam Societati pacti sunt, gradum, quicumque designatus foret, acceptandi; quae quidem, ut aliud nihil esset, tale certe pactum continet cum Societate, cum subscribit aliquis se legisse, intellexisse etc., velleque quidquid inibi continetur observare, ut sine illo, hoc est, nisi ab eo iniretur, Religionis aditu penitus excluderetur. Ex quo liquet eos, qui post huiusmodi pactum multosque post annos fidem ac promissa sua non servant, graviter omnino peccare, et iniuste agere adversus Societatem; multoque nunc magis, accedente insuper quintae Congregationis declaratione, quae promissionem hanc votum esse declaravit. Et commiseratione sane dignum est multisque lacrymis deplorandum, quod nonnulli aliquando in hoc genere responderunt, se quidem promisisse, sed iuxta Constitutiones intellexisse iuxta quas idonei sibi ad professionem esse videantur. Atqui iudicium hoc, nemo est, qui, nisi caecus plane sit, non videat ad ipsos minime spectare; sed Religionis arbitrio singula permitti, cuius est de cuiusque talentis iudicare etc.

C. 5 d. 5.

Ad Spiritualia Exercitia cohortandi.

Iuverit eosdem ad Exercitia Spiritualia cohortari, ut melius perspiciant quam vim habent obligatio et vinculum, quo se Deo obstrinxerunt, ut ei reddant quod promiserunt. Scandalum illis ob oculos ponere, quod caeteris praebent. Denique monendi in unoquoque nominatim erimus de personae circumstantiis, causisque quas adfert, de eius dispositione etc.

Sincerae informationes instituendae.

10. Conferet, ad extremum, si Provinciales et Consultores de uniuscuiusque promotione, tum privatim tum publice, non ex compassione quadam et gratificandi desiderio loquantur aut censeant, sed iuxta interrogationum responsa et iuxta formulam Constitutionum ac Decretorum. Nec complacendi studio prae se ferat quisquam se in contraria sententia fuisse, et hunc illumve altius provehi posse, dotesque aliorum opinione maiores habere, aut condescendendum seu indulgendum quidpiam esse; quoniam huiusmodi omnia deliberationes plurimum labefactant, dissensiones excitant animorumque aversiones. Sed satis habeant singuli ex formula et Instructione, quod in Domino sentiunt, qua secreti cura decet, ad praepositum Generalem perscribere. Meminerint hanc graduum distinctionem non in libris solum exstare scriptam debere, sed re ipsa ad Societatem conservandam, Operariorumque numerum amplificandum necessariam prorsus esse; B. Patrem Nostrum Spiritus Sancti ductu sic eam instituisse, ideo et retinendum eius usum esse, et pervincendas, quae in diem incidunt, difficultates: cum per Dei misericordiam non desint in eo gradu complures, qui, non solum exemplo suo ac virtute Societatem aedificant, sed eamdem per ministeria fructumque erga proximos cum magna in Domino laude illam adiuvant et sustentant. Romae, ultimo Iulii, 1598.

INSTRUCTIONES

AD PROVINCIALES ET SUPERIORES SOCIETATIS

AUCTORITATE CONGREGATIONIS VII UT DIRECTIONES TANTUM SEORSIM IMPRESSAE. *C. 7 d. 81.*

SUPERIORIBUS SOCIETATIS.

CONTRACTIS paucis e multis Instructionibus, tam a P. N. Claudio piae mem., quam a Patribus in VII Congregatione deputatis, conscriptis, reductisque in librum Ordinationum quae vim legis habeant in posterum; quae reliquae erant intactas censuit VII Congregatio retinendas esse, ac *C. 7 d. 80, 81.* seorsim imprimendas ad Superiorum directionem, quibus non parum in sua gubernatione iuvarentur, quales sunt industriae et alia id genus, tum ob multiplicem rerum pulcherrimarum varietatem, ex quarum lectione non exiguus fructus speratur, tum ob memoriam tanti viri tamque de universa Societate bene meriti, a quo sapientissime prodierunt. Faxit divina bonitas rectam hanc vivendi iuxta Institutum viam sequamur omnes.

Romae, 2 Februarii 1616.

BERNARDUS DE ANGELIS,
Secretarius Societatis IESU.

INSTRUCTIO I.

Ex Deput. habita in Congr. 5.

AD RENOVATIONEM SPIRITUS.

De promovendis ad sacros Ordines. *P. 4 c. 6, C.*

1. Quamvis ex Constitutionibus nostri Scholastici ad Sacerdotium ordinarie circa finem studiorum promovendi esse videantur; quia tamen Sacerdotes fieri non expedit eos, qui non bene in spiritu profecerint (cum post Sacerdotium longe difficilius, si opus fuerit, a Societate dimittantur), cavendum est omnino, ne deinceps, qui in spiritu et religiosis virtutibus non bene profecerunt, aut in vocatione stabiles et firmi non sunt, ad Sacerdotium promoveantur, etiamsi suae bonae existimationis iacturam, nisi ordinentur, obiiciant. Quare servanda diligenter est a Provincialibus Instructio de ordinandis data anno 1576, et in consultationibus, quae de promovendis ad Ordines fiunt, quae in ea Instructione praescribuntur, diligenter examinentur; et illud praecipue accurate discutiatur, quod ad profectum spiritualem promovendorum attinet; moneanturque a Provincialibus Consultores, ut ad Praepositum Generalem scribant, utrum haec Ordinatio exacte servetur.

C. 7 d. 80 n. 1.

Ord. Gen. c. 7.

Quando loco mutandi, et quomodo. *C. 7 d. 80 n. 2.*

2. Quoniam loci mutatio plerumque morum mutationem non facit, ideo, qui in aliquo Collegio male se gerit, non mittatur, si fieri potest, ad aliud, nisi prius iuvetur ubi deliquit, etiamsi spes aliqua sit ex ea mutatione eum, qui mutatur, profecturum. Si quando tamen Superiori videbitur aliquem alio amandandum, mittatur etiam integra et prudens instructio de moribus eius, qui mittitur, ad Superiorem eius loci, ad quem is a Provinciali destinatur, ut hac ratione melius regi et in Domino iuvari possit.

Instr. de spiritu ad Sup. c. 1, § Radices n. 6. Reg. 117 Prov.

De viatico etc. pro iter agentibus.

3. Nostris iter agentibus, ut de necessario viatico debita cum charitate est providendum, ita nulla ratione permittendum est, ut pecunia illis detur ad superflua coemenda, et quae religiosae paupertati minime congruunt, ut sunt curiosa et pretiosa; et multo minus, ut ab externis seu consanguineis cum aedificationis iactura conquiratur.

Interdicitur superfluus rerum usus.

4. Ut paupertatis puritas et perfectio diligentius a Nostris acquiratur, vigilandum a Superioribus est, ne quid in Societatem introducatur, quod vel huic paupertatis perfectioni adversetur, vel proprietatem aliquam sapiat. Quare, ut abusus superfluarum commoditatum, si quis est, penitus tollatur, curent diligenter Superiores, ut omni necessitati, habita ratione personarum, debita cum charitatis significatione provideatur. Ex quo, praeter multa alia, illud in primis sequetur commodum, ut ea ratione facilius superflua, et quae proprietatis speciem habent, tolli possint. Qua in re antiquiores et graviores Patres, et Superiores etiam ipsi omnibus praelucere debent exemplo.

Abusus

5. Tollendus videtur ille abusus,

vestium in cubiculis.

ut alias ordinatum est, ne scilicet in Nostrorum cubiculis duplices vestes habeantur; sed apud vestium custodem, ut est communis Societatis consuetudo, serventur, quod etiam de aliis rebus, quae in usu non sunt, qualia sunt instrumenta quaedam ad iter agendum et his similia, intelligendum est.

C. 7 d. 80 n. 3.

Nihil a cognatis vel amicis accipiendum pro lectionibus scribendis.

6. Etsi regula 90 Provincialis cavetur, ne quidquam Nostri a cognatis vel amicis accipiant; quia tamen videmus paulatim non levem abusum in hoc irrepsisse, cum Nostri, praesertim Scholastici, non raro ob describendas ab externis scriptoribus lectiones, cum eas ipsi ob infirmam valetudinem scribere non possunt, pecuniam conquirant; qua occasione in alios etiam usus non necessarios saepe, conniventibus immediatis Superioribus, illam expendunt; ut in posterum omnis talium rerum occasio praecidatur, nulla ratione permittant Superiores pecuniam a quopiam e Nostris ad tales vel similes usus conquiri vel accipi. Quod si quis iudicio Superioris, qui necessitatem intueri debet, indigeat lectionum descriptione, id fiat pecuniis Collegii, in quo ille habitat. Quam ob causam Provincialis curet aliquam pecuniae summam illi Collegio applicare, ne his expensis extraordinariis nimium gravetur.

Quomodo Superiores indigentibus prospiciant.

Curiosa et pretiosa interdicuntur.

7. Nulla ratione permittatur, ut Nostri apud se habeant et secum ferant quaedam, quae pauperibus, quales nos sumus, minime conveniunt: ut sunt horologia rotata, et affabre facta; reliquiaria valde curiosa et pretiosa; imagines item multi valoris, et similia.

C. 22 d. 24.

Abusus proprius librorum.

8. Ne paupertatis sanctae custodia, quae plurimum cordi nobis esse debet, ulla ex parte violetur; tollatur abusus ille, qui apud aliquos, ut audimus, irrepsit, qui, rei deformitatem forte non attendentes, in libris, quos de Superiorum licentia apud se habent (qui tamen pauci esse debent et certi quidam), inscribunt: *Ad usum talis* etc.; qui loquendi vel inscribendi modus, vel prorsus inutilis est, vel, si aliquid efficiat, ut scilicet Superiores de huiusmodi libris minus libere disponant, paupertatis perfectioni et puritati aperte repugnat; cum non tantum in rerum dominio, sed in illarum usu etiam paupertas plerumque laedi possit. In iis igitur libris, qui communiter a Superioribus cuicumque conceduntur, et asportari communiter solent (ut sunt Constitutiones, vel illarum Summarium, Ioannes Gerson, vel similis aliquis pius libellus, officium B. Virginis, et Sacerdotibus breviarium, diurnum, nonnullis etiam Bibliorum exemplar, et summula aliqua casuum, et his similes), nihil inscribendum est. Reliquis vero libris, qui alicui conceduntur a Superioribus, vel permittitur ut eos emi curet (quos tamen in unum vel aliud Collegium asportare non licet), inscribendum tantum est nomen ipsius Collegii vel Domus, cui sunt applicati.

Quinam permittendi.

INSTRUCTIO II.

Ex Deput. habita in Congr. 5.

PRO CONCIONATORIBUS SOCIETATIS.

In virtutibus bene fundentur.

1. Cum Concionatorum munus tanti momenti sit, et ex praecipuis, quae Societas ad proximorum salutem procurandam exercet; diligenter a Superioribus curandum est, ut, qui ad hoc munus talentum a Domino acceperunt, bene ab ipso etiam studiorum tempore in hunc finem instituantur, ut possint suo tempore illud bene ad Dei gloriam et proximorum salutem fructuose exercere. Quare, si qui perspicientur huiusmodi esse, in humilitate et caeteris virtutibus bene fundentur, quo tutius id muneris exsequi suo tempore possint. Nulla ratione autem sinantur concionibus aliorum describendis tempus terere.

Quomodo formandi.

2. Quoniam vero Scholastici nostri in domesticis concionibus frequenter exercentur, non solum ob varias utilitates, sed etiam ut huic muneri publice et ad populum suo tempore praestando assuescant; in privatis concionibus, quae in refectorio haberi solent, non tantum ea, quae ad religiosos proprie spectant, tractari poterunt; sed interdum etiam illa, quae ad populi aedificationem facere censentur, nimirum: si christianae virtutes, ut eleemosyna, charitas in proximum, et similia proponantur; vitia item, ut ambitio, avaritia, ira et alia huiusmodi vituperentur. Haec autem ita explicari poterunt, ut non quasi ad Religiosos tantum, sed veluti ad populum etiam et ad saeculares homines sermo dirigeretur.

In argumento tractando, a Praefecto docendi sunt.

3. Ad Praefectum concionum pertinebit thema seu argumentum iis, qui concionaturi sunt, designare, ac pro eorum captu unum, aut alterum, aut plures etiam auctores, qui illud argumentum bene tractarunt, assignare, ut ex eorum lectione illi materiam eliciant, ex qua suam postea concionem iuxta cuiusque propriam inventionem componant; ac denique viam illis aperiat, prout necesse cuique fore perspexerit, ad bene disserendum de argumento, quod tractandum assumunt. Conveniet etiam iis, qui concionaturi sunt, tempus aliquod concedi iuxta Superioris arbitrium, in quo commode parare se possint; quod, ut multum esse non debet, ne nimium a studiis distrahantur, ita modicum esse non expedit, ne imparati ad concionandum accedant. Quare propter varias occupationes, quibus Scholastici distinentur, a quibus propter concionem eximi non debent, biduo saltem ante monendi erunt. *C. 7 d. 80 n. 6.*

Quomodo exercendi.

4. Ad hunc finem, in praecipuo praesertim Provinciae Seminario, bene exercitatus e Nostris aliquis concionator Praefectus concionum constituendus est; qui et exemplo suo, et pro cura hac sibi demandata, Nostros diligentius exerceat, praecipue vero tertio et quarto anno Theologiae: et

post singulas conciones libere et amanter eosdem privatim (re prius, si videbitur, collata cum Superiore, aut, huius iudicio, cum aliis Patribus) moneat, in quo defecerint quoad vocem, gestus et alias boni concionatoris partes; idque illi in proxima concione emendare studeant, iudiciumque Praefecti de emendatione facta, aut non facta, iterum intelligant, donec bonum habitum induant. Commendabit vero condemnabitque, tum Superior tum Praefectus, quae commendatione aut condemnatione digna videbuntur. Alii vero, ad quos hoc non pertinet, minime permittantur, nec facile et immodice eos laudare, nec libere carpere.

De tonis cum fructu faciendis.

5. Ut toni cum fructu iuxta ipsorum finem fiant, praeficiendus illis omnino erit, qui in concionandi ratione eos, qui tonos faciunt, bene et prudenter instruere possit; idque suaviter ipse praestabit, antequam e suggestu illi abeant, commendando quoque subinde quae oportet. Utilitas vero e tonis maior speratur, si quadrante horae circiter ii praemoneantur, qui eos facturi sunt, themate illis assignato.

C. 7 d. 80 n. 7.

Ab affectata imitatione arcendi.

6. Non est existimandum ad eumdem concionandi modum, vel unius celebris concionatoris imitationem Nostros adigendos esse, vel adigi etiam posse; communia vero documenta ad proprium, quem quisque a natura habet, concionandi modum et facultatem accommodanda sunt, cum varia sit hominum conditio. Monendi igitur omnes sunt, qui ad hoc munus instituuntur, ne alios in voce et gestu imitari studeant, quando id, quod imitantur, quamvis bonum sit, natura consequi non possunt.

Vacent Sacrae Scripturae et legendis Patribus, saltem per biennium

7. Qui concionandi talentum habuerint, si post absoluta studia scholastica duos annos ad ea repetenda iuxta regulam 52 Provincialis posuerint, post tertium annum probationis, antequam concionandi munus suscipiant, privato studio Sacrae Scripturae, et legendis Patribus, ac sanctae meditationi saltem per annum vacent. At vero qui biennium ad repetenda studia non habuerint, per duos annos iis rebus incumbant. Unde illud etiam commodum sequetur, quod tantopere aliorum concionibus describendis non inhiabunt.

Quales esse oporteat.

8. Ut nostri Concionatores fructuosius suum munus exsequantur, meminerint regulae 2 Concionatorum, et diligenter curent, ut in ipsis vigeat zelus animarum, charitas, orationis studium et devotio. Immo vero Exercitia Spiritualia, subinde ab illis ultro et libenter repetita, plurimum ad haec omnia proderunt. Caveant similiter ab iis, quae et Concionatores plurimum distrahunt, et eorum studia impediunt, et spiritum ac devotionem minuunt, ut sunt: nimiae familiaritates cum externis, eorumdem visitationes, donaria, praesertim a feminis, facile admissa, et his similia.

A quibus cavendum.

Extra domos ne concionentur, qui cibis quadragesimalibus etc. *Ord. Gen. c. 1. n. 15.*

9. Quoniam vero Nostri ad concionandum in Quadragesima extra Collegium interdum mittuntur, et accidere nonnumquam potest, ut ii, qui mittuntur, ob infirmam vel imbecillam valetudinem cibis quadragesimalibus vesci non possint; ideo ad maiorem proximorum aedificationem melius fore iudicavimus, ne huiusmodi Concionatores in posterum extra nostras Domos in Quadragesima concionaturi mittantur. Cum iis vero, qui in Domibus nostris concionantur, nemo in hoc dispenset,

inconsulto Provinciali, qui in huiusmodi dispensatione necessitatis et maioris divini obsequii rationem habebit. In victu vero et vestitu ea lautitia, illae item singularitates et exemptiones, quibus alii merito offenduntur, Concionatoribus minime concedantur.

Eorumdem frugalitas.

10. Qui talenta ad concionandum ostendunt, praesertim rariora, non diutius, quam par est, in docendi munere, tam Humaniores Litteras, quam Philosophiam et Theologiam, detineantur; ne, si secus fiat, quando in iis studiis pene consenuerint, tunc demum ad concionandum accedant.

Quamdiu docebunt. *C. 7 d. 80 n. 9.*

INSTRUCTIO III.

PRO CONFESSARIIS SOCIETATIS.

Ex Deput. habita in Congr. 5.

Maturitas in moribus etc. *C. 7 d. 80 n. 11.*

1. PRINCIPIO quod habetur in regula Provincialis 100 de maturitate Confessariorum, id in primis curandum, ut multo maior ratio maturitatis habeatur in spiritu, moribus et aedificatione; alioqui aetas, quae conciliare etiam solet auctoritatem, non multum proderit. Prima ergo cura ponatur circa promotionem ad Sacerdotium iuxta ea, quae dicuntur § 1 ex Deputatione pro renovatione spiritus. Cavendum vero, ne spe futurae emendationis adhibeatur hoc medium promotionis ad illos in spiritu iuvandos, nisi aliunde constet emendatio. Ad haec, quod praescriptum fuit anno 1590, § 6, de biennio exspectando recens ordinatis, ita servetur, ut et illo tempore, et etiam post illud, antequam ad mulierum confessiones exponantur, occupentur virorum confessionibus audiendis, tum ut maioribus laboribus assuescant, et fructuosius ac latius occupentur, tum ut experiatur Societas ecquid in hoc ministerio valeant, tum demum ut hoc modo maturiores fiant, nec imparati accedant.

De promotione ad sacerdotium.

Instr. 1.

Non nisi post biennium ad mulierum confessiones exponantur. *Ord. Gen. c. 1. n. 8.*

2. Regula 15 Sacerdotum omnino ita servetur, ut ad crates mulieres audiantur, etiam in summa frequentia, neque excusationes admittantur, etiamsi sint puellulae.

Ad crates mulieres audiendae. *C. 7 d. 80 n. 12.*

3. Et quoniam plurima habet incommoda, si in confessionali longa protrahantur colloquia, omnino regula 17 Sacerdotum exacte servetur, ne de rebus ad confessionem non pertinentibus eo loco loquantur. Quod si contingat de aliis rebus ad consolationem vel utilitatem illarum esse loquendum, id non flexis genibus in confessionali, sed stando vel sedendo breviter et modeste, demissis oculis, ut regula dicit, fieri debet. Quare operae pretium erit nonnulla loca patentia et decentia in aliqua templi parte pro ratione regionis assignare, ad quae feminae accedant, ut Nostros alloquantur: sic enim fiet, ut et colloquia brevius finiantur, et minus frequenter accedant, cum pateat sermones illos non esse confessionem; et non offendantur alii, dum existimant confessiones earum, quae frequenter confitentur, adeo in lon-

De non protrahendis colloquiis in confessionali.

Extra Confessionem patenti loco colloquantur. *C. 7 d. 80 n. 13.*

gum protrahi, et ut omnis occasio praecidatur. Si poenitentes praetendant scrupulos, instruant illas Confessarii, ne historias narrent, et inutilia repetant; et interdum etiam ipsi sermonem abrumpant. Nam, si vere scrupuli sunt, ubi id illis certo constet, nihil opus erit longas orationes audire. Quod si agatur de meditationibus et Spiritualibus Exercitiis, fiat id potius per spirituales libellos Granatae, et aliorum, quos apud se legant. Et, si in aliquo casu particulari aliter faciendum esset, id non fiat nisi consulto Superiore.

Quid cum de scrupulis et Spiritualibus Exercitiis agitur.

De generaliter audiendis.

4. Servetur etiam regula 21 Sacerdotum. Curetur etiam, ne confessiones generales excipiantur earum, quae semel generaliter alicui confessae fuerant, nisi id exigeret manifesta necessitas Sacramenti ob confessiones invalidas. Quod tamen in huiusmodi raro admodum probabile est posse contingere.

Syndici.

5. Constituantur syndici, non modo Aeditui et aliqui ex sociis, sed nonnulli proximi Sacerdotes, qui observent, et Superiorem moneant, tam de prolixis confessionibus, quam de colloquiis, quae extra confessionem protraherentur.

Mane confessae non audiantur a prandio.

6. Quae matutino tempore sunt confessae, vel sequenti die mane confiteri debent, non permittantur a prandio accedere praetextu confessionis; sed si accesserint, Confessarii reiiciant in diem crastinum, si sunt communicaturae; et si illo ipso die, quo accedunt, communicaverint, differant ad diem sequentis confessionis.

De socio secum retinendo.

7. Circa regulam 18 Sacerdotum, de retinendo secum socio, omnino exacte servandam invigilent Superiores diligenter, et, acceptis his nostris, convocent omnes Sacerdotes, illisque, tum alia, quae ad eos spectant, tum praecipue litteras nostras legant, quas de hac re 15 Iulii anno 1585 ad Superiores dedimus. Iis vero, qui suas regulas 15, 16, 17 et 18 non servaverint, monitiones seriae, et poenitentiae prima vice iniungantur; et quamvis nobis non placuerit universim praeceptum imponere obedientiae, ut id servent, tamen alicui particulari, qui eo freno indigebit, poterit ac etiam debebit Superior id imponere. Quod si id non servare fuerint deprehensi, removeantur statim a confessione feminarum, et nos moneamur, ut dispiciamus, an tales in Societate retinendi sint, utpote qui in re gravi, periculosa et tam severe iniuncta parere noluerint. Quod si locus, ubi infirmae iacent, ita angustus sit, ut per loci dispositionem fieri non possit ut socius Patris adsit; cum primum Domum redierint, Superiorem moneant, ut is consideret, an secundo illuc redeundum sit, vel potius (in quod magis inclinamus) ea cura propriis Parochis relinquenda. Quod ut melius omnino servetur, iniungitur Superioribus omnibus, ut in publicis exhortationibus moneant omnes, quod, quamvis nulla sit peculiaris regula, quae socios moneat, ut ipsi Superiori significent, cum redierint, an Sacerdos regulam servaverit; tamen et ex nonnullis regulis aliis, et ex nostra hac peculiari Ordinatione socii et Fratres omnes tenentur Superiorem ea de re vere et sincere monere: quod si non fecerint, intelligant, nec suae conscientiae, nec Societatis bono se satisfacturos, et Superiores in eos, tamquam in inobedientes, esse animadversuros. Sacerdotes vero, etiamsi maxime socii extra remanere vellent, nulla ratione

Monendi.

Etiam removendi a confessione feminarum.

Quando locus infirmae angustus est.

Publice socii docendi de hac regula.

id permittere debent; tum ne illi otiosa colloquia cum aliis misceant, tum ne ipsi sint sine teste.

De communionis frequentia.

8. Circa communionis frequentiam optandum est, ut servetur regula 26 Sacerdotum, ne crebrius, quam octavo quoque die etc. Sed quoniam in nonnullis civitatibus, ubi passim maior est communionis frequentia, et cum nonnullis personis, quae ab aliquo tempore frequentius in hebdomada communicant, vix fieri poterit; saltem illud retineatur, ut in futurum nec Confessariis, nec Rectoribus liceat dispensare, nisi tantum Provinciali, ut bis in hebdomada fieri possit. Cum iis vero, qui consuetudinem habent frequentius communicandi, curetur quod suavius fieri possit. Illud tamen non dubium est, si Confessarii serio sibi persuadeant, id maiori proximorum utilitati, Societatis bono et aedificationi convenire, fore, ut cum utrisque feliciter omnia transigantur.

De mulieribus invisendis.

9. Et quoniam magna iactura temporis et fructus spiritualis in ministeriis, certe plus quam oportet, mos inolevit visitandi et salutandi, omnino necessarium duximus ad meliorem regulae illius observationem, quae de non invisendis mulieribus agit (est autem 72 Praepositi, et 70 Rectoris), aliquid certius statuere. Et sane extra casum necessitatis (qui esset, verbi gratia, in aliqua infirmitate, aut luctu, aut morte aliquorum, pii alicuius negotii et huiusmodi), raro admodum spes ista magni fructus evenire potest. Quia tamen modus agendi Societatis, accepta beneficia, et declinatio rusticitatis cuiusdam non permittunt, ut haec officia Nostris omnibus interdicantur, moderatione aliqua opus erit. Hanc nos commodissimam hoc quidem tempore arbitrati sumus, ut habeatur ratio, tum personarum, quae invisuntur, tum Nostrorum, qui invisunt. Itaque tria concurrere debent, ut aliqua digna existimetur, quae a Nostris officii causa invisatur.

Tria requisita ad invisendum.

Primum, ut sit persona nobilis et primaria; neque enim omnibus devotis cuiuscumque gradus id officii par est praestare, cum satis possint in nostris ecclesiis, et confessionibus et piis colloquiis, et iuvari et instrui. Secundo, ut sit bene merita non vulgariter de Societate. Tertio, ut in domo illa marito, cognatis vel huiusmodi id officii gratum potius quam odiosum esse credatur.

Personae designentur.

Caeterum, ne in designatione huiusmodi personarum errari contingat, volumus, cum Provincialis visitat singula Collegia, auditis Consultoribus, designet eas, quibus sine offensione, praeter circumstantias iam dictas, id negari non debeat; caeteras omnes huiusmodi visitationes superfluas prohibeat. Nostri autem, qui id facere possunt, videntur eligendi quam paucissimi, nimirum Superior, qui quasi publico nomine pro Collegio id exhibeat (ita tamen, ut valde moderate et circumspecte id faciat, ut aliis exemplo praeluceat), et Confessarius, cum quo tamquam patre spirituali personae, quae visitandae sunt, confidenter agere possint, qui si prohiberetur, maxime offenderentur. Caeteri vero, si quando expediat ut aliquis mittatur, non ipsis petentibus, sed Superiore suo nomine eos mittente, si fuerint viri serii, graves et spirituales, poterunt interdum id praestare.

De iis omnibus Generalis monendus.

10. Provinciales autem in visitationibus diligenter inquirant, quomodo haec omnia serventur, et nos exacte moneant. Curent etiam, quod

aliquando quibusdam litteris universalibus commendavimus, ut occasione missionum Confessarii interdum mutentur, ne angustus sit fructus, si perpetuo cum nonnullis devotulis occupentur.

Ad hoc munus affecti sint.

11. Curandum, ut nostri Confessarii iuxta regulam Sacerdotum 8 multum afficiantur ad hoc munus, ut proximis pernecessarium et nostri Instituti valde proprium; praecipue vero invigilandum, ne sint minus affecti minusque prompti erga homines pauperes aut vulgares. Quod si hos refugere deprehenderint Praefectus ecclesiae vel Aeditui, omnino Superiori significandum erit, ut Confessarium officii serio monere possit.

Praesertim erga pauperes.

Eorumdem munus et spiritus.

12. Curandum item diligenter, ne numero potius poenitentium quam fructu eorum spirituali gaudeant; magisque solliciti sint, ut ad veram contritionem poenitentes promoveantur, vitia emendent, in via spirituali dirigantur et promoveantur. Ac, quoniam in hac parte notabilis remissio ex spiritus ac zeli in Confessariis defectu advertitur, de hoc resuscitando elaborandum est; nec alia media efficaciora videntur, quam orationis, meditationis ac mortificationis studium, otii declinatio, moderata et ex spiritu Societatis ordinata cum externis conversatio, de spiritualibus rebus et modo iuvandi animas cum domesticis colloquutio, Regularum omnium, earum praesertim, quae de feminarum confessionibus praescribunt, ut superius dictum est, exacta observatio.

Abusus tollendi.

Quare tollendi sedulo, qui sequuntur, abusus, sicubi exsistant: plures horas dare pauculis feminis, ut aliis ad confitendum locus non sit; alias confiteri volentes arcere, ne filiae propriae spirituales (ut vocari consueverunt) exspectare cogantur.

Designentur in templo statis diebus.

13. Sicubi non est introductum, valde cupimus, ut introducatur quod Romae et alibi fit, si accurrentium frequentia id postulet: ut scilicet designati Sacerdotes statis diebus certis horis in templo resideant, ut, qui confiteri volunt, ad manum habeant Confessarium.

De formula absolvendi a censuris etc.

14. Quaesierunt nonnulli, qua formula utendum esset Nostris in absolutione ab excommunicatione et aliis censuris, cum decima regula Sacerdotum omnibus eamdem praescribat. Respondimus, in foro quidem conscientiae, quod frequens est, utendum formulis, quae habentur in directorio P. Polanci piae mem. Sed in foro exteriori, quod rarissime eveniet, si ex delegatione Praelatorum aliquando contingat, sequantur formulam in eo episcopatu receptam.

Ad otium in parvis Collegiis vitandum. *C. 18 d. 22 n. 8.*

15. Ad otium autem vitandum, et occurrendum quorumdam Nostrorum querimoniis, dicentium in parvis aliquibus Collegiis non satis esse occupationum, quamvis nihil opus sit statuere aut ordinare, cum ex Regulis et Constitutionibus et formula Instituti satis constet non deesse plurima, in quibus iuxta gratiam nostrae vocationis occupari debeamus; tamen, ut id Superiores quasi compendium prae oculis habeant, non erit inutile, si quae nobis a Provincia romana anno 1590 proposita fuere, quorumque copia iam fuit transmissa; inspiciant; ut subditi iuxta Superiorum arbitrium et voluntatem, habita locorum, temporum et personarum ratione, in iis exerceantur.

Instr. 4.

INSTRUCTIO IV.

AD OCCUPATIONES VARIAS,

IN QUIBUS SACERDOTES OPERARII SOCIETATIS
CUM FRUCTU EXERCERI ET TEMPUS UTILITER COLLOCARE POSSUNT,
A CONGREGATIONE PROVINCIAE ROMANAE A. MDXC PROPOSITAS,
ET A R. P. N. CLAUDIO AQUAVIVA, PRAEPOSITO GENERALI, APPROBATAS.

Occupationum tria capita.

OMNES occupationes, quae in Collegiis Societatis, vel iam sunt vel introduci possunt, ad tria capita reducuntur: primo ad spiritum, secundo ad studia, tertio ad proximos.

Pro spiritu, orationis assiduitas etc.

1. Quoad spiritum, in primis opportuna erit oratio et meditatio extra illam horam assignatam a regula, prout cuique devotio suggesserit, et quantum per charitatis et obedientiae occupationes licuerit, dummodo semper Confessarius vel Superior consulatur. Oratio enim, non solum faciet, ut bene et sancte insumatur illud tempus, sed etiam expellet alia via otium, quia impellet ad agendum et quaerendos ultro proximos, quos iuvemus. Atque in hoc capite, non solum comprehenditur oratio ipsa, sed etiam lectio librorum spiritualium, et omnes eiusmodi spirituales mentis exercitationes in Deum.

In studiis, praesertim casuum conscientiae, occupatio. C. 18 d. 22 n. 8.

2. Quoad studia, bonum est, ut nostri Sacerdotes paulo magis delectentur studiis, tum ad otium vitandum, tum propter utilitates, quae consequuntur. Et ideo non est res restringenda ad unum tantum genus, sed possunt se exercere in pluribus. Primo et praecipue in casibus conscientiae; deinde in Scriptura Sacra et Sanctis Patribus; aliquando etiam legere historias ecclesiasticas et vitas Sanctorum. In quo etiam iuverit, ut melius servire possint quae leguntur, conficere sibi compendium, non modo casuum, sed etiam selectorum exemplorum, quae deinde sint usui inter agendum cum proximis. Confert etiam plurimum, si saepe legant et prae manibus habeant librum Exercitiorum Spiritualium, Directorium P. Polanci, et Methodum iuvandi morientes. Sed tamen videndum est, ne occupentur in quibusdam studiis inutilibus, ex quibus, vel nullus est fructus, vel quae non sunt proportionata illorum capacitati, quia sic amittitur tempus. Iuvabit etiam, ut sit maior copia librorum varii generis in Collegiis. In particulari, quoad casus conscientiae, fiant conferentiae exacte et diligenter de rebus utilibus et practicis, et praevideantur materiae, quia, si fiant, ut debent, bis in hebdomada et hoc modo, quo diximus, erit haec inter alia satis bona et utilis occupatio.

Zelus cum proximis.

3. Quoad tertium, de proximis, vix potest deesse occasio, si quis velit, et habeat zelum. Quare hoc praecipue procurandum, ut Nostri concipiant et foveant hunc zelum ita proprium nostri Instituti. Modi autem et occasiones iuvandi proximos mul-

Modi iuvandi proximos.

tae sunt, et fere in omnibus locis sunt: ut docere doctrinam christianam, tradere Exercitia, et quaerere et inducere homines ad ea peragenda (cum prudentia tamen), visitare hospitalia et carceres, quaerere eleemosynas pro iis, qui sunt in carcere et xenodochiis, pacificare inimicitias, facere conciones vel exhortationes in iisdem locis, reducere eos, qui sunt in malo statu, iuvare Confraternitates, ubi sunt, iuxta nostrum Institutum, et ubi non sunt introducere, adire scholas externorum, et in eis, consentientibus ludimagistris, aliquas exhortationes habere, iuventutem ad confessionem allicere, quamvis melius sit curare, ut ipsi magistri per se hoc faciant, visitare infirmos ad eos consolandos et spiritualiter iuvandos, qua ratione iuvantur etiam propinqui, qui adsunt, et fiunt amici, et facile adduci possunt ad frequentanda sacramenta. Pro hoc etiam confert, cum proximi veniunt ad nostrum templum, libenter eos admittere et audire in confessione, etiamsi cum aliquo nostro incommodo: et cum occurrunt nobis in viis, invitare eos qualibet occasione vel levis amicitiae, tum etiam parentes discipulorum nostrorum conciliare Societati. Iuvabit etiam facere interdum conferentias de modo iuvandi proximos, verbi gratia, infirmos, vel qui modus tenendus sit in pacificandis discordibus, aut in confessione quid remedii dari possit huic vel illi peccato. Praeterea possunt fieri missiones ad loca vicina per duos aut tres dies hebdomadae, ita ut redeant et adsint die dominico. Iuvabit etiam, quod fit erga proximos, non facere casu, sed scienter et cum consideratione, animo repetendo quomodo auditae sint confessiones, in particulari huius vel illius; quomodo remedium positum sit huic vel illi, qui indigebat; item, quo affectu, quo zelo, qua patientia. Denique curandum esset, ut in omnibus locis, ubi residet Societas, hoc intelligeretur, Societatis professionem hanc esse, ut praesto semper sit ad proximos; neque illi gratius quicquam esse posse, quam ad hoc adhiberi omni hora, in omnibus rebus consentaneis nostro Instituto. Hoc enim faceret, ut omnes ad nos libenter concurrerent.

Conferentia de modo iuvandi.

Observanda a Superioribus.

4. Sunt etiam quaedam observanda a Superioribus: et primo, ut ipsi quoque, et quidem omnium maxime, ferveant zelo animarum, et eum prae se ferant, et saepe animent suos, atque ipsis factis ostendant id sibi cordi esse, fovendo et promovendo profectus proximi, et praebendo auxilium, quod possunt, et inter alia facile dando socium, quando petitur. Praeterea ipsi quoque pro parte sua faciant quod possunt, eundo interdum ad hospitalia et ad moribundos; at, si non eunt saepius, constet non ire propter occupationes sui officii. Praeterea non faciant ipsi quoque omnia per se, et praesertim nobiliores actiones, sed dividant eas cum suis. At cum aliquis se excusat, quod non possit vel non habeat talentum, non facile admittant, sed animent, quia Deus concurrit et adiuvat. Tollant alias occupationes minus utiles, et quae tempus praeripiunt, animosque ab utilioribus, necessariis Institutoque magis propriis avocant, cuiusmodi sunt: excursiones, visitationes, confabulationes cum externis, vel etiam cum Nostris. Curent, ut in omnibus Collegiis sit unus saltem doctus, quia ille exercebit reliquos; et faciant ut in Collegiis semper vigeant aliquae

bonae exercitationes. Denique Superiores ipsi curent, non solum ut cum suis consultent de modo fugiendi otii, et quaenam bonae et aptae exercitationes introduci possint; sed etiam invigilent, ut his Nostri occupentur. Ipsi enim, cum melius norint statum et conditionem illius civitatis et loci, in quo sunt, facilius poterunt invenire, in quibus possint occupari.

INSTRUCTIO V.

DE NOTITIA HABITA PER CONFESSIONEM.

NE NOSTRI, VEL SUPERIORES, VEL ALII EA UTANTUR, ETIAMSI USUS ALIOQUI LICITUS FORET.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, tradita anno 1590.

Citantur a Domino Soto lib. de Ratione secreti m. 8, q. 4. et a Navar. c. Sacerdos de poenit d. 8. num. 114 et seqq.

Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, salvo sacramentalis confessionis sigillo, iustis de causis licere nonnumquam Confessario (cum id fieri potest sine ulla revelatae confessionis suspicione) uti extra confessionem notitia per confessionem habita; tamen, quoniam haec doctrina, et eam exigit in tanta re circumspectionem, quam servare perdifficile sit, et interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas et nostrae Societatis Institutum requirunt in se ipsis rebusque suis Confessario aperiendis: idcirco visum nobis est in Domino statuere, sicut et severe statuimus, pro reverentia, qua semper Societas nostra coluit huius sacramenti inviolabile sigillum et libertatem, ut omnes Superiores diligenter caveant, ne vel ipsi vel Nostrorum aliquis supra dictam doctrinam usquam introducant, nec illam publice aut privatim doceant, nec ea utantur ullo modo (nisi forte de poenitentis licentia); sed ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in confessione nihil penitus audivissent; sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.

Interdicitur huiusmodi doctrina etc. *Ord. Gen. c. 3. n. 14.*

INSTRUCTIO VI.

Ex Deput. habita in Congr. 5.

PRO NOVITIIS SOCIETATIS.

Delectus in admittendo.

1. QUONIAM prima boni status Societatis origo in admittendis iis consistit, qui nostro Instituto congruunt; ideo Superiores, ad quos admittendi munus spectat, in admittendo non sint nimii, sed delectum personarum habeant; nec Nostrorum vel aliorum importunitate moveri se sinant; nec bona externa vel Nostrorum affinitatem, sed potius ad nostrum Institutum aptitudinem in admittendis sequantur.

In ineptis dimittendis.

2. Postquam vero in Societatem admissi fuerint, curent Provinciales, ut patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curent; ac porro in dimissionis negotio Magistri Novitiorum iudicium magni faciant, nec se in dimittendo difficiles exhibeant, cum id Novitiorum Magister, causis adhibitis, proponet. Neque enim necesse est de cuiusque Novitii dimissione inire consultationem, neque exspectandae sunt graves culpae, ob quas Novitius dimittatur.

Quando Exercitia Spiritualia facienda.

3. Commendent etiam Provinciales Novitiorum Magistris, ut Exercitia Spiritualia iuxta eorum regulas 23, 24 et 28 ab iis, qui Societatem ingrediuntur, fiant: et intelligant moderationem illam, quam regula interdum concedit, non debere esse ordinariam, neque crebro usurpandam; sed si quando hoc experimentum ob iustas rationes distulerint, non diu differant, cum haec Exercitia primum et praecipuum locum inter experimenta sibi vindicent. Reliqua vero experimenta, praesertim doctrinae christianae, hospitalium et peregrinationis, exacte fieri curent, ut in eorum Regulis praecipitur.

Quales Coadiutores temporales admittendi.

4. In admittendis vero temporalibus Coadiutoribus, circa eorum qualitates et numerum servent diligenter Provinciales quae praescribuntur in Constitutionibus parte prima, cap. 2, § 2, et A. Animadvertant praeterea magnam cautionem adhibendam esse in iis ad hunc gradum admittendis, qui aliquem in litteris progressum fecerint, vel qui milites fuerint, vel qui speciem nobilitatis vel consanguineos nobiles habeant, vel dominis saecularibus in delicatis ministeriis inservierint. Praeterea non esse admittendos homines plane rudes et disciplinae incapaces; cum ad ministeria Societatis melius obeunda, et ad res spirituales percipiendas, bonae capacitatis eos esse oporteat; cuiusmodi esse solent, qui legere et scribere norunt, vel artificium aliquod habent. Postquam autem admissi fuerint, inculcent saepius et diserte (quod et antea in eorum admissione factum supponitur) eorum vocationem esse sublevare suis corporalibus laboribus eos, qui in vinea Domini in aliis functionibus occupati laborant. Circa eos vero, praesertim dum

De quibus instruendi.

in Novitiatu sunt, diligens opera Magistri exercenda est, ut instituantur in externa et religiosa politia, in modestia et modo decenti agendi, praesertim cum externis, et similibus.

Quando e Novitiatu educendi. *C. 7 d. 80 n. 15.*

5. Ut Scholastici e Novitiatu educendi non sunt, nisi biennium absolverint, ita nulla ratione Coadiutores temporales e Novitiatu extrahendi sunt, nisi per annum integrum in eo fuerint et bene satisfecerint. In Collegiis vero, donec biennium absolverint, aliquem quasi Magistrum in exercitationibus spiritualibus habeant; et cum ad vota simplicia sunt admittendi, saltem per mensem ad Novitiatum revocentur, si commode fieri poterit, et non obstet loci distantia: alioqui in eodem loco, ubi sunt, per idem tempus se colligant et ad vota praeparent. Nullo autem modo permittant Provinciales, ut ante finitum biennium in publicis Aeditui, Ianitoris, et similibus officiis, in quibus cum externis agitur, exponantur.

Cum vota facturi.

In publicis officiis ne occupentur.

Eorum bona usque ad finem biennii serventur.

6. Curent etiam, ut eorum bona, qui in Societatem ingrediuntur, integra, ut ipsi attulerunt, ad finem biennii serventur, si servari tamen possunt: ne, illis divenditis aut consumptis, eorum dimissio, si necessaria fuerit, difficilior reddatur. Neque toto hoc tempore quicquam exigatur in usum Collegii vel Domus Societatis ab eorum tutoribus aut parentibus, quamdiu non sunt Scholastici approbati; ut cum maiori libertate in Domino possint iuvari et corrigi, cum oportuerit.

De quibus monendi cum ad Collegia mittuntur.

7. Cum vero e Novitiatu Scholastici educuntur, ut ad studia mittantur, praemonendi sunt a Novitiorum Magistro, non mitti eos ad laxiorem vitam, sed ut per studia fiant aptiora instrumenta ad Dei gloriam et salutem proximorum procurandam; ac proinde ita debere studiis invigilare, ut spiritus minime refrigescat.

INSTRUCTIO VII.

Ex Deput. habita in Congr. 5.

PRO SCHOLASTICIS SOCIETATIS.

Sollicita et studiosa Scholasticorum educatio. *Ord. Gen. c. 13. Instr. 17.*

1. Bona Scholasticorum Societatis educatio magni momenti semper visa est, cum ex iis postea tum Professi tum etiam Operarii proficiscantur. Designandi sunt igitur illis, non solum ii Superiores, qui eos in via Domini et religiosa perfectione probe instruant; sed boni etiam Confessarii et Praefecti rerum spiritualium, qui suo munere bene et exacte fungantur. Quin etiam eos Praeceptores ut habeant curandum est, qui non solum doctrinae studiis eos excolant, sed bono etiam exemplo ad virtutem incitent.

Ne cum externis occupentur.

2. Vigilent itaque Superiores, ne assuescant Scholastici nimis colloqui cum externis aut amicis, et cum illis familiaritates habere, apud eos prandere, litteras vel munera dare et accipere, nisi necessitas aut recta ratio aliud suadeat. Constat enim his o-

omnibus et similibus spiritum in Nostris graviter laedi, et religiosae perfectionis fervorem intepescere.

Patrociniis ne foveantur.

3. Multo minus permittendum est, ut Scholastici Patres antiquiores nimis familiares ac veluti patronos apud Superiores habeant; et seniores ipsi moneantur, ut ab huiusmodi patrociniis, tam Scholasticorum quam aliorum e Nostris quorumcumque, sibi temperent, iuxta ea, quae de vitandis huiusmodi intercessionibus praescripta sunt.

Mortificationum usus in vacationibus.

4. Proderit autem ad Scholasticorum spiritualem profectum, veterem mortificationum consuetudinem tempore vacationum excitare, propositis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus. Quin etiam expedire omnino videtur, ut, qui in spiritu nimis relaxati videntur, quo in eis spiritualis fervor excitetur, ad has et Exercitia etiam Spiritualia suaviter, omnino tamen inducantur. Immo vero hi, quando opus esse iudicabitur, a studiis ad tempus, vel etiam simpliciter amovendi sunt, ut melius in spiritu proficiant et in virtutibus solidentur.

Quomodo tepidiores iuvandi.

Indifferentiae assuescere discant.

5. Nec minus operae ponendum est a Superioribus, ut Scholastici nostri eam indifferentiam assequantur, iuxta regulam 31 Summarii, ut scilicet a Superioribus se regi sinant, nec sint solliciti quid, peractis studiis et tertio probationis anno, sint facturi; solet enim plerumque evenire, ut, si aliter contingat quam animo conceperunt, non sine magna molestia et spiritus iactura perturbentur.

INSTRUCTIO VIII.

PRO COADIUTORIBUS TEMPORALIBUS.

EX DEPUTATIONE, QUAE DE ILLIS BENE INSTITUENDIS HABITA EST IN V CONGREGATIONE GENERALI.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, iuxta eiusdem Congregationis decretum Ms. 98 recognita.

Conservandi et fovendi in spiritu.

1. Circa spiritualem Coadiutorum temporalium profectum, non tantum in Novitiatu, ut dictum est, vigilandum est a Superioribus, sed multo magis curandum est, ut, postquam e Novitiatu educti fuerint et vota post biennium emiserint, spiritum, quem probationis tempore acquisierant, diligenti cura conservent. Quare non sinantur suo more aut arbitrio vivere, sed eos rerum spiritualium Praefecti, et ipsi etiam Superiores frequenter alloquantur, novos praesertim et qui infirmiores sunt, et hoc, cum tempore recreationis aliquando, tum vero separatim, semel saltem in hebdomada, consolando eos et instituendo in iis, quae ad ipsorum statum pertinent, capita meditationis suggerendo, modum ac fructum orationis exigendo, et tandem dirigendo, ubi opus fuerit.

Frequens Superiorum et Praefecti allocutio. *C. 7 d. 80 n. 19.*

De quibus singulis hebdomadis instruendi.

2. Loco instructionis doctrinae christianae, quae extra Novitiatum ad Coadiutores haberi solet, si satis in ea instructi existimentur, instituatur singulis hebdomadis spirituale colloquium, seu conferentiae de rebus ad eorum exercitia et captum accommodatis. Quo tempore curandum erit, ut intelligant, quae in saeculo vilia aut etiam servilia iudicantur, ea magni momenti Deoque valde cara esse in Religione, quandoquidem propter divinum eius amorem et reverentiam fiunt; nec solum mercedem illorum operum ipsos consequi, sed participes etiam esse caeterorum omnium bonorum operum, quae divina bonitas per nostram Societatem operari dignatur, sicut etiam omnium indulgentiarum et spiritualium gratiarum, quas caeteri consequuntur. Plurimum autem conferet id a Superiore ipso praestari, ad quem haec cura maxime pertinet. Hoc enim officio sibi eos Superior devinciet, dum se illos peculiari sollicitudine complecti et excolere ostendit, et ipsi vicissim aperte vident se a Superioribus minime negligi.

Ord. Gen. c. 2 n. 16.

Quinam sine socio incedere possint.

3. Quoniam multa possent evenire incommoda, si facile Coadiutores soli permitterentur incedere; expedit omnino, ut, quantum fieri poterit, semper comitati incedant. Si qui autem ob necessitates soli egredi permittuntur, ii maturi et graves sint, et tales, a quibus nihil incommodi merito timeatur. Socii autem Procuratorum et emptores, praeterquam in iis, quae sunt officii eorum propria, soli non eant: feminas vero nulli soli adire permittantur. Si quando autem aliquid periculi timeretur, matura mutatione provideatur.

Quales ad agros mittendi.

4. Qui ad vineas agrosque procurandos mittuntur, sint ex iis, qui magis in spiritu et religiosa disciplina profecisse cognoscentur. Neque umquam soli in eiusmodi locis morentur, aut certe pernoctent, et quam minimum fieri potest in illis permaneant. Quod si diutius aut longius eos abesse oporteat, mutentur nonnumquam, aut identidem ad Collegium revertantur, ut in utroque homine reficiantur. Ea vero, quae per externos in his locis curari possunt, ad ea Nostri ne adhibeantur.

Soli pernoctare non permittantur.

Ne contemptui habeantur.

5. Ut quiete iuxta suam vocationem in domo Dei laborent, severe caveant Superiores, ne in suis ministeriis a caeteris contemnantur, neque officia, quae pro Dei amore exercent, illis a quopiam tamquam vilia et servilia obiiciantur. Praeterea expedit, ut peritis in sua cuique arte credatur, nec facile illis etiam studio mortificationis contradicatur. Et tandem ad eam etiam pacem et tranquillitatem conservandam plurimum faciet, si a Ministris nimium aliquando non urgeantur.

Peritis in arte credendum.

A Ministro non supra modum urgendi.

INSTRUCTIO IX.

DE MODERATIONE IN DANDIS LITTERIS AD GENERALEM ADHIBENDA.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, diversis subinde temporibus, anno demum 1599 aucta copiosius, ad Provincias missa.

Causae huiusmodi Instructionis scribendae.

1. Etsi magna afficior voluptate, si quam saepissime meorum Patrum Fratrumque litteras perlegam, estque pergratum omnes ad me, tamquam ad patrem, magna fiducia confugere; tamen, auctis longa die negotiis, auctaque Dei beneficentia in dies latius Societate, longo iam usu intelligo in dandis ad nos litteris iustam aliquam moderationem esse statuendam. Quod ni fiat, in tantam multitudinem litterarum numerus excrescet, ut, cum ad omnia rescribendum fuerit, rebus maioribus, et quae ad Societatem spectant universam, in quibusque transigendis versari debet Praepositi Generalis industria, necessarium tempus detrahetur; laborque eorum, qui sunt a secretis, id quod ipsa docet experientia, ita augebitur, ut, quamvis apta descriptione operae singulis distributae sint, et iam pridem eorum auctus sit numerus, brevi tamen impares labori succumbant, necesse erit.

Aliquae leges praescribendae.

2. Quare, re prius bene perpensa, saepiusque cum PP. Assistentibus communicata, multisque precibus Deo commendata, visum est nonnulla ad hanc rem valde conducentia omnibus commendare, regulasque aliquas et superiorum temporum ordinationes in memoriam redigere, quae si serventur, sperandum est commodius Provinciarum negotiis consultum iri. Nam, supervacuis et inutilibus reiectis, quae saepe utilibus et necessariis officiunt, plus operae ac temporis maioribus et universalioribus Societatis rebus insumetur. Ita et labor eorum, qui in hoc munere versantur, allevabitur, ut pares esse possint operi, et nihil de eo fructu detrahetur, quem Patres Fratresque e litterarum communicatione percipiunt, et optamus omnes.

Non extenditur ad privatas litteras.

3. Sed, antequam ad rem ipsam veniamus, Reverentiam Vestram admonemus, nostrae voluntatis esse, ut quo tempore nostram hanc sanctionem ac moderationem in dandis ad nos litteris Provinciae suae indixerit, simul etiam edicat, nullo modo eam ad id genus litterarum pertinere, quibus privatim suis quisque de rebus subditi nos certiores facere voluerint; integrum esse cuique, quae ad animi sui fructum spiritualeque auxilium in Domino expedire iudicaverit, ad nos perscribere; me enim magna cum animi mei voluptate cuncta perlecturum.

Variae Ordinationes.

4. His positis, Reverentiam Vestram scire oportet, meos Praedeces-

hac de re datae, servandae.

sores varias Ordinationes praescripsisse de modo, tempore, rebus, de quibus ad Praepositum Generalem litteras dare opus sit. Quae omnes postmodum in Formulam scribendi sunt relatae. Ex quibus servandis maximam partem pendet ea, quae in hoc genere moderatio est adhibenda, et quam in primis teneri peroptamus.

Formula scribendi servanda.

5. Quare erit operae pretium Superiores omnes et Consultores ipsam Formulam attente perlegere, eorumque unumquemque ea considerare, quae ad se pertineant. Ita fiet, ut multis litteris minus necessariis supersedeatur. Nam, si Superiores locorum de suis rebus cum suis primum agent Consultoribus, deinde cum Praepositis Provincialibus, qui ex ipsorum Regulis et forma iis praescripta de rebus ordinariis suae quisque Provinciae statuere poterunt, non magnum erit negotium septimum formulae paragraphum servare.

praesertim paragraphus decimus.

6. Ac si operam dabunt, ut eiusdem Formulae paragraphum decimum observent, haud dubie magnus litterarum minus necessariarum numerus tolletur; cum ibi praescribatur, in rebus non urgentibus ordinarium tempus esse exspectandum. Nam in urgentibus et gravibus omni tempore scribendi paragraphus nonus potestatem facit. Hinc illa etiam utilitas proficiscetur: nam, si Superiores locorum de negotiis rite et subordinatione servata cum suis agent Provincialibus, rerum administratio melior erit et facilior, et cum omnium grata voluptate etiam coniunctior. Nam illa scribendi ratio directo et statim ad nos, inconsulto Provinciali, contra quam praecipit paragraphus decimus, nihil aliud efficit, nisi ut multiplicentur litterae, et constitutio de rebus longius trahatur; cum ad bonam rerum administrationem oporteat nos, antequam de re quapiam constituamus, Provincialium de unaquaque re sententiam exquirere, et singularum rerum statum naturamque cognoscere illorum testimonio, qui totas Provincias administrant, et praesentes ipsi totam rem inspiciunt et quodammodo manibus pertractant.

Quid in urgentibus.

Subordinatio commendatur.

Ne de re eadem bis scribant, responso non exspectato.

7. Est et illud praeterea notatum, de eadem re scribi saepius ad nos: quae res frustra numerum auget litterarum. Quare monendi sunt omnes Superiores, tum Consultores, ne, cum de re aliqua semel scripserint, de re eadem scribant iterum, nisi transacto ad rescribendum tempore, et perferendas ad eos litteras constituto. Qua in re illud animadvertant oportet, non semper statim, atque ad nos litterae perlatae sunt, facultatem esse ad illas rescribendi. Nam, cum sua cuique Assistenti stata tempora descripta sint ad agendum, ac saepenumero diversarum Provinciarum, atque adeo Assistentiarum, in idem tempus litterae concurrant; nisi statutus ordo teneatur, magna sequatur confusio, necesse est: ut mirum interdum non sit, si quando serius aliquanto, quam vellent aliqui, ad eorum litteras rescribatur. Atque ob hanc causam, ut occupationibus consulatur Praepositi Generalis, in Formula praescribitur, ut, cum ad ipsum Provinciales singulis mensibus, Praepositi locales ternis scribere debeant, Praepositus ipse Generalis ad Provinciales alternis, ad locales senis mensibus rescribat. Quin etiam experimento ii scire possunt, crebrius etiam, quam Formula praescribit, eorum litteris responderi.

Quae in litteris

8. In litteris porro, quae *soli* in-

soli scribendis servanda sunt.

scribuntur, nonnulla peccantur: atque id eo fit, quod non omnes sciunt quae ratio in iis litteris servetur. Persaepe enim, quae iis litteris continentur, non eius generis sunt, quae secreto opus habeant ita, ut non possint cum iis, quibus opus est, communicari. Immo vero non raro eiusmodi sunt, ut, nisi cum aliis communicentur, transigi nullo modo possint: ac nulla alia de causa *soli* inscribi videantur, nisi tantum, ut a nobis legantur. Hi si scirent nos eas quoque litteras legere solere, cum praesertim res postulat, quae illa carent inscriptione, non dubito, quin illa supersederent. Quare opus esset hos huiuscemodi incommodi admonere.

Ne in litteris negotiorum secreta admisceant.

9. Est et alterum in eodem genere incommodum, quod multi, cum de rebus variis ad nos scripserunt, ad eamdem epistolam unum aliquod caput attexunt, quod secretum postulat; et ob hoc unum caput totam epistolam *soli* inscribunt. Quo fit, ut, cum ipsa epistola ob secretum non possit nisi cum P. Secretario communicari (cum quo de more epistolae, quae *soli* inscribuntur, communicandae sunt), ob illius occupationes negotia reliqua, quae cum Assistentibus sunt communicanda, transigi maturo tempore non possint. Quare moneantur, ut, cum de rebus scribunt, quae inscriptionem *soli* postulant, si de rebus aliis iis scribendum sit, id seorsim faciant alia epistola, ab ea seiuncta, quae *soli* inscribenda est. In ea vero, quae *soli* inscribitur, non nisi de rebus illis agant, quae secretum postulant, nec sunt cum aliis communicandae.

Ratio contractus et instrumenti Romam mittenda.

10. Ad haec, quod ad contractus attinet contractuumque instrumenta, cum Romam mittuntur, a tergo membranae vel chartae adscribatur index et summa eorum, quae continentur. Idque eo magis, quod multa tam foedis characteribus descripta mittuntur, ut non nisi magno labore, magna temporis iactura, et aegre intelligantur, ab hominibus praesertim, qui, quibus de rebus in illis agatur, ignorant.

Quae in scriptione litterarum animadvertenda visa sunt.

11. Litterae, de negotiis praesertim, quae ad nos scribuntur, detur opera, ut bonis et perspicuis characteribus sint, omissis litterarum compendiis abbreviationibusque parum notis. Iustus etiam ad oram exteriorem margo relinquatur, ut indices eorum, quae intus continentur, foras evocari possint. Et cum varia capita de rebus variis continent, praesertim si vel Superiores vel Consultores ipsi litteras dant, singula quaeque capita per paragraphos scribantur, ad initium semper caput revocando. Id enim et ad legendi et intelligendi usum, facilitatemve apprime conducit, non modo in praesens, quamdiu de rebus iis est agendum, sed in posterum etiam tempus, cum ex archivio, quod saepe usu venit, eiusmodi litterae ad eadem vel alia similia negotia post aliquot menses aut annos sunt proferendae. Quae res in tanto scriptorum numero, optimo licet ordine disposita serventur omnia, nisi his adiumentis allevetur, laboriosa admodum fit et impedita.

Nomen et cognomen in calce adscribant, die non praetermisso.

12. Et tum in his tum in aliis etiam litteris duo illa serventur, ut et in fine epistolae cuiusque nomen adscribatur et cognomen eius, qui litteras dat (sunt enim, qui pro sua modestia alterutrum omittunt, altero tantum contenti), et cum dies, qua dantur litterae, adscribitur, non a

festo tempore illius diei, sed a numero dierum mensis cuiuslibet notetur, ut facilius datarum litterarum ratio iniri possit. Denique caveant, ne eodem folio, quo ad nos scribunt, ad obvolvendas epistolas alias utantur: fit enim plerumque, ut in resignandis fasciculis pars aliqua litterarum una cum sigillo revellatur; quae deinde nullo modo legi possunt.

Ne eodem folio, quo scribunt, epistolas obvolvant.

De Collegii et Provinciae nota in litteris et fasciculis facienda.

13. Illud postremo hoc loco addere pernecesse fuit, quod abhinc annos quindecim nonnullis Provinciis praescripsimus, ad expensas non exiguas vitandas, quibus unam pro multis aequo plus gravari interdum contingebat ex Collegii aut Provinciae, ex qua litterae mittuntur, ignoratione: ut curent Superiores omnes singulis litteris et fasciculis sui Collegii ac Provinciae nomen exterius in fronte imponi. Sic enim, antequam vel fasciculi dissolvantur vel aperiantur litterae, vecturae ratio facile constabit ei, qui exigendi curam gerit, ut suum cuique Provinciae vecturae datum referre possit. Quod si contingat diversarum Provinciarum vel litteras vel fasciculos in unum colligari, necesse erit similiter in externa facie sub illius inscriptione Provinciae, in qua colligantur, nomen notari: detracto enim superioris fasciculi tegumento, singularum litterarum vel fasciculorum vecturae ratio distincta constabit ex illarum inscriptionibus, vel certe (quod magis probaremus) in magno fasciculo nomina earum omnium Provinciarum, quarum fasciculi includuntur, exterius adscribi.

INSTRUCTIO X.

DE PRAEFECTIS SPIRITUALIBUS

CONSTITUENDIS FORMANDISQUE.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, ad Provincias missa anno 1599.

Huius Ordinationis utilitas.

1. QUANTA in rei spiritualis praefectura insit utilitas, quamque sit munus illud necessarium, non nostrae tantum Regulae Constitutionesque docent, sed ipsa etiam ratio persuadet et evincit. Nam, cum ad perfectionem nostrae Societatis viros effingere formareque debeamus, consequens est, ut ii quoque, quidquid agunt, spirituali ratione atque in DEUM charitate illud agant. Haec nempe una cura illos ad studium virtutum omnium, ad plenam absolutamque sanctitatem assiduis debet stimulis excitare, ut ipsi et in se et in aliis quam maximum lumen, quam maximum communis Domini amorem provocent in dies. Praeterea, cum in perpetuo ipsi obedientiae usu ac religiosae disciplinae spiritualibusque ad proximos ministeriis versari debeant, nisi normae divini Spiritus se conforment, soluti, indociles, difficiles, intractabiles et segnes ad laborem sint, necesse est: non secus atque currum aliquem videmus, amotis rotis, trahi non posse; admotis vero apteque collocatis, facile ad quemcumque

Quales Instituti nostri ratio requirit.

Inopiam excusant.

usum accommodari. Et quamquam multis iam annis in eam curam incumbimus, Provincialesque Praepositos urgemus, ut rei spiritualis constituant Praefectos ac Magistros; ipsique, qui rei magnitudinem intelligunt, maximo opere rem perficere conantur; excusant tamen idoneorum hominum, qui totam rem sustineant, inopiam.

Experientia defectus comprobatus.

2. Nos quoque persaepe multas in eo genere querelas audivimus; idque multo etiam magis perspeximus, cum non ita multo pridem, qui spiritualium rerum statum inspicerent, inspectores per Provincias dimisissemus. Ex quo apparet multa et magni momenti in hac ratione desiderari.

Quales sint Praefecti spiritus.

3. Re igitur Domino precibus commendata, post multum de ea cum Patribus Assistentibus sermonem habitum, sentimus necesse esse peculiarem aliquam curam suscipere, ut magisteria totius huius rationis instituantur. Ingens enim sit error quemlibet mediocri probitate, mediocri prudentia, recto tantum studio instructum propensaque ad virtutem voluntate ad tantum munus idoneum iudicari. Quod si ad viam spiritualem ineundam homines aliorum consilio indigent ac regimine, cum ingens sit eorum periculum, qui perito in eo itinere duce carent, satis constat eos, qui huic muneri deliguntur, magno ad hanc artem studio, magno lumine, magno rerum usu, magna praeterea lenitate ac dexteritate, et ad agendum cum aliis comitate et gratia esse oportere. Ad haec magna propensio, applicatioque animi, dotesque aliae insignes accedant, necesse est. Et cum haec maxime optemus, non tamen ea remedia videmus adhiberi, quae ad huiusmodi Magistrorum copiam parandam opus sunt.

Ut in litteris, sic et in spiritu perficiendo elaborandum.

4. Praeterea, cum ad scholas instruendas, non maiorum studiorum modo, sed minorum etiam Humanitatis et Grammaticae, varias artes exercitationesque invenerimus, ut idonea suppetat copia Magistrorum; prudentissimus quisque optime intelligit quanto id magisterium maius sit ac magis necessarium, cum in eo, multo minus quam in altero, liceat esse conniventes, non modo quia nobilius maiorisque momenti est, sed etiam quia basis et fundamentum est alterius. Siquidem doctrina, a spiritu seiuncta, et Societati proximisque magis obesse quam prodesse, et Ecclesiae sanctae nulli aut perexiguo adiumento esse potest.

Quinam ad id munus eligendi.

5. Quare omnium primum Provincialis cum suis Consultoribus, aliisque Patribus rerum peritia spirituque praeditis, re communicata, delectum habeat eorum, qui praeter caeteros idonei iudicabuntur, qui ad id munus destinentur. Atque ad id, tamquam a remotiore quodam principio, e iuvenum numero eos designet, qui maiorem ad hoc munus indolem prae se ferre videbuntur, silentii et secessus amatores, orationis et divinae contemplationis studiosos; eosque, Magistris Novitiorum socios adiunget, exercebitque interim in aliis ad Spiritualia Exercitia erudiendis. Deinde, ad rem ipsam propius accedens, eos in praesens huic muneri praeficiet, qui statim manus operi possint admovere, maturos senes, quos vel longo gubernandi usu, vel conciones habendi aut e cathedra, Theologiam praesertim, explicandi labore fessos, tamquam ex alto in portum, intermissis exercitationibus, in hoc tranquillum senectutis otium confugere utile erit.

Quinam huic muneri praeficiendi. C. 18 d. 22 n. 8.

Opus non contemnendum.

6. Neque cuiquam otiosa res videri debet aut infrugifera, vel si cum aliquo aliorum consiliorum incommodo id fiat, navum aliquem hominem a ministeriis aliis clarioribus cessare, dum aliis instituendis iuvandisque occupatur; immo vero plusquam caeteros efficere certum est. Siquidem illorum omnium manibus, qui, ab ipso promoti, dignos se praebent Societatis administros, operatur.

Quibus vacent Praefecti.

7. His porro concedendum est, ut sanctae orationi, Sanctorum Patrum piorumque librorum lectioni operae plus solito impendant. Constitutiones, Exercitia B. Patris Nostri eorumque Directorium habeant sibi familiaria: ad haec Instructiones, Industrias aliaque monita Praepositorum Generalium optime teneant; ut cum in sermone, tum in usu tradendo virtutum, illa in promptu habeant, quae cum gratia nostrae vocationis sunt coniuncta.

Quinam libri legendi.

8. E Sanctis Patribus habeant prae manibus S. Basilii scripta omnia, S. Gregorii moralia, S. Bonaventurae opuscula; alios praeterea Doctores, Gulielmum parisiensem, eiusque praecipue tractatus de tentationibus et resistentiis, de virtutibus, de vitiis et peccatis, de rhetorica divina et similia; Gersonem eiusque praecipue tractatus: et e Nostris Platum, de bono status religiosi; Rossignolium, de disciplina christiana; tum libros de imitatione Christi; Sanctorum vitas, e quibus gravissima eliciuntur documenta; opera denique Ludovici Blosii magno esse poterunt adiumento ad varias variorum curandas affectiones.

Necessarium hoc studium.

Itaque errorem ponant Superiores, si qui aliter existimant, sibique persuasum habeant, tum ad idoneam eius doctrinae cognitionem, quam in huius artis magistro inesse oportet, tum ad auctoritatem nomenque viri vere spiritualis obtinendum, maximi esse momenti hoc studium: nec satis esse communem cursum, aut commune hominis cuiusque studium, aut quantulamcumque huius doctrinae cognitionem, qua tinctos esse contingat eos, qui haec aliquando cursim, et quasi aliud agentes, lectitarunt, aut etiam subinde meditando volutarunt animo.

Non ad externos effundendi.

9. Atque ob hanc causam non debent hi circa externos tamquam ordinariae operae occupari, tum quod illa persaepe occupatio ab opera suis praestanda illos avertit, tum etiam quod revera mens in duas diversas curas cum aliquo dispendio distrahitur.

Exemplares sint.

10. Et quoniam hi rei spiritualis magistri non doctrina solum et monitis, sed exemplo etiam et opera eam viam debent spiritualem commonstrare, neque illos decet spiritu esse eremitico, totosque uni contemplationi deditos; videndum est, ne ita sint sanctae quietis ac secessus amatores, ut proximorum consuetudine prorsus abstineant, sed aliquas exercitationes ministeriaque, laboris quidem, humiliationis utilitatisque maioris, occupationis tamen et illecebrae minoris assumant, cuiusmodi sunt, carcere detentos, hospitalia, aegrotos invisere, aut breves aliquas subinde obire missiones: sed certis, quibuscum usum habeant, nullis addicantur poenitentibus; feminis vero, cum quibus nimium plerumque est negotii, multo minus.

In humilibus se exerceant.

In Seminariis quales praeficiendi.

11. In magnis porro Seminariis, in quibus ad studia aluntur multi, satis constat huiusmodi Magistris tantum operae suppetere, ut aliae oc-

cupationes omnes excludantur ita, ut ne ipsis quidem regendis discipulorum Congregationibus, aut scholarum confessionibus audiendis locus relinquatur. Eritque id Provinciali summae curae, ut in eiusmodi frequentibus Collegiis homines hac doctrina et fervore pietatis insignes huic muneri praeficiantur; ac, si fieri potest, ex iis, qui aliquando Magistri fuerint Novitiorum, vel in gubernando magni exempli et spectatae pietatis fuerint, vel certe in aliis Collegiis id munus cum aliorum probatione sustinuerint. Denique, uti dictum est, praestantissimi cuiusque et maximis dotibus instructi praeclare stare operam censendum est, uno in hoc munere occupati.

Provincialis munus.

12. Praefectis ita constitutis, Provincialis erit cura invigilare, eos instruere, rationem ab iis inter visitandam Provinciam reposcere, ex aliisque, quemadmodum se gerant, cognoscere. Multum illis tribuat, multamque iis reverentiam conciliet, mandetque Consultoribus Collegiorum, ut ad se, quemadmodum in hoc genere procedatur, accurate perscribant.

Quinam scopuli vitandi Superioribus et Praefectis.

13. Omnino duo in hoc genere scopuli vitandi sunt, qui magnae nonnumquam offensioni esse possunt, quominus tantae rei magisterium eum, quem volumus quemque res exigit, felicem cursum sortiatur. Alter est temeraria quaedam et inanis Superiorum suspicio ac prope zelotypia, quasi rei spiritualis Praefectus, subditorum animos ad se alliciens, derivet in se Superioris auctoritatem, eaque re necessaria membrorum cum suo capite coniunctio sensim solvatur. Alter contra, ne quando Praefectus per causam consolandi subditos ad illa se porrigat, quae sunt regiminis, aut impediat elevetve Superioris auctoritatem, id quamvis, ipso inscio, alia ex causa contingat. Quare magnopere opus est incommoda haec antevertere initio, magnaque vigilantia cavere, ne quid eiusmodi subrepat, fines utrisque constituendo. Siquidem Rectori expedit Praefectum amari et in honore haberi; sic enim adiumento et levamento multis in rebus ipsi erit. Praefecto vicissim proposita in primis esse debet obedientia, et erga Superiorem amor subditorum. Ac, si quando haec aut minui senserit aut intepescere, sese angelum pacis interponat, hinc deiectos subditorum animos ad perfectionis mortificationisque studium erigendo, et auctoritatem bonamque de Superiore opinionem pro viribus tuendo; hinc Superiorem privatim de rebus illis admonendo, quae vel expedire vel impedire iudicaverit.

Quotannis Generalis monendus.

14. Optamus praeterea a Provincialibus certiores fieri quotannis, quosnam ei muneri, in maioribus praesertim Seminariis, quibusve institutionibus praefecerint, et quemadmodum tota res usu tractetur, et quo fructu, et quod quisque ad eam rem talentum praeferat.

Serio Provinciali commendatur.

15. Et quoniam res est magni momenti, eaque maximopere indigemus, omni, quo possum, animi affectu Reverentiae Vestrae quam accuratissime commendo, ut id totum ita suscipiat, ut existimet ad maximam sui regiminis partem pertinere. Ita, divina favente bonitate, spes est, multa nobis fore proniora, eosque nos e nostris laboribus fructus, quos ad divinae Maiestatis gloriam optamus, percepturos, a qua copiosam precamur in omnes benedictionem.

INSTRUCTIO XI.

DE PATERNE EXIGENDA RATIONE CONSCIENTIAE A SUBDITIS, ET SECRETI FIDE SERVANDA.

A R. P. N. Claudio Aquaviva, Praeposito Generali, anno 1606 ad Provincias missa.

Incommodis occurrendum.

1. Cum reddere conscientiae suae rationem res sit apprime necessaria, et accuratissime nobis a B. Patre Nostro commendata, ne qua inscitia subditorum, aut minus clara eius rei cognitione in nostra Societate aliquando intepescat (ex quo incommoda non modica cum magno rei spiritualis damno et decremento auxiliorum, quae ipsis subditis adhibenda sunt, et magno etiam communis boni divinique obsequii detrimento orirentur), idcirco, quemadmodum omni diligentia nostrum est subditos ipsos ad suum officium in hoc genere praestandum adhortari ob ingentes, quae ex ea re bene transacta percipiuntur, utilitates; ita summe necessarium est (quemadmodum a nobis alias significatum ac praescriptum est), ut Superiores pro se quisque rem promoveant; tum eam prae se ferendo comitatem paternamque benevolentiam, quae subditos ad se totos magna fiducia aperiendos alliciat; tum eam adhibendo prudentiam, secreti fidem ac cautelam, et ad eum unum finem consequendum, cuius causa a beato Fundatore nostro totam hanc rem institutam esse scimus, quod est spirituale auxilium et idonea subditi cuiusque perscrutatio. Quapropter animadvertant Superiores (id quod his litteris maximopere iis iniungimus gravissimeque praescribimus) ne hac notitia ita utantur, ut subditorum animi offendantur, suspicenturque se ob eam rem aut notam aliquam aut periculum adituros, ne minus commode a Superioribus tractentur.

Quae Superioribus praestanda.

C. 12 d. 15.

Quaenam cautio adhibenda.

2. Quare Superiores, quamvis secretum naturali iure tantum teneatur (nam de sigillo confessionis nihil est quod agamus), videant tamen summa cura, ut secreti fides integra sit, nihil omnino cuiquam innuendo, multo etiam minus ad consilium referendo consultandi causa, quid facto opus sit; nam ex eo subditi a sua aperienda conscientia deterrentur vehementer. Licet enim tanti ponderis ea regula praeceptumque sit, sexcentas tamen theologicas ratiocinationes et periculorum species excogitarent, quare ad se tanto cum damno detegendos nulla lege tenerentur. Qua opinione atque avocatione animorum nescio an perniciosius quidquam ad bonam administrationem Societatis esse possit, quae intima animi cultura spiritualique institutione, magis quam legibus ullis poenisve externis irrogandis, suos optat alumnos ad perfectionem virtutis edocere.

Secretum servetur.

C. 12 d. 15.

Damna quae ex hoc defectu orirentur.

3. Quare Reverentiae Vestrae rem

In visitatione

quid Provinciali praestandum.

totam quam accuratissime commendamus, ut inter visitandam Provinciam diligenter cognoscat, qua fide Superiores in hoc genere se gerant: ac, si quis in eo fuerit solutior aut minus, quam debet, accuratus, det operam, ut pro culpae gravitate in eum animadvertatur, ac, si opus fuerit, de tali Superiore amovendo ab officio nos certiores faciat. Idque ita curetur, non modo ut subditi nos ita praecepisse, sed ita etiam exsequi mandasse sciant; ut intelligant omnes, etiam Superiores, si quid aliquando deliquerint, poenae obnoxios futuros. Contraque ipsi suspicionum umbras, quae subinde oriuntur, exuant penitus ex animo; in idque magna charitate Superiores incumbant, ut subditi ex eorum paterna charitate recreentur, benigneque se ab iis tractari laetentur: vicissimque ipsi ea, qua filios decet, reverentia fiduciaque ad Superiores suos, tamquam ad benevolos parentes, in omni re confugiant. Vestra Reverentia quid egerit in hac causa, quemadmodum per se ac per Confessarios, ut ab errore subditi avocentur, contenderit; si quid peccatum fuerit, quae remedia adhibuerit; et quid in eo genere Superiores profecerint, ad nos perscribat. Redeo ad illud idem, moneoque etiam rem esse maximi momenti, proindeque non mediocrem diligentiam desiderare.

Communicanda subditis haec Ordinatio.

De quibus Generalis monendus.

INSTRUCTIO XII.

PRO IIS, QUI AD MISSIONES FRUCTIFICANDI CAUSA PROFICISCUNTUR.

A R. P. N. Claudio Aquaviva confecta.

Cur scripta haec Instructio. *C. 5 d. 46.*

1. Ad directionem praximque Regularum eorum, qui ad missiones proficiscuntur, necessarium duximus hanc Instructionem perscribere, ad quam possint deinde Provinciales, quae pro locorum ac missionum varietate opportuna videbuntur, adiicere.

Scopus missionum.

2. Finis harum missionum est auxilium tot animarum, quae, ex ignoratione rerum ad salutem suam necessariarum, in statu peccati cum aeternae damnationis periculo versantur. Proinde omni studio enitantur, ut continuam veramque inter se unionem habeant cum patiendi desiderio; quandoquidem haec necessaria sunt fundamenta ad finem propositum consequendum, et ad bonam aedificationem apud omnes conciliandam; meminerintque hanc esse vocationem nostram, in qua primi Patres nostri sese exercuerunt. Ob eamdem causam orationem matutinam et examen vespertinum, quoad eius fieri poterit, numquam praetermittant; et procurent, tum in hac tum in caeteris rebus, intimam unionem cum Deo, a quo pendet omnis actionum nostrarum recta institutio et efficacia.

Unio inter se, et cum Deo coniunctio.

Quae loca perlustrabunt.

3. Perlustrabunt loca, quae in catalogo suo descripta habebunt, tamdiu in singulis consistentes, quamdiu pro numero et dispositione personarum expedire videbitur. Cum primum ad oppidum seu vicum pervenerint, ante omnia primariam ecclesiam adeant, et post brevem orationem, prout temporis ratio et ipsorum commoditas feret, agant cum Parocho vel alio cleri Praeposito, omnemque illi benevolentiae significationem exhibendo, caveant, ne vel minimo indicio dent suspicionem, quasi ad eum visitandum veniant; sed, ostensis patentibus etc., declarent sibi hoc unum esse propositum, ut doctrinam christianam tradant, confessiones audiant, pacificationes procurent etc., ac nominatim ut clero in omnibus probari et satisfacere studeant. Doceant praeterea sibi praescriptum esse a Superioribus suis, ne cui victus causa sint oneri; idque adeo se curaturos, cum habeant unde vitam sustentent; cubiculum tantummodo desiderari a feminarum commercio liberum, et in quo lectuli sint ad quiescendum. Quod si mundum aliquod in xenodochio cubiculum erit, alibi non quaeratur. Ab eodem Parocho, si consenserit, designabuntur qui res ad victum necessarias pro ipsis comparent; quas quidem ad sustentationem sufficientes esse oportebit, sic tamen, ut aedificationi semper consulatur.

Ecclesiam primum adeant, tum Parochum.

Finem missionis declarent.

Nemini se oneri futuros.

Ubi habitent.

Edocendi de peccatis populi.

4. Interrogent eumdem Presbyterum de peccatis populi magis usitatis, de usuris, concubinatu, inimicitiis, abusibus, superstitionibus etc., ut maiori cum luce et utilitate animarum sermones suos laboresque dirigant. Conferet plurimum, si quam boni nominis saecularem personam sibi concilient, cuius opera apud alios utantur, procurando ut divina sacramenta frequenter obeant, et probo pariter alicui Sacerdoti eos insinuando. Iuvabit etiam scholas visere, si sine offensione fiat; Magistrorumque gratiam ineundo, pium aliquod devotionis exercitium inter scholasticos introducere. Et, cum tempus vacuum erit, in privatis cum hoc vel illo sermonibus fructuose collocare.

Alicuius boni viri opera utendum.

Scholastici iuvandi, quomodo.

Quoties populus convocandus.

5. Quo die ad locum pervenerint, in quo subsistere debent, procuretur quam primum commoditas populi convocandi. Convocetur autem mane ac vesperi: fiatque exhortatio una, in qua primum disseratur de necessitate doctrinae christianae, et de malis, quae peccato mortali adiuncta sunt, ut ex eo intelligatur necessitas confessionis. Deinde exponatur causa et finis adventus ipsorum bona cum venia et facultate Ordinarii, promulgeturque iubilaeum a Sua Sanctitate concessum, potestas absolvendi etc.; atque haec omnia Societatem nostram ex Instituto suo facere, cui convenit hoc munus doctrinae christianae, confessionum etc. Significetur etiam nullum hic lucrum quaeri nec pecunias; immo ferri ad ipsos munuscula quaedam rerum piarum. Nulli proinde se graves futuros, cum a Superioribus suppeditata eis sint necessaria. Significent praeterea horis matutinis audituros se confessiones eorum, qui conscientias suas sublevare desiderant. A prandio doctrinam christianam tradituros feminis et pueris ac puellis; vesperi autem eamdem viris post salutationem angelicam explicaturos. Hortentur itaque, ut veniant, et domesticos ac familiares mittant.

Materia concionum.

Populus de quibus docendus.

An concionandum, et quando.

6. Si oppidum est alicuius momenti, et alius Concionator non sit, Quadragesimae praesertim tempore,

poterit singulis diebus summo mane brevis concio fieri per semihorae spatium, de Evangelio quidem, sed ita, ut ad rerum necessariarum doctrinam traducatur pro captu auditorum. Exemplis autem crebro utantur, et pro re nata populum impense hortentur ad divini cultus observationem, et ad ecclesiasticos honore ac reverentia prosequendos.

De quibus clerus instruendus, et quo tempore.

7. Cleri institutio complecti debet brevem notitiam mysterii sanctissimae Trinitatis et Incarnationis D. N., quaenam sit materia et forma sacramentorum, de eorum usu et exercitio, ac praecipue de ratione confessionum audiendarum et populi instruendi, commendando eis diligentiam et munditiem circa cultum divinum. His porro, qui e clero sunt, dandus est catechismus, si non habent, Directorium P. Polanci aut F. Medinae. Fient haec mane, quando ab audiendis confessionibus otium erit. Quod si tunc non licebit, detur opera, ut sero sub noctem perficiatur.

De feminarum et puerorum confessionibus audiendis.

8. Feminarum confessiones in templo semper audiantur loco non obscuro, eodemque modo iuvenum; studeantque ab eis personis quam primum expediri, quae movere possunt suspicionem.

Quando feminae et pueri doctrinam christianam docendi.

9. Pomeridianae horae ponentur in tradenda feminis puerisque doctrina christiana; allicienturque processionibus publicis, festis praesertim diebus, in quibus pueri ac puellae vario cum ornatu appareant, et praemiis imaginum, diligentem operam adhibendo, ut doctrinam accurate perdiscant, et hortando, ut eam aliarum inanium cantionum loco decantent inter laborandum et in agris ipsis.

Quando viri doctrinam docendi.

10. Vesperi, post salutationem angelicam, circa mediam horam noctis, Parocho et aliis clericis adnitentibus, convocetur ad ecclesiam quam maximus poterit numerus, invitando Gubernatorem aliosque viros primarios, ut caeteros alliciant, prohibendo, ne femina ulla admittatur; ibique explicetur doctrina christiana, declarando mysterium sanctissimae Trinitatis, symbolum Apostolorum etc., omnem sermonem concludendo malorum, quae peccato mortali insunt, declaratione; horaeque circiter spatium hac in re collocetur. Quod si ad eam unicus sufficiat, alter interim in privati cuiuspiam auxilium incumbat, vel eius confessionem audiendo, vel pacem inter discordes componendo.

Caute eleemosyna elargienda.

11. Si quando incidat, ut aliquid eleemosynae pecuniariae largiendum sit personae alicui ad gravem necessitatem redactae, caute fiat et secreto, ne, si patefiat, concursus fiat pauperum, quibus si eleemosyna denegetur, obtrectandi occasio praebebitur.

Quomodo cum Religiosis se gerant.

12. Ubi Religiosos cuiuslibet Ordinis nanciscuntur, omnem in illos benevolentiae significationem declarare studeant, eosque in Domino, quoad fieri potest, lucrifacere. Quod si res ferat, iuvabit Exercitia Spiritualia cuipiam illorum, atque etiam clericorum, tradere.

Quae ab ipsis adnotanda.

13. Observabunt subinde et adnotabunt quae digna videbuntur, de quibus Praelatum admoneant, ut ea coram postea post reditum in urbem illi exponant; itemque praecipua quaeque notatu digna pro annalibus.

Confraternitatum institutio et quomodo.

14. Dabunt operam, ut inchoetur promoveaturque, ubi opportuna res erit, Confraternitas aliqua Sanctissimi Sacramenti, vel nominis Dei, vel Rosarii, vel doctrinae christianae, Romam postea scribendo, ut stabiliri

possit, iuxta regulam 22 missionum.

Quis in missione Superior.

15. Qui priore loco in patentibus nominabitur, Superior erit missionis; alter eius Admonitor. Demum omnes sibi commendatam esse intelligant exactam Regularum pro missionibus observantiam.

C. 6 d. 21, 39. Ord. Gen. c. 1 n. 14, 18.

INSTRUCTIO XIII.

DE SPIRITUS RENOVATIONE PROCURANDA,

DEQUE DISCIPLINA RELIGIOSA AUGENDA.

CAPUT I. — *Ad orationis et devotionis studium excitandum.*

Ex Deputatione pro renovatione spiritus. C. 6 d. 38. Instr. 1. P. 10 n. 2.

1. Cum inter illa media, quae cum Deo instrumentum coniungunt atque disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, illud unum ad conservationem et incrementum spiritus efficacius sit, familiaritas videlicet cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis; valde commendatam omnibus esse cupimus, et serio Superioribus iniungimus earum Ordinationum ac Regularum exsecutionem, quae orationis augmentum magnopere iuvare ac promovere consueverunt. In primis proderunt solemnia illa ac stata Religionis nostrae: si frequens visitatio fiat dum oratur, et ab ipsis interdum Superioribus, ex regula Praepositi 50 et Rectoris 47; si poenitentiae peccantibus imponantur; si in cubiculis spiritu ferventiores cum tepidioribus una cohabitent; si crebro Nostros alloquatur de hac re Praefectus spiritus, interrogetque modum, quem in orando teneant, doceat, instruat ac dirigat pro rei exigentia; si Confessarius illis ipsis, quos in re tanti momenti, et ad spiritus conservationem pernecessaria, deficere intellexerit, scrupulum iniiciat; si in privatis exhortationibus et conferentiis agatur frequentius de fructuose oratione habenda et de cura rerum spiritualium augenda; si in ratione reddenda conscientiae Superiores diligenter exquirant, quantum in hac re quisque profecerit, instruendo, formam docendo, excitandoque, si necesse fuerit, efficacioribus mediis ad tam sanctum et perutile religiosae vitae opus peragendum. Denique conandum, quoad eius fieri poterit, ut, qui ex Novitiatu ad Collegia se conferunt, haud facile eamdem precandi rationem immutent, nec sine Praefecti spiritus aut Superioris consilio in eiusmodi rebus progrediantur.

Orationem ac devotionem promoventia. *C. 7 d. 25 n. 1.*

Quae visitationes interdicantur. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

2. Si interdicantur id genus visitationes, quae nec ad eum finem, quem intendit Societas iuxta suum Institutum, nec ad spiritum vocationis nostrae prodesse possunt; idque Superioris arbitrio, cuius erit singula prudenter et mature perpendere: iis exceptis, quos minime expedit praeterire, tum ob commune bonum Societatis, tum ob maius Dei obsequium et animarum auxilium: qua de re, ut omnes rei momentum intelli-

gant, seriae exhortationes habendae erunt.

Inutilia colloquia. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

3. Si omnino interdicantur inutilia et parum religiosa colloquia ad ianuam cum externis; nec permittantur, nisi cum ad difficultates casuum conscientiae explicandas necesse fuerit, vel de rebus spiritualibus et ad bonum animarum spectantibus agendum erit, vel omnino pernecessariis, ut prudens charitas faciendum esse docuerit Superioris iudicio, praesertim viris gravioribus et valde probatis ad ianuam accedentibus.

Annuus Exercitiorum usus. *C. 6 d. 29 n. 2.*

4. Si vacent omnes quotannis Spiritualibus Exercitiis per octo vel decem dies continuos: atque, ut id efficaciter et omnino fiat, statutus est annuus iste usus Spiritualium Exercitiorum, tantopere a Congregatione singulis commendatus, Superioribus praesertim; quibus curandum erit, ut, non modo suo caeteris exemplo praeluceant, sed tempus quoque peropportunum singulis ad ea cum fructu peragenda, difficultatibus pervictis, attribuant.

De officio, et Sacro faciendo. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

5. Postremo proderit non parum, si quae regulis 2 et 4 Sacerdotum de divino officio attente, devote et opportuno tempore recitando, deque semihora, ea, qua par est, reverentia, in faciendo Sacro explenda, praecipiuntur, exacte serventur. Denique, si, quae ad pietatem et devotionem pertinent, religiose tractentur.

Caput II. — De ratione conscientiae reddenda.

Quae servanda circa rationem conscientiae. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

1. Servari oportet quae praescribuntur in Instructione ad reddendam conscientiae rationem, quaeve in ultima regula Provincialis de modo accipiendae rationis conscientiae; quae item de non usurpanda notitia per confessionem, quae est VII Instrutio, quae denique in nova Instructione XI de paterne exigenda ratione conscientiae a subditis.

Hic Instr. 5.

Praxis rationem conscientiae exigendi.

2. Operae pretium visum est hic veluti praxim tam laudabilis in Societate consuetudinis apponere, quemadmodum caute et paterne in re tanti momenti Superiores se gerant. Primum curent, ut, ab inutilibus occupationibus liberi, toti in suorum subditorum internam curam et spiritualem profectum omnino incumbant: quae quidem cura in eo posita est, ut ab iis, qua par est diligentia et circumspectione, exigant rationem conscientiae; quae si, ut oportet, a subditis reddatur atque a Superioribus excipiatur, magnum procul dubio momentum habebit ad spiritus renovationem et augmentum. Secundo, ut recte fiat, iuvabit plurimum, si Superiores se ipsos patres exhibuerint, quod frequenter commendatum est; eosque crebro et magna charitatis significatione, ut regula 26 Praepositi et 25 Rectoris habent, vocent, alloquantur, et eos consolentur, atque in spiritualibus instruant, sicque intelligant, se non tamquam iudici suam conscientiam Superiori, sed tamquam patri manifestare, quo consilium ab illo, auxilium et consolationem accipiant: neque idcirco futurum, ut Superior tamquam imperfectum aut tentatum minus diligat aut minoris aestimet, sed contra maiore charitate ac peculiari affectu complexurus sit, quem sincere et candide iuvari velle conspexerit. Ipse vero subditus sic existimare debet, se velut aliud esse, atque suos defectus. Quare ad Superiorem confugere debet, ut simul cum eo ad eiusmodi vitia eradicanda conspiret, simulque etiam media petat

Ex Regulis pro Visitatoribus.

Superiores patres se exhibeant.

et auxilia, quibus id consequi possit. Superiorum autem erit tam blande et amanter eos excipere, ut haec ratio conscientiae reddita, occasio fiat non semel aut iterum in anno statis temporibus ad eos recurrendi, sed frequenter eos adeundi, quo efficacius finem hunc Societatis, id est directionem, victoriam contra vitia et virtutum lucra consequatur. Tertio, efficiant autem, ut subditi intelligant, aliud esse reddere rationem conscientiae, aliud quid generaliter confiteri: quia et regula diversa est utriusque, et diversus finis, et modus diversus. Nam confessionis finis est proponere sibi ante oculos totius illius temporis culpas, illasque denuo maiore alacritate expiare et quasi novas induere vires: in aperienda autem conscientia finis est statum animae suae, nimirum defectus, passiones, propensiones, tentationes, virtutes ipsas et quaecumque ad perfectam sui cognitionem facere possunt, ei aperire, cui se ad maiorem Dei gloriam dirigendos tradiderunt. Modus etiam diversus est: nam in confessione peccata et circumstantiae aperiendae sunt, in altera vero ea dicere satis erit, quae integre profectum seu defectum animae et statum interioris hominis manifestant. Quare, ut cogendi non sunt Nostri ad rationem reddendam conscientiae extra confessionem, cum id liberum Constitutio permittat pro cuiusque consolatione, ita summopere laudandi, qui semotis iis, quae proprie ad confessionem pertinent (haec autem Superiori in confessione detegere poterunt), extra confessionem reddunt totosque se ipsos patefaciunt, quo liberius et absque ullo respectu Superiores ad illorum directionem et utiliorem gubernationem ea notitia ad maius Dei obsequium utantur.

Discrimen inter rationem reddendae conscientiae et confessionem generalem.

Uter modus laudabilior.

3. In exhortationibus crebro a Superioribus inculcetur tam sanctus et laudabilis mos a B. P. Nostro Ignatio inductus, et serio crebroque in Constitutionibus posteris suis commendatus. Item eius necessitas et utilitas, non solum ad privatum, sed etiam ad commune bonum spirituale ostendatur ex ipsis Constitutionibus et ex Sanctis Patribus, solvanturque obiecta rationibus et argumentis desumptis ex vera Theologia. Ostendant multas cautiones adhibitas ad rem hanc religiose et prudenter tractandam ab ipsis Constitutionibus, a Praepositis Generalibus in suis Ordinationibus, scilicet de secreto servando, et quemadmodum instituta sit ratio conscientiae reddendae ad spiritualem profectum subditorum et aedificationem.

In domesticis exhortationibus commendandus usus aperiendae conscientiae. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

Caput III. — De silentii regula exacte servanda.

1. Serio Superiores invigilent in exactam regulae 26 * de silentio observationem; et executioni mandentur quae in Instructione pro Superioribus cap. 3, § 9 habentur. Sed in primis intelligant omnes oportet, quemadmodum extra tempus recreationis semper et ubique tacendum est, praeterquam in casibus et locis in regula expressis; ita, dato signo ad finem recreationis, statim esse silendum.

Statim post recreationem silendum. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus. Ord. Gen. c. 4. n. 21.* * *Communium.*

2. Curent quoque, ut intelligant, cum foras eundem sit, minime loquendum esse, iuxta regulae intellectum, intra urbem, ubi populi est frequentia.

Silentium in frequenti populo.

3. Ut qui in refectorio vel in culina tempore primae et secundae mensae inserviunt, eamdem esse sibi le-

Silentium in refectorio et culina dum inserviunt.

gem servandam putent, quamvis utrisque secunda recreatio permittenda videatur.

Caput IV. — De vitiis linguae, et frequentia litterarum.

Auctores corrigantur. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus. C. 22 d. 14.*

1. Religiose serventur praescripta in libello Industriarum, ea praesertim, quae capite 15 habentur.

2. Superiorum conscientia de hac re, veluti gravissima et inimica unioni et charitati, gravetur, serio ut advigilent, et auctores diligenter inquirant, ut severe puniantur. Qui vero auctores ipsos manifestare recusaverint, pro ipsis habeantur.

Litteras scribendi abusus. *Hic Ord. Gen. c. 4 n. 4, 5.*

3. De inordinata ac nimia communicatione per litteras, si quae in capite 15, a § 7 ad 13, Ordinationum Generalium, nuper praescripta, exsecutioni mandentur, nihil erit quod hac in re desideretur.

Caput V. — De votis, paupertate, castitate et obedientia.

Ex Deputatione pro renovatione spiritus.

1. Pro obedientia et castitate legantur capita quartum et quintum pro Instructione Superiorum, neque enim aliud visum est addendum.

2. Exsecutioni mandentur quae de manifestatione delicti Superioribus facienda censuit Congregatio.

C. 6 d. 32.

Reliquiaria unius aurei pretium ne excedant. *Hic Instr. 1. C. 7 d. 30 n. 4.*

3. Quod ad paupertatis nostrae puritatem attinet, abunde prospectum est in § 7 et 8 Instructionis antiquae pro renovatione spiritus. Praeterea, reliquiaria et his similia, quae collo suspensa circumferuntur, unius aurei pretium minime excedere oportebit.

Usus accipiendi mittendique moderandus.

Usus vero accipiendi mittendique, etiam cum facultate, omnino corrigendus videtur; nec tam faciles se Superiores exhibeant in facienda huiusmodi potestate, praesertim generali.

Caput VI. — De usu poenitentiarum secretarum excitando.

Legantur litterae Patris nostri de hac re. *Ex Deputatione pro renovatione spiritus.*

1. Legendae interdum erunt publice litterae R. P. N. Claudii Aquavivae de usu poenitentiarum iuxta nostri Instituti rationem, nuper scriptae: in quibus ostenditur, non idcirco quod ex regula certas et statutas non habeamus, eas negligi a Religiosis Societatis oportere.

Excitandus usus poenitentiarum.

2. Excitetur tam laudabilis usus, sicubi non ita vigeat, a Superioribus in exhortationibus, extraque illas in privatis colloquis, in iis praesertim, qui iuvenes sunt. Et, sicut inflammandi tepidiores erunt a Praefecto spiritus, a Rectore, et Provinciali in visitatione, ita ferventiores regendi sunt, ne nimium excedant.

Caput VII. — De cautela adhibenda, ne Principum ac Magnatum aulae Nostris obsint.

Ex Deputatione pro renovatione spiritus.

1. Satis prospectum fuerit, si ea, quae capite 15 Industriarum remedia indicantur, Superiores, praesertim Provinciales, adhibuerint.

Serventur praescripta. *Hic Ord. Gen. c. 11.*

2. Ut ostendatur Principibus viris Instructio 21 pro Confessariis Principum, ut ibi praescribitur § 14.

Praeveniantur et praecidantur.

3. Si mala praeveniantur, cum apparent futura ex signis positis in Industriis, et praecidantur initio familiaritates istae cum Principibus, antequam adolescant et radices agant, quae Societati nostrae, nisi fortiter obsistamus, graviter minitantur, praecipue cum Superiores connivent.

Caput VIII. — De humana et politica ratione agendi, praesertim in iunioribus.

Quomodo excitandi. *Ex Deputatione*

1. Excitandi quidem sunt, qui hoc malo laborant, spiritu perfectionis, se-

pro renovatione spiritus. rioque monendi, ne huic pesti Religionis adhaerescant; quod magnopere dedeceat virum Religiosum, qui candorem ac simplicitatem profitetur, dici, nedum politicum esse.

Quomodo artificiis occurrendum. 2. Superiores, cum aliquos humanis iis rationibus, quasi adminiculis, ad suos fines consequendos uti compererint, facto ipso technas ipsorum dissolvant et cuniculos antevertant, praecidendo intercessiones, favores, machinationes, ita, ut eorum consilia irrita omnino reddantur, doceanturque, dum iuvenes sunt, detestari tantum malum in Societate, et servanda curent quae capite 24 in Ordinationibus generalibus praescribuntur. *Hic Ord. Gen. c. 4 n. 12.* Quod si subditis ipsis, ut suos fines propriaque commoda mediis non religiosis assequantur, tam indecorum sit, quid Superioribus fiet, si in hoc ipso, quo gravius, eo turpius peccaverint?

Caput IX. — De recreatione quotidiana religiose transigenda.

Abusus recreationis. *C. 6 d. 6.* 1. Etsi in hac generali Congregatione, quandoquidem minore cum fructu et parum religiose transigi a Nostris tempus recreationis non pauci conquerebantur, serio actum sit de moderanda contrahendaque recreatione ob plurima, quae numerabantur, incommoda, quae religiosam vivendi rationem dedecent; visum est tamen Patribus, momentis rationum hinc inde perpensis, quidquam novi in praesens minime statuere. Verum adnitendum esse pro viribus, ut aliis primum rationibus, quae a diversis propositae fuerunt, quasi periculi faciendi gratia, iretur obviam incommodis, quae in recreationibus nostris alicubi reperiri non sine iactura spiritus plerique dolebant. Quae res cum a Patribus Deputatis pro renovatione spiritus, uti censuit Congregatio, diligenter discussa fuisset, Patris nostri iudicio reiecta est, rationibus nonnullis religiose peragendae allatis, quae sequuntur. *C. 6 d. 38.*

Religiose recreatio facienda. 2. Ut peculiaris hac in re diligentia a Superioribus adhibeatur (quibus praeeundum erit exemplo caeteris) ut recreationis tempus iuxta regulam 56 Praepositi et 55 Rectoris religiose impendatur. Quod nisi recte, et ut Religiosum decet, et ut finis huius institutionis postulat, traducatur; refrigescat spiritus necesse sit plurimumque distrahatur. Quo sane fiet, ut, dum inter nos ea, quae pios viros decent, loqui non assuescimus, deinceps etiam cum externis ea colloquia minime miscere noverimus, quae pietatem redoleant et audientes aedificent.

A quibus abstinendum in recreatione. 3. Advigiletur itaque, ut, non solum exterminentur, si quae sunt, oblocutiones et obmurmurationes; sed explodantur etiam a religiosa recreatione rerum curiosarum et ludicrarum narratiunculae, libertasque et saecularitas indecora. Saeculares autem rumores, qui foris audiuntur, iuxta regulam, nec temere nec sine fructu domi narrentur. *Reg. 37 Comm.*

Quaenam materia religiosa recreationis. *C. 7 d. 80 n. 5.* 4. Proinde suppeditabit abunde materiam recreationi nostrae catalogus a P. Natali piae mem. confectus, qui saltem quotannis ad memoriam excitandam semel atque iterum legendus erit ad mensam; tum lectiones quotidianae, quae in refectorio audiuntur, praesertim litterae annuae; denique spiritualium librorum frequens lectio, si ei tempus iuxta regulam arbitrio Praepositi, et Rectoris, aut Praefecti spiritus, statis horis studiose impendatur.

Sanctissimum Sacramentum invisere.

5. Porro consuetudo visendi Sanctissimum Sacramentum a prandio vel a coena, uti nullo modo generatim praescribenda est ob multas rationes, ita nequaquam omnino prohibenda videtur, si et ipsa loci dispositio faciliorem eam reddat aliquibus, qui sponte velint accedere: quibus Superioris erit, si nimii fuerint, modum iniicere.

Poenitentiae imponendae.

6. Postremo ad praecavenda liberioris conversationis incommoda praemonendi erunt omnes in exhortationibus, ut ab huiusmodi narrationibus et collocutionibus abstineant, adhibeanturque ad eam rem idonei syndici, et submittantur subinde viri probi spirituales, qui sermones sanctos et religiosae recreationi convenientes inducant: nec desint transgredientibus poenitentiae, vel ab ipsamet recreatione ad tempus submovendi, quando hac in re non leviter eos peccasse Superior perspicue animadverterit.

Quibus de rebus Nostri recreationis tempore colloqui possint.

1. De vita Christi et Sanctorum, deque historiis ecclesiasticis.

2. De historiis Societatis tum rerum tum personarum.

3. De bonis cuiusque desideriis ad proficiendum in via perfectionis, deque fructu ex meditatione collecto.

4. De bonis desideriis iuvandi proximos, praesertim inter haereticos et infideles.

5. De rebus, quas in sacris lectionibus aut concionibus audierunt, vel inter prandendum aut coenandum.

6. De spiritu et Instituto Societatis, de Constitutionibus, de Regulis et gratia vocationis, cum humilitate tamen, simplicitate ac devotione in Domino ad perfectam eorum observationem.

7. De sua cuiusque vocatione.

8. De virtutibus, iis praesertim, quae Religiosis peculiares sunt; idque iuxta gratiam et proprietatem nostrae vocationis.

9. De vitiis contrariis, non tamen carnis.

10. De morte, iudicio, inferno, paradiso.

11. De iudiciis Dei occultis ac manifestis.

12. De miseriis mundi, deque periculis eorum, qui in saeculo degunt.

13. De securitate eorum, qui in Societate vivunt, cum humilitate tamen, nihil eam aliis Religiosorum Ordinibus praeferendo, sed ferventi spiritu eius gratiam magnificando in Domino.

14. De bonis operibus, quae conferuntur in proximum.

15. De virtutibus ac religiosa conversatione Patrum ac Fratrum, eorum praesertim, qui vel procul absunt vel requiescunt in Domino.

16. De haereticis et infidelibus nostrae tempestatis, quod spectat ad concipiendum animum, ut adversus illos pugnemus in gladio spiritus, atque oremus ut Dominus eos convertat.

17. De his tandem rebus loquantur, quae possint simul et relaxare animos, et ad spiritualem aedificationem facere. Eae autem erunt, quae minimum habeant speculationis, affectus vero habeant religiose honestos ac suaviter religiosos.

Quaenam vitanda in recreatione.

1. Ne sint Nostri in recreatione singulares, solitarii aut tetrici.

2. Ne leves in actione.

3. Ne immodesti.
4. Ne verbosi.
5. Ne iracundi.
6. Ne contentiosi aut ironici.
7. Ne in incessu incitati.
8. Ne molesti aut acerbi.
9. Ne voce utantur elatiore aut cachinnis.

INSTRUCTIO XIV.

PRO CONCIONATORIBUS.

*Ex Deputatione pro Concionatoribus. C. 6 d. 38. * Est Instr. 2.a Congr. sextae.*

Cum in antiqua Instructione * et Regulis Concionatorum abunde provisum sit, nihil praeterea addendum esse Patres censuerunt, praeter illa duo.

De tempore Concionatoribus attribuendo.

1. Primum, ut, quoniam usu ipso comperimus, sive Operariorum inopia sive Superiorum neglectu, minime exsecutioni mandari quod in *Hic Instr. 2.* § 7 eiusdem Instructionis praescripsimus, ut, qui biennium ad repetenda studia non habuerint, si concionandi talenta non defuerint, per duos annos *C. 7 d. 30 n. 10.* privato studio Sacrae Scripturae, legendisque Patribus, ac sanctae meditationi vacent; operae pretium visum est serio iterumque Provincialibus commendare, ut unius saltem anni spatium iisdem absque ulla dispensatione aut dilatione attribuant.

De necessariis suppeditandis Concionatoribus.

2. Alterum est, ut, quemadmodum, ne paupertatis nostrae sinceritati labes aliqua proprii usus aspergatur, factum videtur satis § 5 Instructionis ad renovationem spiritus, *Hic Instr. 1.* ne duplices vestes in cubiculis et instrumenta ad iter agendum, ut propria, asserventur; ita, ut necessitati iter agentium eorumque, qui in missionibus versantur, cum charitate prospiciatur, adnitendum erit Superioribus, ne quid eiusmodi desideretur; sed liberalem se quisque exhibeat debito cum amore, ne, dum paupertatis velimus amantes nimium videri, charitas ipsa laedatur, et occasio illis detur, dum aliunde inconsulto Superiore sibi providere coguntur, aliquid patrandi, quod proprietatem sapiat. Quare Provincialibus enixe incumbendum erit, ut in maioribus Collegiis, et proportione quadam in minoribus, impensis Provinciae vel aliqua alia ratione, peculiaris quispiam locus sit, in quo huiusmodi res asserventur, ex quo necessaria Concionatoribus atque iter agentibus abunde suppeditentur.

INSTRUCTIO XV.

PRO CONFESSARIIS ET OMNIBUS SACERDOTIBUS.

C. 6 d. 38. Instr. 8.a Congr. sextae.

PRAETER ea, quae in Regulis Sacerdotum et Instructione pro Confessariis statuta sunt, haec visa sunt Patribus Deputatis Congregationis VI praescribenda.

CAPUT I. — *De non accipiendis eleemosynis.*

Interdicuntur eleemosynae ad proprium usum.

1. Cum difficile sit Principibus viris Confessarios de Nostris postulantibus denegare; ut integre hac in re et sincere agatur, neve, dum aliis nostris ministeriis prodesse cupimus, paupertati nostrae damnum inferamus, statuit Congregatio, ubi Instructionem illam pro Confessariis Principum, a R. P. N. Claudio Aquaviva confectam, sua auctoritate sancivit, nemini Nostrorum licere, eo maxime nomine, quod cum Principibus ac viris primariis familiariter agant vel eorum Confessarii sint, ab iis quicquam ad proprium usum ac dispositionem accipere; neque Superiores ad eam rem potestatem facere posse: eo nequaquam impune abire permisso, qui hac in re defecisse deprehenderetur. Quod item omnino iudicium esse voluit de aliis Confessariis, Concionatoribus, Praeceptoribus et similibus erga poenitentes, devotos, consanguineos, amicos; maxime vero de iis, qui in missionibus versantur.

C. 6 d. 21.

Ord. Gen. c. 11. Ord. Gen. c. 4 n. 9.

Superioribus facultas adimitur.

C. 7 d. 80 n. 14.

C. 6 d. 39 n. 3, 4.

Quomodo dispensanda.

2. Quod si sponte aliquid offeratur aut cuipiam mittatur, id iuxta regulam 64 Praepositi et 60 Rectoris in communem usum accipiatur et dispensetur. In casibus vero peculiaribus, prudentiae Superiorum permittitur perpendere quid expediat, et, ubi dubium inciderit, ad Praepositum Generalem referre.

CAPUT II. — *De visitandis mulieribus.*

Omnes Ordinationes de visitandis mulieribus discussae in Deputatione, a Generali Congregatione confirmatae.

** Hic d. 7.*

Quoniam decreto 19 * Congregationis sextae Patribus Deputatis ad renovationem spiritus cura demandata fuit diligenter inspiciendi, utrum Instructionibus atque Ordinationibus a R. P. N. Generali saepe repetitis circa visitationes feminarum aliquid esset addendum; post diligentem rei discussionem retulerunt Congregationi se percurrisse et expendisse omnia, quae hac de re scripta sunt, nimirum: Instructionem tertiam pro Confessariis, illa praesertim capita, quae ad confessiones, colloquia et visitationes mulierum spectant, tum caput duodecimum Ordinationum Generalium, quod totum versatur in executione regulae 18 Sacerdotum, una cum eorumdem Regulis eiusdem argumenti; denique binas litteras missas ad Provincias, alteras 21 Decembris 1605, quae totae in eodem versantur, alteras 23 Novembris 1607, de Nostris associandis, cum domo egrediuntur, inscriptas; in quarum postremis magnopere inculcatur ob-

servatio eiusdem regulae 18. Atque omnibus visum est abunde praedictis Ordinationibus prospectum esse, quantum in humanis prospici potest, nec quicquam amplius desiderari posse, praeter exactam exsecutionem. Quorum iudicium universa Congregatio confirmavit.

C. 6 d. 43.

Ex litteris Patris nostri datis 21 Decembris 1605.

Singulis mensibus de hac re inquirendum.

1. Praescribitur, ut Superiores immediati, praeter quotidianam sollicitudinem, singulis mensibus diligenter investigent, quonam modo hac in parte res se habeat.

Coadiutores tenentur Superiori referre.

2. Ut Fratres Coadiutores doceantur, cum vesperi Domum redeunt, debere se ad Superiorem referre, an Sacerdos vel quivis alius qualibet ex causa regulam fregerit; severiusque animadvertatur in socios, qui minus fideles hac in re se gesserint, admonitis eorum Confessariis, ut conscientias eorum gravent, si id non faciant; significeturque hoc ipsum in commune Coadiutoribus, ne ignorantiam excusent. Porro in sociis assignandis, etiam Sacerdotibus, impensior cura et delectus habeatur.

De frequenter confitentibus. Instr. 8.

3. Ut accurate serventur quae § 3, 4 et 6 continentur, de remediis, quibus erga eas uti convenit, quae frequentius confitentur, et largas tamen moras in confessionalibus trahunt. Itemque quod de syndicis cavetur § 5, et de visitationibus § 7, quod nimirum sine urgentibus rationibus institui visitationes non debeant, earumque dumtaxat personarum, quae dignae hoc officio et minime suspectae videantur.

Confessionalia congrue disponantur.

4. Quod ad confessiones attinet, quae in templo audiuntur, Superioribus curandum praescribitur, ut confessionalia patentibus locis constituantur, eaque ita inter se collocentur, ut unus Confessarius sit quodammodo socius alterius: visitabitque subinde Superior, ne suis locis moveantur, et ut crates integrae sint atque minutae.

Tempus ecclesiam adeundi.

5. Cavetur, ne mane intempestive, aut serius vesperi (nisi forte cum magna est frequentia et sufficientibus tum facibus accensis), neque interdiu item a prandio recreationis tempore, aliove, quo ire omnes non solent, in ecclesiam eant Sacerdotes, nisi nominatim accersantur, praeter eos, qui ad diem illum sunt designati.

Modus in mulierculis iuvandis adhibendus.

6. Ne Confessarii, pauperum mulierum iuvandarum praetextu, maiorem, quam deceat, familiaritatem contrahant: et ut eleemosynae, iuxta regulam Sacerdotum 22, cum consensu Superioris fiant, atque aliena potius manu, quam per ipsos, quoad eius fieri poterit. Quantumvis enim a charitate inchoetur, res tamen decursu temporis periculi plena, aut certis calumniis obnoxia fit.

Superior investiget an hae Ordinationes serventur.

7. Ut immediatus Superior una cum Praefecto ecclesiae, aedituo et syndico quopiam secreto, seorsimve cum singulis expendat, quemadmodum se res habeant, et quam accurate in ecclesia praescriptae Ordinationes serventur: moneanturque Consultores omnes, quod inter capita, de quibus ad Generalem sive ad Provincialem scribent, hoc unum esse oportebit, quemadmodum scilicet superiora serventur, ac praecipue circa visitationes ac socios.

Missiones identidem faciendae.

8. Ut omnes Confessarii, quod alias enixius commendatum est, per unius mensis spatium ad missionem aliquam destinentur (iis dumtaxat exceptis, qui graves ob causas, vel

invaletudinis vel senectutis, minime idonei ad id muneris iudicio Provincialis videbuntur), quae res cum magnae aedificationi libertatique poenitentium cessura sit (ut de fructu non dicamus, qui ex missionibus ipsis colligetur), serio Superioribus inculcatur, ut exsecutioni mandent, omni difficultate pervicta.

Libertas facienda poenitenti confitendi alteri.

9. Demum urgendam esse regulam de non admittenda ullius poenitentis obedientia, et de potestate alios Confessarios adeundi libenter facienda; utque ab omni adhaerentis affectus specie alienos se Nostri ostendant. Quod si qua erit, quae nimis crebro, qualicumque praetextu, redire videatur, alium ei Confessarium designare oportebit, curareque, ut prior illam a se dimittat.

Ex litteris 13 Novembris 1607. – De obligatione sociorum ad Superiorem deferendi.

Tenentur socii Superiori referre.

1. In postremis, post seriam commendationem toties repetitae regulae 18 Sacerdotum, ut ostendat quanti illa facienda sit, et in praxim prompte et efficaciter a Superioribus redigatur, praescribit iisdem, ut, quam primum has acceperint, Fratres omnes advocent et admoneant sui officii, scilicet ipsos arctissime teneri, ut Superiori referant sub vesperam eo ipso die, si forte Sacerdos vel alius regulam de socio secum habendo non servaverit: quod de iis omnibus, quamvis Sacerdotibus vel Scholaribus, intelligi vult, qui socii alterius fuerint.

Poenitentia sociis iniungenda.

2. Ut illi poenitentiam trium disciplinarum subeundam sibi esse prima vice intelligant, si Superiorem non admonuerint. Quod si iterum in eamdem negligentiae culpam inciderint, admoneri Generalem oportebit, ut deliberet, an in Societate tales retinendi sint, qui in re, quam tanti Societas merito facit, parum fideles sese praestiterint. Quamvis de publicis disciplinis imponendis Superioris prudentiae permittatur, sicubi hoc medio cum aliqua nota defectum Sacerdotis publicari intellexerit; quo tamen in casu secretae minime praetereundae erunt.

Omne genus visitationum Regula socii comprehendi.

Caeterum haec Ordinatio de socio, praeter Sacerdotes, non solum caeteros amplectitur, qui Sacerdotes non sunt, sive mulieres invisant, sive alios ex Nostris comitentur; sed etiam quaecumque genera visitationum comprehendit, ne (ut religiosae decentiae consulatur) ullibi socium solum esse permittant, nisi personae, quas adeunt, eae sint, ut per negotia, quae secretum postulent, aut per urbanitatem ipsam minime liceat esse cum socio.

INSTRUCTIO XVI.

PRO NOVITIIS.

Novitii Regulis instruantur. *Ex Deputat. pro Novitiis. Est Instr. 4.a Congr. sextae.*

1. VALDE commendatum esse cupimus Magistro Novitiorum, ut, iuxta regulam 44, Novitii, antequam ad Collegia educantur (ad quae tempore vacationum generalium ordinarie minime mittendi erunt), probe instructi a Regulis sint: e quibus quemadmodum plurimum peti debet materia exhortationum, ita non multum erit in singulis Regulis immorandum, ut omnes, si fieri possit, ante biennium absolvantur: neque idcirco alterius generis exhortationes interdicuntur, quas ipse profuturas Novitiis existimabit.

Exercitia integra semel obeunda.

2. Ut, quemadmodum iuxta regulam 28 et 37 Magistri Novitiorum Spiritualia Exercitia exacte omnibus in principio obeunda sunt, ita minime integre repetenda altero anno, sed ex parte, iuxta regulam 39; quando ita in Domino expedire iudicatum fuerit.

Manifestanda Novitiis. *Decr. 32, 34. C. 7 d. 80 n. 16.*

3. Quae de manifestatione delicti Superiori facienda probata ac sancita sunt in sexta generali Congregatione, ostendenda sunt Novitiis et declaranda, iuxta regulam 15 Magistri Novitiorum, inter alia, quae ibidem ipsis proponenda explicandaque paulatim dicuntur.

INSTRUCTIO XVII.

PRO SCHOLASTICIS.

Est Instr. 5.a Congr. sextae.

CUM ad primitias spiritus ac fervorem, quem initio hausimus in Societate, conservandum promovendumque tanti sit educatio nostrorum Fratrum, qui studiis dant operam; haec pauca ad eos, quales Instituti nostri ratio postulat, efformandos addenda censuimus veteri Instructioni.

Hic Instr. 7.

Raro Scholastici ad ianuam accedant. *C. 7 d. 80 n. 17. C. 6 d. 40. n. 1.*

1. Ut ad § 2, in quo praescribitur, ne assuescant nimis colloqui cum externis aut amicis, illud addatur: ut ad ianuam, nisi de unius Rectoris expressa licentia, non vocentur, quam raro admodum oportebit illum concedere; eumdemque invigilare, ne prolixa sint eorum cum externis colloquia. Nisi forte in locis, ubi sunt Universitates, indulgeri plusculum videri possit, ut, Provincialis vel Rectoris iudicio, aliquibus ex Nostris viris probis ac spiritualibus cura demandetur, quo in spiritu iuventur.

Colloquia cum externis interdicuntur. *Ex Deput. pro Schol. in Congr. sexta.*

Hora Magistros adeundi assignanda.

2. Etsi in universum minime visum est praescribere, ne Scholastici

C. 6 d. 40 n. 5. suorum Magistrorum cubicula ingrediantur; nihilominus tamen, cum alicubi mos esse dicatur, ut non studiorum tantum causa Scholastici suos Praeceptores in cubiculis adeant, censuit Congregatio declarandum esse, facturos ipsos contra regulam communem (qua nemini in alienum cubiculum ingredi licet sine generali aut speciali Superioris facultate), si aliam ob causam, quam solam studiorum, in eorum intrent cubicula aut commorentur. Proinde expedire visum est, ut Superior ipse designet horam Magistris opportunam, qua possint adiri, extra quam, si necesse fuerit Scholasticos agere cum iisdem Praeceptoribus eorumque cubicula ingredi, petant iuxta regulam sibi fieri a Superiore potestatem.

Reg. 38 Comm.

C. 7 d. 80 n. 18.

Reg. 38 Comm.

Generalis facultas mutuo in sua cubicula ingrediendi Magistris interdicitur. C. 6 d. 40 n. 6.

3. Operae pretium visum est, ob incommoda quae usu comperta sunt, si alicubi generalis facultas dari consuevit aut huiusmsdi mos invaluit, ut Magistri in sua mutuo cubicula intrent absque particulari licentia, id in posterum omnibus interdici; in casibus vero particularibus Superiores ipsi expendant quid in Domino expediat.

Die recreationis in vinea ut tempus distribuendum. C. 6 d. 40 n. 7.

4. Ut die recreationis hebdomadariae, cum itur ad praedium seu vineam, ibique coenatur, meridie per unam vel alteram horam Scholastici partim studeant, partim orationem matutinam perficiant; quo tempore nulli fas sit vel ludere vel confabulari, nisi, eo elapso, signum detur ad recreandum.

Die recreationis in Collegiis quomodo tempus distribuendum. C. 6 d. 40 n. 9.

5. Cum vero per coeli iniurias vel alias ob causas die recreationis neque ad praedium neque deambulatum ire licuerit, mane ad recreationem non pulsetur, sed vacetur studiis : a prandio vero, peracta recreatione ordinaria, mora aliqua interposita, detur signum ad recreationem per tres horas. Superioris autem erit praecavere, ne irreligiosi clamores, itemque ludi, qui a vicinis audiri possint, permittantur.

Magistri ne inutiliter cum externis colloquia protrahant. C. 6 d. 40 n. 2.

6. De Magistris autem, etsi nihil in praesens visum est addendum ad ipsorum Regulas, Superioribus tamen iniungitur, ut diligenter invigilent, ne in colloquiis, quae necessario haberi debent cum externis suis scholasticis, diutius commorentur, praesertim cum uno aliquo, tempusve inutiliter ac parum religiose insumant.

Triduana recollectio ante votorum renovationem. C. 6 d. 29 n. 1. C. 7 d. 77.

7. Ut ante renovationem votorum instituatur vacatio per triduum, ita ut ab aliis occupationibus, etiam litterariis, praeterquam ab ordinariis lectionibus matutinis aut pomeridianis, sicubi fuerint, vacetur. Cuius rei causa peropportunum et peraccommodum tempus Superiores excogitabunt : exempli causa, in hieme natalitias vacationes, ubi per totam hebdomadam a studiis feriatur; in quibus vota renovaturi per triduum exercebuntur in rebus spiritualibus iuxta Instructionem, quae duo capita complectitur. Primum, ut ad colloquia vel negotia cum externis ad ianuam, vel ad recreationem cum domesticis illo triduo non admittantur. Alterum est, quod, cum finis sit harum feriarum spiritualium, ut ex occasione renovationis votorum unusquisque sedulo incumbat in omnimodam suimet reformationem per examen et confessionem generalem, seque ipsum introspiciat, expendendo statum animae suae, et vocationis tam singulare donum agnoscendo, quae tam arcte pariter quemque obligat ad divinae Maiestati pro virili parte respondendum; operae pretium erit aliquot

Instructio pro triduo rite impendendo.

C. 12 d. 16.

horis meditationi et orationi, praeter pii alicuius libelli lectionem, impense vacare: atque in eum finem usui esse poterunt nonnullae meditationes, quas hac de re P. Franciscus Borgia fel. mem. scriptas reliquit, aut id genus aliae, quas Superior vel Praefectus spiritus fini, quem intendit Societas, profuturas iudicaverint.

INSTRUCTIO XVIII.

PRO EXSECUTIONE URGENDA.

Fiat catalogus eorum, quae Superioribus praestanda sunt. *Instr. decima Congr. sextae. C. 6 d. 36 n. 1.*

1. Ad faciliorem notitiam eorum, quae Superiores scire convenit, ut ea exsequi possint, operae pretium visum est confici catalogum eorum, quae Superioribus tum Provincialibus tum localibus praestanda sunt; ut omnia, sive ex Regulis sive ex Ordinationibus compendio collecta, memoriae subsidio sint.

Quid singulis hebdomadis vel alternis. *C. 6 d. 36 n. 2.*

2. Proderit ad eamdem notitiam, ut Superiores cum suis Consultoribus tempore ordinariae consultationis singulis hebdomadis una perlegant aliquid ex Regulis, vel Ordinationibus, vel Instructionibus, et similibus.

Quid singulis mensibus. *C. 6 d. 36 n. 3.*

3. Singulis quibusque mensibus legi oportebit in consultatione memoriale earum rerum, quae a Provinciali vel Visitatore executioni mandandae relictae sunt, tum ne memoria excidant, tum ut suo tempore a Consultoribus moneri possit Provincialis de exsecutione.

Quibus memoriale communicandum.

Ideoque eisdem, quemadmodum et Admonitori, communicandum erit eiusmodi memorialis exemplar, iis expunctis, quae particulares personas attingunt. Caeterum enixe commendatur Visitatoribus ac Provincialibus, ut a novis Ordinationibus absque necessitate multiplicandis abstineant, easque relinquant, quae facile executioni mandari possint, easque non nisi primum Superioribus, iisque, qui iudicium ferre poterunt, ostensas, iuxta Regulam 134 Provincialis.

Ne Ordinationes multiplicentur, Superiores primum audiendi.

Expedit enim ob difficultates, quae ex ipsis Ordinationibus oriuntur, praesentem potius audire quam absentem, et expungere, si quae expungendae erunt, vel Superiorem caeterosque capaces reddere, et ad exsecutionem cohortari.

De quibus ad Provincialem scribent Consultores. *C. 6 d. 36 n. 4.*

4. Formanda aliqua capita, de quibus Superiores et Consultores suis temporibus ad Provincialem scribant, ne in scribendo in incertum vagentur, eaque negligant, de quibus necessario esset Provincialis monendus: haec autem desumi poterunt ex Instructione pro Consultoribus.

Agatur in consultatione de exsecutione. *C. 6 d. 36 n. 5.*

5. Superioribus localibus praescribitur, ut semel in mense, prima videlicet hebdomada, pro ordinaria consultatione agatur de exsecutione, scilicet: an aliquid domi sit, quod negligi videatur; an vigeat Regularum observatio, tam Communium quam Officialium; an notetur aliquarum frequens transgressio; an Superiorum Ordinationes exsecutioni mandatae sint, praesertim eae, quae in memoriali relictae sunt a Provinciali, quae

eodem ipso tempore legendae erunt, si nondum executioni mandatae fuerint. Porro de hoc capite specialiter et diserte scribant ad Praepositum Generalem et ad Provincialem Consultores.

Scribant de hac re ad Generalem et Provincialem Consultores.

6. Principio cuiusque mensis instituat Provincialis cum suis Consultoribus consultationem, in qua inquirat quemadmodum se habeat totius Provinciae disciplina, quid de ea sciatur, quid audiatur, quid ipsemet Provincialis a Rectoribus eorumdemque Consultoribus acceperit. An vero huiusmodi consultationes fiant, quo fructu ac satisfatione, monendus erit Praepositus Generalis a Consultoribus, cum ad eumdem quater in anno * scribunt.

Quid praestandum Provinciali singulis mensibus. C. 6 d. 36 n. 6.

* Vide tamen C. 7 d. 91.

Quare, ad faciliorem usum, praescribi oporteret nonnulla capita singulis mensibus in consultationibus examinanda, iis magis inhaerendo, quibus nondum plene satisfactum videtur, praesertim circa abusus, si qui in Provincia sint.

C. 6 d. 36 n. 7.

7. Adnitendum Provincialibus pro viribus, ut sibi Superiores locales devinciant, et amanter confidenterque cum illis agant, ostendantque se de felici illorum gubernationis successu, et auctoritate apud subditos tuenda esse sollicitos.

Provincialis Superiores tueatur. C. 6 d. 37 n. 1.

8. Ut examinentur diligenter querelae subditorum contra Superioris rigorem, ad singulares casus descendendo; ne rigorem appellare consuescant, religiosam disciplinam a subditis velle exigere et exactam Regularum observationem: perpendaturque, cur de nonnullis Superioribus rarae admodum interdum obaudiantur querelae; an quia, licet fortes in disciplina, suaves tamen sunt; an vero quia remissi et indulgentes, quique neminem contristare velint, ut in pace vivant.

Subditorum querelae examinandae. C. 6 d. 37 n. 2.

9. Ut mediati Superiores non ita facile credant delationibus, expendentes et rationes et excusationes, quas afferunt immediati; et, ubi sine culpa fuerint inventi, monendi serio a Provinciali delatores erunt, ut cautiores sint in posterum: curentque, ut subditi intelligant valde probari sibi zelum Superiorum in promovenda disciplina iuxta officii sui munus. Proinde Superiores mediati, sive praesentes sive absentes sint, nullam omittant occasionem immediatos ad executionem cohortandi urgendique: per quos pari ratione inferiores omnes ad eamdem excitandi erunt.

Caute delationibus credendum. C. 6 d. 37 n. 3.

Hortandi omnes ad exsecutionem. C. 6 d. 37 n. 5.

10. Promovebit non parum exsecutionem, si vigebit disciplina et usus reprehensionum aliarumque poenitentiarum in transgressores legum, praesertim negligentes paterna monita, servato ordine in regula 28 Praepositi et 27 Rectoris praescripto: ita ut omnino sibi persuadeant subditi, veniendum tandem fore ad extrema, dimissionem videlicet, si opus fuerit, quando caetera media nihil profuerint. Qui sane regularis observantiae rigor universos attingere debebit, vel antiquiores et seniores ipsos, immo et Superiores, si officio suo defuerint, ad aliorum aedificationem et satisfactionem, et quo liberius exsecutionem promovere queant; omnesque intelligant nullam sibi iniuriam fieri, aut notam aliquam infamiae inuri, si ob regulares defectus publicis poenitentiis multentur.

Poenitentiis exsecutio promovenda. C. 6 d. 37 n. 6.

Omnes, etiam Superiores, in religiosa disciplina continendi.

11. Caeterum, cum exsecutio potissimum posita sit in opere ipso urgendo, potius quam in legibus scribendis, expedit, ut Visitator ac Provincialis in suis visitationibus ea,

Praesente Provinciali exsecutioni mandanda sunt. C. 6 d. 37 n. 7.

quae remedio egere intellexerint; quippe quae liquido Regulis adversentur, neque moram patiantur, curent omnino ante suum e Collegio discessum exsecutioni mandare. Quo fiet, ut maiore suavitate et efficacia fiant, et Superiores immediati gravi quadam molestia deonerentur; ipsique met incipient quae sunt muneris sui exsequi, minimeque ad Provincialis adventum medicinas malorum praestolari. Quae vero statim exsecutioni mandari non poterunt, in memoriali, ut dictum est, notentur. Quod si in postera visitatione Superioris culpa nonnulla neglecta fuisse deprehenderit, is minime impunitus abire debebit, ne subditi offendantur, opinantes ea solum fieri, quae Praeposito aut Rectori arrident, caetera oscitanter negligi. Porro Superiores, qui continenter negligentes ac remissi in Ordinationum exsecutione fuerint, removendi omnino erunt ab hoc munere, Generali Praeposito praemonito, ne ipsorum nimia connivèntia religiosa disciplina penitus dilabatur.

Superiores remissi vel corrigendi, vel amovendi.

12. Postremo plurimum momenti habebit, si Superiores omnes Societatis cum Praeposito Generali, et locales cum Provinciali ad urgendam exsecutionem conspirent: ita ut omnes intelligant sibique persuadeant unum eumdemque in Societate animum esse in disciplina promovenda, neque ad Superiores mediatos recursus in hac re quidquam prodesse posse. Eamdemque conspirationem in quolibet Collegio aut Domo esse oportebit in Superiore cum suis Consultoribus, Admonitore, et Praefecto spiritus, aliisque, qui promovere possunt exsecutionem, ita ut idem sentiant et dicant omnes. Quod si antiquiores aliquos obloqui de ea contigerit, monendi serio et coercendi erunt, si necesse fuerit, etiam publicis poenitentiis, ne alios turbent minusque suavem exsecutionem reddant.

Superiorum consensus in disciplina promovenda. *C. 6 d. 37 n. 4.*

INSTRUCTIO XIX.

DE PROMOVENDIS AD GRADUS SOCIETATIS.

Ad partem III, de examine in litteris faciendo, haec addenda.

Ne perfunctorie periculum doctrinae fiat. *Instr. undecima Congr. sextae.*

1. Ne examen doctrinae perfunctorie fiat, sed serio, et ut vere constet Praeposito Generali de sufficientia litterarum; proinde exacte servanda curent Provinciales quae eodem capite praescribuntur.

Examinatorum iudicia scribantur.

2. Ut in libro quodam peculiari, penes Provincialem asservato, Examinatorum iudicia scribantur, singulorum singula, die et anno annotatis ab ipso Provinciali, vel ab eo, qui praeerit examini; quamvis et ab unoquoque Examinatore idem iudicium seorsim scribendum erit ad Generalem. Ii vero, cum iudicium de doctrina ferunt, vel ad Praepositum Generalem scribunt, solum de sufficientia in litteris loquantur, tantane sit quanta in Constitutionibus requiritur; an videlicet supra mediocritatem sit, vel

Quomodo ferendum iudicium.

quo tandem gradu, iuxta Formulam Scribendi, minime recensitis superfluis, aut concionandi gubernandique talentis (de quibus in informationibus locus est agendi), et Praepositi Generalis erit diiudicare ac dispensare, si necesse fuerit.

Assertionum materia tempusque assignetur. Ex Deput. pro studiis. C. 8. d. 87, ad 4.

3. Etsi quatuor minimum assertiones ex quatuor partibus S. Thomae et tres ex cursu philosophico (Logica scilicet, Physica et Metaphysica, quarum unaquaeque tria membra saltem habebit) defendere debebit qui examinandus est ad professionem; tamen eae esse debent huiusmodi conclusiones, ut minimum praecipuas Theologiae ac Philosophiae difficultates et materias involvant, quae ab ipso Superiore cum Praefecto studiorum examinando assignentur, cui, quod satis sit spatii, necesse erit dare, ne imparatus accedat.

INSTRUCTIO XX.

AD STUDIA PROMOVENDA.

Cohortatio ad humaniora studia promovenda. Ex Deput. pro studiis, Instr. duodecima Congr. sextae.

Inter alias saepe diversis ex causis Litterarum Humaniorum studium valde commendavimus, cum minime obscurum sit quantopere Dominus Deus noster vel ab ipso exordio Societatis nostrae animarum auxilium, praesertim adolescentium, hac ratione promoverit: nunc tamen, quando nova se offert occasio, ex variis Instructionibus, inter caeteras hanc unam pro studiis, confectam in Deputatione de hac re habita in sexta generali Congregatione, ad Provincias mittendi nullo modo praetereundum visum est (ob varias quaerelas a Patribus compluribus habitas, quarum nos quoque nonnullas multo ante inaudiveramus, huiusmodi litteras non solum non florere, ut antea in Societate, sed alicubi etiam languere apud Nostros), quin iterum maioremque in modum perhortaremur Superiores, in primis Provinciales, ut omni studio excitare atque accendere connitantur harum litterarum studium, non solum in Nostris, verum etiam in externis. Quandoquidem certum est huiusmodi defectum oriri, non tam ex perexiguo numero eorum, qui possint, quam qui velint se illis addicere; ac perlevi etiam Superiorum propensione et industria in illis, ut oportet, fovendis promovendisque.

Maximi faciant Superiores haec studia.

1. Quam ob rem magnopere optamus, ut Provinciales omnes, non solum servanda curent diligenter quae hac in parte in libro Studiorum praescripta sunt, Regulis praesertim suis 18, 22, 24, 26, 29, 38, atque in 8, 9, 10, 11, et 20 Rectoris; sed re ipsa iidem ostendant sibi cordi esse haec studia plurimique eos facere, qui ea non vulgariter callent, ut eorum quasi patrocinio magis inflammentur, excitenturque alii ad eadem alacriter amplectenda.

Causae et remedia quaerenda.

2. Ut in hoc quasi primo congressu Provinciales cum suis Consultoribus, advocatis iis, qui diu multumque in hac palaestra versati fuerint, serio

ac sedulo agant de causis deque auxilio ferendo; et sicubi forte minime remedio opus fuerit, adnitendum illis erit, ut magis ac magis promoveantur; curentque, ut, post exactam exsecutionem eorum, quae in libro Studiorum praescribuntur, si quid amplius occurrerit, quod non parum profuturum sperent, tum ad stili comparationem, tum ad auctores exacte et cum fructu legendos, periculum faciant et ad nos mittant exemplum; quemadmodum Provincialibus faciendum erit, cum singillatim, quid hac in re praestiterint, admonendi erimus.

Quid Generali suggerendum.

Quinam ad haec studia applicandi.

3. Caeterum ad haec studia promovenda satis erit praesidii, si non solum eos in Societatem admittant, quoad eius fieri poterit, qui probe ab illis instructi paratique sint; verum etiam, si pro viribus studebunt non vulgares ingenio et ad caetera parum aptos ad haec studia addicere, sed eos, qui, praeter vim ingenii, aliarum scientiarum praesidia ac lucem habuerint. Quo fiet, ut et haec studia in pretio apud alios haberi incipiant, et quam plurimi his in litteris hoc nomine nobiliores fiant, in quibus difficilius fortasse fuerit vel unum quempiam invenire, quam non paucos in aliis scientiis, experientia hoc ipsum in dies edocente.

Latine loqui. *P. 4 c. 6 n. 18.*

4. Quandoquidem B. P. N. Ignatius inter caetera ad studia promovenda hoc unum tamquam praecipuum, iis praesertim, qui Humanioribus vacant, latini sermonis usurpationem esse voluerit, serio Superiores incumbere oportebit in exactam regulae communis observationem, in 8 Rectoris libri Studiorum explicatam: in qua cum dicitur, *dies vacationum*, non generales studiorum feriae intelligendae sunt, sed hebdomadariae tantum, eorumque dierum spatium, quibus commorabuntur in villis.

Quando vulgari idiomate loqui liceat.

Ad actus theologicos statuendos alterius iudicium ad Magistrorum et Praefecti adiungi potest. *Reg. 7 Praef. stud.*

5. Etsi, cum sive totius Theologiae sive partis alicuius theses defendendae sunt, satis superque videantur esse Magistrorum ac Praefecti studiorum iudicia, quibus discipulorum doctrina perspecta esse debebit, tamen, si iustas ob causas Provinciali videretur esse alius adiungendus, idque commode fieri possit, permittimus eius arbitrio: dummodo is sit, qui et iudicium de doctrina tuto ferre possit, et eos, de quibus iudicandum est, probe noverit.

Casus conscientiae commendantur.

6. Curandum insuper est, ut theologi et casistae Scholastici in casibus conscientiae maxime instructi sint, cum minime obscurum sit quam res pernecessaria sit Operariis Societatis. In quam quidem rem vehementer cupimus a Superioribus diligenter incumbi; ut fructus re ipsa constet, ratione ad eum consequendum ab ipsis excogitata: quamvis abunde satis nobis prospectum videatur, si hebdomadaria casuum collatio in primariis Collegiis, iuxta regulam Provincialis in libro Studiorum, diligenter habeatur.

Reg. 14 Prov. Reg. 7 Prof. cas. consc.

INSTRUCTIO XXI.

Ex Deput. pro Super.

PRO VISITATIONE PROVINCIALIS,

EX VARIIS REGULIS, ORDINATIONIBUS ET INSTRUCTIONIBUS COLLECTA.

QUEMADMODUM SE GERAT PROVINCIALIS IN OBEUNDA PROVINCIA CUM FRUCTU, DEQUE EIUSDEM STATU PRAEPOSITO GENERALI APERIENDO.

Instr. decima tertia Congr. sextae.

Regulae Provincialis.

Cum sit valde proprium Provincialis officii Provinciam obire, praeter ea, quae habentur capite 9, 12, 14 et 15, et ibidem regula 29 et 69, ne quid eorum praetereat, quae sui muneris sunt, et ut Generali Praeposito, uti par est, status totius Provinciae innotescat, haec fere in visitatione praestanda illi erunt.

Quae Instructiones in visitatione, et cum quibus legendae.

Instr. pro Sup. c. 1.

1. Primo iuvabit, si, dum Provinciae suae loca visitat (tum maxime cum et temporis spatium permittere et necessitas aliqua id postulare videbitur), ex Instructionibus singulas cum singulis legat, ad quos spectant, praeter proprias Regulas officii cuiusque, scilicet pro Praefectis spiritualibus formandis, pro Concionatoribus, pro Confessariis, pro missionibus, pro Novitiis cum eorum Magistro, pro tertium annum agentibus cum Instructore. Praeterea coram Rectore, Ministro et Consultoribus Instructionem pro Confessariis, de ratione scribendi, de renovatione spiritus, pro Coadiutoribus, pro annuis colligendis, et pro Scholasticis, ubi eorumdem est Seminarium: proderitque non parum in primo congressu litteras ad Superiores datas anno 1604, die 20 Augusti, percurrere.

Quae in visitatione Universitatum et studiorum.

2. In Universitatibus iuvabit eodem modo, si, praeter Regulas officii sui cap. 6, percurrat item suas, quae sunt in libro Studiorum, cum Rectore Regulas eiusdem, cum Praefecto studiorum et quas habet proprias et quas communes Professoribus superiorum Facultatum, et cum singulis eorumdem singulas, denique cum Praefecto inferiorum Facultatum Regulas eiusdem et communes Professoribus earumdem.

An Ordinationes serventur. * *Ord. Gen. c. 2 n. 1.*

3. Intelligat, an ex Ordinationibus Generalium quae statuta sunt * de libris prohibitis, quaeve circa monita ad Provinciales *(quae hic reperies inserta Ordin. Gen. partim cap. 1, § 6, 7, 8, partim cap. 2, § 6, 8, 9, et partim cap. 4, § 4, 5 et 8)*, horam * considerationis, ** intercessiones et patrocinia praescripta sunt; quaeque * in Formula Scribendi Superioribus et Consultoribus praescribuntur, serventur. Interroget quoque, num aliquid contra canones 12, 13, 20 quintae Congregationis generalis commissum sit; an in sua vel aliena Provincia quispiam sit, qui malo vitae exemplo vel doctrina caeteris obsit; moneatque Generalem, quemadmodum ipsi Provinciales ex decreto sextae Congregationis tenentur.

* *Ord. Gen. c. 2 n. 5.* ** *Instr. pro Sup. c. 4 n. 4.* * *Reg. 92 Prov.* *Industr. c. 15.* *C. 6 d. 2.*

Quid ipse praestabit. * *Reg. 13, 14, 15 Prov. in Rat. Stud.* ** *Reg. 24 Rect.*

4. Cognoscat, an fiant * conferentiae casuum, ** an exhortationes alternis hebdomadis fructuose et ad

Instr. pro Sup. c. 1.

cor, an item conferentiae de Instituto quinto decimo quoque die inter Rectorem, Consultores et quos Provincialis designarit, et an ea de re ad Generalem scribant. Ipse vero nullum Collegium praetereat, quin semel saltem huiusmodi conferentiis intersit, ut illas dirigat. Porro Superiores instruat, iuxta praescripta in Formula de aptis ad gubernandum, in Instructione pro Superioribus *, et in litteris ad Superiores impressis, et in Regulis Visitatoris 24, 26, 27, 40, 41, 42 et 43, sensimque periculum faciat de iis, quos ad regimen iudicabit idoneos.

Ord. Gen. c. 17 p. 1 n. 2, 3.

** Cap. 1.*

Reg. 29 Prov.

Quae de Superioribus quaerenda.

5. Exigat ab aliquibus disciplinae amantibus, bonoque iudicio ac prudentia praeditis, quemadmodum Superiores in rebus spiritualibus se habeant; an passiones doment et virtutes acquirant, num cum externis nimium occupentur, et ad exteriora sint nimium effusi; quam serio spirituali curae cultuique interno subditorum vacent; politicene, an paterne regant. De Praefectis itidem spiritualibus, quemadmodum suo munere fungantur, et an exemplo et instructione iuvent in spiritu.

De Congregationibus et scholis.

** Reg. 103 Prov.*

6. Congregationes et oratoria, quae in nostris locis habentur, * invisat; eorumque Regulas examinet, an serventur, et an accommodatae sint ad illarum finem; idemque de academiis ex earum Patribus intelligat, quas habeant exercitationes, de fructu, deque Regularum observatione; * a Praefecto vero atrii vel scholarum inferiorum cognoscat tum Magistrorum tum Scholasticorum externorum disciplinam.

** Reg. 22 Rect. in Rat. Stud.*

De quibus consultet.

7. In Domo Professa vel in maximo Collegio quotannis consultationem instituat, advocatis, praeter suos Consultores, aliquibus antiquioribus Patribus, in qua de rebus maioris momenti pertractet, inter caetera * de promovendis ad gradus, ** de aptis ad gubernandum, de satisfactione, quae auditur de gubernatione singulorum Superiorum Provinciae, de Praefectis rerum spiritualium instituendis et Seminariis praefigendis, denique de sacris initiandis vel ad tertium probationis annum mittendis, et similibus.

** Reg. 69 Prov. Ord. Gen. c. 18. parte 1 n. 2.*

*** Ord. Gen. c. 17 n. 1, 5, 6.*

Quae legenda quotannis ad mensam.

8. Curet quotannis singulis in Collegiis ac Domibus ad mensam legi ante renovationem votorum litteras de renovatione spiritus, de perfectione et charitate fraterna, de conservatione Instituti, Regulas Scholasticorum et Coadiutorum temporalium, Catalogum P. Natalis, quibus de rebus Nostri recreationis tempore colloqui possunt, denique generalia monita, quae ab omnibus observari oportebit, *quibus addendus Elenchus praecipuorum decretorum, iussu Congregationis XVI decreto 38 confectus.*

C. 7 d. 80 n. 5. Instr. 13 c. 9 n. 4.

Quae Socio committenda.

9. Quae vero per se ipsum minime praestare poterit, Socio committat; ea videlicet, quae parvi sunt momenti, iubeatque ad se referre quae dubia sunt, et quaenam executioni mandaverit. Itaque non exiguo onere a Socio levari poterit, si temporalia, de quibus capite 9 in Regulis Provincialis, si archivium, iuxta regulam 19, 20 et 21, si instrumenta itineraria communia Provinciae, vel alicuius Collegii propria, si rationes accepti et expensi, si officinas et oeconomiam domesticam, si an exstent libri Ordinationum iuxta Instructionem inspexerit; si colliget numerum sociorum in Sodalitiis scholasticorum externorum et ordinariorum poenitentium, observabitque uniformitatem consue-

tudinum in Provinciae domiciliis. Quoniam vero monere debebit Provincialem de iis, quae dicuntur in Instructione pro Superioribus, eidemque suggerere, si quae forte ille praeteriret ex spectantibus ad suum munus; quo commodius id praestare possit, eius Instructionis exemplum penes se habebit, eamque singulis in Collegiis percurret, observando si quid oblivioni datur.

Instr. de sp. ad Super. c. 2, Remedia n. 3.

De quibus ad Generalem scribat. *Ord. Gen. c. 7.*

10. Meminerit etiam Provincialis sui esse muneris quotannis scribere ad Praepositum Generalem de iis, quos ad sacros ordines promoverit; quos Praefectos spiritus praefecerit, et quomodo se gerant; * quos de defectibus, cur promotio ad gradum differretur, scripto monuerit; cur tempus vel privatim Sanctis Patribus legendis futuris Concionatoribus, * vel tertii anni probationem aliquibus differi oportuerit; quemadmodum in hac probatione se gesserint; quinam libri prohibiti in Collegiis asserventur; ut Superiores in modo exigendi rationem conscientiae se gerant; quos Examinatores promovendorum ad gradum designaverit, ut a Generali confirmentur; quos Consultores et Admonitores elegerit; num observetur ordinatio de non visitandis feminis; quomodo Superiores praestent quae habentur Instructione pro Superioribus; ut conferentiae pro formandis Superioribus successerint; tandem quinam remissi ac negligentes in gubernatione sint. Praeterea quotannis mittat ad Generalem informationes ad gradus; sub finem cuiusque anni tertium catalogum, et puncta pro annuis; catalogum etiam eorum, qui profectionem indicam postulant, praemissa informatione status ac talentorum, quae habent, speciatim necessitatis parentum, cum iudicio eiusdem Provincialis. Postremo, tertio quoque anno, catalogos communes, * et informationes ad regimen per Procuratorem mittat.

Instr. 10 n. 12, 14. **Ord. Gen. c. 18, part. 4 n. 5.* ** Ord. Gen. c. 3. pro Prov. n. 1, 5.* *Ibid. 89.* *Ord. Gen. c. 2 n. 1.* *Instr. 11 n. 3.* *Ord. Gen. c. 18, parte 3 n. 2.* *Reg. 25 Prov.* *Instr. 3 n. 10.* *Ord. Gen. 1. 18, parte 1 n. 2.* *Form. scrib. n. 35.* *Form. scrib. n. 21.* *C. 16 d. 10.*

Quas informationes Romam mittet. *Form. scrib. n. 32, 35.* ** Ord. Gen. c. 17 parte 1 n. 6.*

Litterae ad Generalem dandae.

11. Peracta visitatione cuiusque Collegii ac Domus, vel Provinciae, prout ipsi commodum fuerit, litteras de singulis domiciliis ad Generalem scribet, quae tria capita complectentur, ut iuxta regulam 92 sui officii Praeposito Generali aperta sint omnia. Primo quidem ea exponet, quae ad personas ipsas spectant, et talenta moresque describet, tum Superioris, an spiritualis, an suavis et fortis in gubernandi ratione, an politicus, et an in illo munere retinendus, an amovendus; tum subditorum, quinam illi sint, spirituales, obedientes, an discoli; quae ministeria obeant, quo fructu et qua satisfactione. Altero statum spiritualem Collegii ac Domus indicabit; an vigeat Regularum observatio, an langueat, et quinam frequentes defectus, quae causae, quae remedia abhibita: idemque erit iudicium de ministeriis nostris, rectene obeantur, quo fructu, qua frequentia. Tertio denique temporalem statum ostendet; nimirum quot alantur, quibus reditibus sive eleemosynis, et an aere alieno graventur, et quomodo occurrendum. Quae omnia compendio explicari oportebit; et tum maxime, cum alias scripta non fuerint, aut aliquid erit novi, de quo certiorem fieri oporteat Generalem.

De personis. *C. 8 d. 56.*

De statu spirituali loci.

De temporali.

INSTRUCTIO

PRO ADMINISTRATIONE RERUM TEMPORALIUM

COLLEGIORUM AC DOMORUM PROBATIONIS SOCIETATIS IESU.

Iussu Congregationis generalis VIII decreto 60 confecta, et a Congr. IX decreto 41, et XIV decreto 12 confirmata.

Instructionis scribendae causa.

LICET de rei familiaris administratione quaedam in Constitutionibus parte 3, cap. 2, § 7, et parte 4, cap. 2; plura in Regulis Provincialis cap. 9, Rectoris cap. 6, et Procuratoris; nonnulla in Congregationum generalium Decretis, maxime septimae decreto 82, et octavae decreto 15 et 60; aliqua denique a Praepositis Generalibus variis temporibus praescripta habeantur, ut nihil praeterea hoc de argumento desiderari possit; Congregatio tamen octava generalis decreto 15 et 60 considerans ex una parte quantopere a cura bonorum temporalium (quae a S. P. N. parte 3, cap. 2, § 7 dicuntur propria Domini nostri IESU Christi) res spirituales ac bonus Societatis status ac progressus pendeat; ex altera moleste admodum ferens ab iis, ad quos pertinet, non uno nomine in oeconomia peccari; peculiarem hac de re Instructionem faciendam et cum Provinciis communicandam esse statuit, qua unum quasi sub aspectum ponerentur omnia, quae, hinc inde sparsa, facile ignorari atque e memoria effluere necesse est.

Cum ergo nunc, pluribus tum coram tum per litteras huiusmodi rerum peritis super hoc negotio consultis, ipsa Instructio confecta atque approbata fuerit; nihil aliud superesse videtur, quam ut Provinciales, Rectores et Procuratores, quorum partes seorsim in ea describuntur, pro virili adlaborent, ut, quae sapienter provisa et statuta sunt, serio et constanter in praxim deducantur.

PRO PROVINCIALIBUS.

Fontes damni temporalis.

Illud sibi persuadeat Provincialis, nulla re universim certius ac citius everti bonum Collegiorum statum, quam si maiores proventibus expensae fiant, vel sumptus minime necessarii permittantur, vel Rectores ac Procuratores parum oeconomiae periti sint, et tuto se incuriosos esse posse in administratione sua sperent.

Remedia: numerus admittendorum determinandus a Patre nostro.

1. Ergo, collato quam primum numero Sociorum, qui sunt in Provincia, cum annuis reditibus, si deprehensum fuerit horum summam a numero capitum excedi, nulli ad aliquod tempus ad novitiatum admittantur, si id R. Pater noster, omnibus perpensis, expediens esse aut necessarium iudicaverit (Congr. VIII, decr. 60, § 1); aut certe numerus recipiendorum a sua Paternitate determinetur, quem transgredi nullo modo liceat absque eiusdem concessione.

Inferiores quoque scholas

2. Ac ne, urgente necessitate deputandi quotannis novos Magistros

doceant et ipsi Sacerdotes.

scholarum inferiorum, cogatur plures admittere, studeat aliquot semper sub finem studiorum et post peractum tertium probationis annum hisce scholis addicere, iuxta suam reg. 24 et 25 in Ratione Studiorum; cum praesertim Congregatio VIII decreto 8 munus docendi Grammaticam et Litteras Humaniores proprium esse Societatis ministerium, nec certo temporis spatio nec certis personis circumscriptum, declaraverit.

Non plures alendi, quam reditus patiantur, immo pauciores.

3. Quod dictum est de Provincia universa, dictum etiam putet de singulis Collegiis. Perpensa igitur exacte summa omnium redituum et eleemosynarum, ac de consilio peritorum constituto, qui sumptus in singula capita necessarius sit, plures quam in singulis domiciliis per facultates ali possint, nullo modo alantur (Congr. VII, decreto 82, § 1), immo, ut ibidem statuitur, pauciores: ut, si quid supersit, id totum in dissolutione aeris alieni impendatur.

Novae obligationes non admittendae; gratuitae ad tempus intermittendae; strenui sint operarii.

4. Ad minuendum autem numerum Sociorum in Collegiis, opus erit novas obligationes sponte non suscipere, immo onera, ad quae ex fundationibus aut Constitutionibus non tenemur, ad tempus omittere, admonito tamen prius Generali (Congr. VII, decreto 82, § 4). Item strenuos operarios, maxime Coadiutores temporales, habere (ibidem § 5), nec ullo modo permittere ut aliqui, levi dumtaxat quapiam occupatione contenti, plurimum otientur.

Socii occupentur in missionibus aut Residentiis.

5. Consultum etiam fuerit aliquot Sociorum paria fere continenter in missionibus occupare, aut etiam in quibusdam locis Residentias ad tempus constituere, quae ex eleemosynis vivant; immo aliqua parva Collegia, et male materiata, ad certum tempus pariter in huiusmodi Residentias convertere, donec, expuncto aere alieno, et aedificata domo auctisque reditibus, ad Collegii formam revocentur.

Collegia non gravet contributionibus Provincialis.

6. Contributionibus imponendis Collegia ne gravet (nisi magna quaedam et insuperabilis necessitas iuvandorum Seminariorum ad id cogeret); quin potius pecuniis, quas in sua habet potestate, eorum indigentiam sublevet (Congr. VII, decreto 82, § 7); et quo in posterum certius constet de communibus expensis Provinciae, singulis annis, exeunte Ianuario, a Procuratore Provinciae exigat earum rationem: quam, ut etiam ipse reddere possit de pecuniis sibi undecumque et a quocumque traditis, curet per Socium in peculiari codice accepti atque expensi accurate scribi.

Rationes Provinciae quot annis exigat.

Superflua resecet.

7. Ad sumptus minime necessarios vitandos, diligenter consideret, an superflua domi habeantur, v. g. equi, famuli (Congr. VII, decreto 82, § 7); atque in prima Congregatione provinciali, adhibitis in consilium Patribus antiquioribus ac bono zelo praeditis, dispiciat, an decursu temporum, maxime contra consuetudines Provinciae, de quibus mentio fit in Ordinationibus Generalium cap. 8, § 7, et contra Visitatorum ac Provincialium ipsorum Ordinationes, introductum fuerit, quod in ratione victus et vestitus, in recreationibus, in supellectili domestica, in excipiendis hospitibus nostris, in invitationibus externorum, ac similibus, religiosam paupertatem ac frugalitatem minus deceat; ut id totum, auctoritate, si opus sit, Patris nostri, ad antiquam simplicitatem revocetur.

Paupertatem et frugalitatem curet.

Peregrinationes rarae sint.

8. Parcus sit in peregrinationibus concedendis, praesertim non sine equo vel rheda obeundis: curabitque,

ut Nostri, dum ex uno in aliud Collegium commigrant, pedestri itinere in toto, vel in parte, utantur; et ut in equitando solius necessitatis sive personae sive negotiorum, quam Superiores mittentes iudicabunt, ratio habeatur. (Congr. III, decreto 37; reg. Provinc. 115).

Equitatio ex sola necessitate.

Taxa viatici recognoscenda.

9. Taxam viatici dari soliti demigrantibus ab uno loco in alium, intra vel extra Provinciam, recognoscat, et iudicio peritorum, si opus esse videatur, emendet, eamque ab omnibus, praesertim a Concionatoribus, observari curet: omnesque intelligant, si quid superfuerit e viatico, sive a Collegio, unde discessit, tributo, sive ab amicis eleemosynae nomine donato, id totum Collegio, ad quod venit, esse restituendum, ac facturos contra paupertatem qui secus fecerint.

Et servanda.

In aedificiis permittendis et pecunia mutuo accipienda sit difficilis.

10. Superioribus petentibus licentiam aedificandi, vel novi alicuius operis moliendi, ac potissimum accipiendi mutuo pecunias, ne facile annuat; sed prius intelligat causas, necessitatem ac modum restituendi: ac satius omnino fuerit, ubi Rectores urgent, exspectare, donec per occasionem visitationis super locum ipsum necessitas et ratio operis, quod proponitur, faciendi cognoscatur.

Oeconomiae periti sint Rectores.

11. Ut non nisi peritis oeconomiae rei familiaris administratio committatur, Provincialis, antequam Generali aliquem eligendum in Rectorem proponat, Informatores admoneat, ut de hoc maxime talento diligenter scribant; et si is, quem proponere statuit, alias gubernavit, ex litteris Consultorum et visitationibus Collegii, cui praefuit, aliquid etiam lucis accipere poterit: et maxime usui esse poterunt rationes redditae successori, quando defunctus fuit officio; quarum rationum exempla in futurum ad Provincialem mittenda erunt, et in archivio asservanda.

Procuratores prius instruantur.

12. Qui designati fuerint Procuratores, prius quam officio fungi incipiant, per certum temporis spatium (si alias Procuratores non fuerunt) ab aliquo oeconomiae bene perito instruantur, rudimenta Arithmeticae condiscant, et quo pacto libri rationum tenendi sint, erudiantur.

Officio Rectoris defuncti, vel futuri Rectores sint Procuratores.

13. Profuerit etiam aliquos iuniores, qui pollere talento gubernandi videntur, prius huic muneri Procuratoris addicere; et iis, qui Rectoris officio defuncti sunt, in aliquo alio Collegio curam rerum temporalium demandare. Illud omnino necessarium est, ut in Provincia constet non eos tantum Procuratores fieri, qui nullum aliud talentum habent; quod aliqui, licet immerito, queruntur.

Visitet praedia Provincialis.

14. Ad continendos in officio Rectores et Procuratores plurimum proderit, si Provincialis iuxta sui officii regulam 80 bona stabilia extra Domum, quae commode possunt visitari, visitet, ut videat, num qua instauratione egeant, et quid ad eorum conservationem opus sit, an aliquid omissum, quo praedia meliora fieri potuissent, an utiles et necessariae factae fuerint expensae.

Libros rationum accurate examinet,

15. Sed nihil aeque promovebit rectam rei familiaris administrationem, quam si non perfunctorie, sed serio et accurate libri rationum examinentur; et siquidem Rector ac Procurator bene rem gesserint, sua laude non careant; si secus, impune minime ferant, sed publicam aliquam poenitentiam peragant, vel obiurgentur graviter in triclinio. Quod si praeter modum deliquisse comperti fuerint,

Generalis admoneatur, ut, si ita visum fuerit, ab officio vel suspendat vel etiam amoveat. (Congr. VII decr. 82, § 8; Congr. VIII decr. 15).

uti et rationes accepti et expensi;

16. Statum Collegiorum et rationem expensi et accepti Provincialis per se vel per Socium accurate recognoscat. Neque sit contentus scire summam, quae accepta est, et summam, quae est expensa; sed inquirat etiam unde sit accepta, et quibus in rebus ac quam necessariis singillatim expensa.

item debita et provisiones.

17. Inquirat etiam diligenter de debitis tum activis tum passivis, item de quantitate tritici, vini, olei consumpti, vel residui: atque, ut hoc certius fiat, exhiberi sibi curet libros omnes Procuratoris ad hanc cognitionem necessarios. Quibus omnibus cum numero personarum, quae fuerunt in Collegio, collatis, iudicium ferre possit, an fuerit aliqua effusio.

Statum cum statu conferat.

18. Ad haec statum praesentem Collegii, quam verissime poterit, exprimi curet in libro resolutionis computorum, et conferat cum statu anni praecedentis, ut videat, num quae mutatio contingat vel in deterius vel in melius.

Brevem relationem Romam mittat.

19. Denique conficiet brevem relationem, Generali mittendam, ex qua Collegii status iudicetur, v. g.

Status habitualis Collegii N.

Habet in pecunia numerata singulis annis.	sc.	1090
In aliis reditibus ex praediis ac fundis	sc.	400
Summa. . . .	sc.	1490
Onera ordinaria sunt	sc.	330
Itaque proventus purus est	sc.	1160

Ex quo possunt ali Socii 20.

Status actualis
a die 20 Maii 1647,
usque ad 30 Aug. 1648.

Percepta in pecunia numerata.	sc.	900
In aliis proventibus.	sc.	480
Summa.	sc.	1380
Consumpta in pecunia numerata.	sc.	800
In aliis proventibus.	sc.	430
Summa. . . .	sc.	1230
Remanent in pecunia sc. 50 in tritico vino, oleo sc. 100	sc.	150
Summa. . . .	sc.	1380

Unde apparet aequalem esse summam accepti et expensi, si ratio habeatur eorum, quae domi restant.

Inventaria cum inventariis conferat.

Postremo, quod sua regula 85 habet, rerum mobilium inventaria conferri omnino faciat cum inventariis in praecedenti visitatione a Provinciali vel Visitatore subscriptis; ac diligenter inspiciat, an rerum omnium ratio constet, an videlicet res novae adscriptae, veteres expunctae (quod accurate fieri semper debebit) suis temporibus fuerint, praesente Ministro et Officiali.

PRO RECTORE.

Rationes antecessoris diligenter examinet.

1. Antequam rationem oeconomiae, scripto exaratam et chirographo antecessoris signatam, sua manu confirmet, intelligat, et, quantum fieri potest, inspiciat, an re vera tantumdem pecuniarum in arca, tritici, vini, olei et reliquae annonae in penuariis, creditorum ac debitorum in nominibus sit, quantum affirmatur; et, si res aliter se habere deprehenderit, ne se subscribat, et Provincialem admoneat, et ipsorum computorum, seu

a se confirmatorum seu non confirmatorum, exemplum transmittat asservandum in archivio, unde semper constare possit de bona vel mala administratione antecessoris.

Statum habitualem cognoscat.

2. Cognoscat quam primum statum etiam habitualem rerum temporalium Collegii ex libro, cuius mentio fit in regula 21 Procuratoris, in quo continetur summa omnium instrumentorum et titulorum iurium atque actionum, et bonorum omnium stabilium ac quasi stabilium; et primo quoque tempore, si commode fieri poterit, visitet praedia rustica, recognoscat eorum fines, advertat, num qua indigeant reparatione aut cultura, an pecore necessario instructa sint, quae conditiones et pacta inter Collegium ac colonos constituta sint; neque semel visitasse contentus, aliquoties eadem in triennii decursu visitabit.

Praedia visitet.

Oeconomiae formam ne mutet inconsulto Provinciali.

3. Oeconomiae formam, inconsulto Provinciali, ne immutet (Congr. VII decr. 82, § 6), verbi gratia, circa praediorum locationes, circa modum serendi, putandi, plantandi, vina conficiendi ac similia; sed se locorum consuetudini conformet, atque id ipsum fieri a Procuratore iubeat; neque ullum novum aedificium inchoet sine expressa Provincialis licentia et urgenti necessitate: multoque minus benefactores, volentes aliquam pecuniae summam Collegio elargiri absque ulla conditione, inducat ut ad aliqua opera minus necessaria conficienda destinent, v. g. ad picturas etc.

Ord. Gen. c. 2 n. 9.

In victu et vestitu nihil novi introduci patiatur.

4. Laudabilis consuetudo in Nostrorum victu ac vestitu, caeterisque omnibus ad valetudinis conservationem et cultum pertinentibus, constanter retinenda est; proinde in his nihil novi introducat aut introduci patiatur; caveatque diligenter, ne, dum liberalis auram captat, frugi famam amittat; atque in excipiendis hospitibus, in tractatione externorum, in recreationibus extraordinariis consuetudines Provinciae, de quibus in Ord. Gen. cap. 8, § 7, exacte observari procuret.

Depositis ne utatur. *C. 16 d. 32.*

5. Depositum pecuniarum (si forte aliquo raro casu necessariis de causis admittat) servet intactum, nec illo utatur. *De mutuo vide Congr. IX decreto 41.*

Quod superest cui impendet.

6. Si quid ex annuis Collegii reditibus aut pecuniis iure legati vel haereditatis vel alio quopiam nomine perceptis supersit, id totum in aere alieno dissolvendo vel augendis reditibus, non autem in aedificis ac ornatu minime necessariis, insumatur.

Omnes pecuniae tradantur Procuratori.

7. Omnes pecuniarum summas, (etiam quae conflantur ex pretio rerum venditarum ab aliquo officiali, v. g. sartore, coquo, dispensatore) curet tradi Procuratori et in codicem accepti referri; nec patiatur eiusmodi officiales quicquam vendere aut alio modo distrahere, nisi consulto Ministro aut ipso Procuratore.

Saepe consultet: quo consilio contractus celebrabit. *C. 21 d. 12. C. 14 d. 12.*

8. Crebro consultet de rebus temporalibus, vocato quoque Procuratore, quem suo officio fungi permittat; nec ita se gerat, ut is nudum tantum nomen habere videatur. In celebrandis contractibus, sive publicis sive privatis, ne nimium suae prudentiae fidat; et siquidem perpetui sunt, Consultores prius audiat, quam suam obliget fidem; eisque fideliter atque distincte conditiones omnes contractus exponat, concesso etiam ad deliberandum tempore aliquo, et exspectato Provincialis responso. Quin et in rebus maioris momenti ratificationem Praeposito Generali reservet:

Qua cautela.

nec illam temere promittat; sed clare significet suspensum manere contractum, donec obtenta fuerit: et ubi celebrati fuerint, eorum instrumenta ad Urbem transmittat.

Quot mensibus rationes accepti et expensi exigat.

9. Unum restat, in quo pene sunt omnia: quam accuratissime singulis mensibus dati et accepti rationes a Procuratore exigat ex regula sui officii 57. Examinet singula, an plus carnium, piscium caeterarumque rerum illo mense consumptum sit, quam usus ferat; certis temporibus nomina debitorum inspiciat, ut videat, an morosi sint ipsi in solvendo, an Procurator in exigendo; intelligat quantum tritici, vini, olei consumptum sit; neque omnia examinanda ad finem anni reservet. Denique, antequam officio defungatur, exactissime rationem administrationis suae successori reddat et scripto consignet eo modo, quo supra, cum ageretur de Provinciali, ab ipso exigendam esse in visitatione declaratum est. (Ord. Gen., Congr. VIII decr. 60 § 4.)

Rationes reddat successori.

Ord. Gen. c. 9.

PRO PROCURATORE.

Munus Procuratoris quintuplex.

Procuratoris munus quinque fere capitibus definitur. Primo, ut bona ac iura Collegii conserventur. Secundo, ut reditus ne decrescant, sed potius augeantur. Tertio, ut, quae Collegio debentur, summa diligentia exigantur, et omnia necessaria opportune comparentur. Quarto, ut res et pecuniae recte dispensentur. Quinto, ut dati et accepti ratio semper constare possit. Ex quibus in primis apparet huic muneri esse destinandum hominem valde prudentem, peritum et fidelem, nullaque alia occupatione, quae suum munus impediat, implicitum.

Qualis ipse esse debeat.

Bona ac iura Collegii quomodo conservabit.

1. Iam quod ad primum caput pertinet, non solum in archivio instrumenta originalia et tituli, quibus constet de iure bonorum omnium, ut dicitur regula 19, et seorsim haec eadem instrumenta manu Notarii subscripta habeantur, ut regula 20, sed praeterea Procurator librum habeat, cuius meminit regula 21, in quo singillatim descripta sint omnia bona stabilia, qualia sunt praedia, domus; et quasi stabilia, hoc est census, loca montium, canones, uno verbo, iura ad annuos reditus. Ac de singulis haec omnia generatim notari oportebit, quo tempore ad Collegium pervenerint vel acquisita fuerint, quo titulo, donatione, an haereditate, an emptione etc., quo loco posita sint, qui eorum fines, quanti aestimentur, quos reditus pariant, num aliquod onus annexum habeant et quale. De fundis, explicetur quot sint mensurarum, verbi gratia iugerum, cuius qualitatis, an feraces tritici, vini, olei, an solum compascua, an silvae. De censibus dicatur, a quo empti, quanto pretio, quid reddant et quantum, ubi fundati, quis fideiussor, quo tempore exigantur fructus. De locis montium, qualia sint, quot, quanti steterint, quantum reddant, quis depositarius. Haec autem omnia sic distincte in hoc libro describantur, ut inter descriptiones singulorum aliquot folia interponantur, in quibus decursu temporum, si quid mutatum fuerit, addi queat. In eodem libro, successionum, si forte sperentur, mentio fiat.

Collegii bona primo quoque tempore visitet.

2. Primo quoque tempore visitet bona omnia Collegii, diligenterque consideret, an aliqua reparatione domus egeant, an opus aliquod faciendum, quo torrentium ac fluviorum irruptiones in agros arceantur. Attentus sit, ne vicini aliquam in no-

stris fundis servitutem acquirant de novo, in praediis rusticis, itineris, actus, viae, aquae ductus, ducendi pecoris, hauriendae aquae, coquendae calcis, fodiendi arenam; in urbanis vero, altius tollendi, stillicidium avertendi, immittendi tignum etc.: easdem servitutes activas, si Collegium habeat, conservari procuret.

Proventus ex praesidiis ne decrescant, quomodo curabit.

3. Quoad secundum, bonos ac fideles colonos habeat, non nimis pauperes aut inutili familia oneratos, nec, quantum fieri poterit, Nostrorum consanguineos aut affines. Praedia pecore maiore ac minore sint instructa; vites, oleae, arbores frugiferae locis opportunis de consilio peritorum plantentur; curetque statis temporibus novalia praeparari, sementem fieri, segetes purgari, vineas putari, occari, repastinari, fossas exhauriri, atque in his omnibus mores patriae observet, nec novam aliquam culturae formam temere inducat.

Quae Collegio debentur, qua diligentia exiget.

Quoad tertium, si umquam, eo potissimum tempore Collegii praedia visitet ac praesens adsit, quo fruges metuntur, seruntur, colliguntur, vindemia fit, oleum exprimitur, neque nimium rusticis fidat; eodem tempore a colonis mutuo data repetat, et statis temporibus ab aliis debitoribus; nec nimis indulgeat: mora siquidem solvendi longa concessa, plerumque fiunt non solvendo.

Suo tempore faciat provisiones.

Opportune res necessarias ad victum comparet, ut regula 9 monet, ne eas non perinde bonas aut non aequo pretio emere postea cogatur; quidquid autem frugum in praediis collectum fuerit, aut pecunia emptum, officialibus sic tradendum, ut sciant se de iis tertio quoque mense rationem reddituros: eritque sane repetenda, ut constet quantum tritici, vini, olei, casei etc. consumptum sit, quantum supersit; ab emptore autem omnino quotidie expensarum rationem exigat.

Curet, ut sumptus non fiant non necessarii.

4. Quoad quartum, tametsi proprie ad Rectorem ac Ministrum pertinet curare, ut in sumptibus faciendis religiosa paupertas ac bonae consuetudines serventur; tamen Procurator etiam id suarum esse partium sibi persuadeat, ideoque ne plus carnium, piscium, ovorum ac caeterarum rerum emi patiatur, quam necesse sit: idemque servandum de aliis rebus ad vestitum necessariis.

Ut ratio accepti et expensi constet.

5. Quod ad quintum ac postremum attinet, ut Procurator singulis mensibus, et quotiescumque suo defungetur officio, dati et accepti rationem reddere possit, duos codices habeat, praeter alios minus necessarios: alterum, in quo per singulos menses appareat quantum pecuniarum numeratarum, a quibus, quo nomine acceptum fuerit, et quantum expensum; alterum, in quo omnium debitorum Collegii nomina distincte descripta habeat.

Piis obligationibus cumulate satisfiat.

Denique commendatur omnibus, tum Provincialibus, tum Rectoribus, tum Procuratoribus, ut peculiarem habeant curam ecclesiarum, quae pertinent ad beneficia Collegiis unita, et ut alia eorumdem beneficiorum onera, praesertim si quae ad xenodochia et pauperes spectent, diligenter inquirant, omnibusque id genus piis obligationibus cumulate satisfaciant, certi divinam Providentiam non defuturam iis, quibus ea, quae ad Deum pertinent, cordi fuerint.

R. P. CLAUDII AQUAVIVAE

SOCIETATIS IESU PRAEPOSITI GENERALIS

INDUSTRIAE

PRO SUPERIORIBUS EIUSDEM SOCIETATIS,

AD CURANDOS ANIMAE MORBOS.

AD SUPERIORES SOCIETATIS.

Cum satis perspectum esset R. Patri nostro quanti ad divinum obsequium, Societatis utilitatem, et auxilium animarum intersit Superiores idoneis ad recte gubernandum praeceptis institutisque abundare; varias subinde in eo genere Ordinationes ac monita suggessit, prout occasiones et tempora postulabant. Sed cum impensius huius rei necessitates ac momenta secum perpenderet, videretque non posse unumquemque, quantam par esset, experientiam lucemque rerum consequi, praesertim ob crebras mutationes, quae peracto triennio fieri nunc debent; operae pretium ac prope necessarium duxit ad peculiarem aliquam institutionem descendere; cum certum sit nullam esse artem, in qua periculosius et graviore aliorum malo peccetur, quam in hac, quae ad spiritualem curam pertinet animarum. Quare, cum meminisset a P. Polanco B. Patris nostri mandato atque ductu, ad usum doctrinamque Operariorum nostrorum, qui in missionibus versantur, Instructiones quasdam editas olim fuisse, *Industriasque* appellatas; haud abs re, quin multo etiam congruentius fore

existimavit, si *Industriae* item aliquae, ad rectam gubernationem ducentes, Societatis Superioribus traderentur. Quo factum est, ut, pro singulari desiderio, quod ei Dominus indidit, felicis progressus atque augmenti Societatis, subsecivis inter assiduas occupationes suas intervallis hasce Industrias in illorum gratiam dictarit. Quae cum Patribus Assistentibus aliisque nonnullis, qui eas viderunt, probatae adeo fuissent, ut non mediocrem iis uti scientibus utilitatem allaturae viderentur, e re futurum iudicatum est, si universae Societati communicarentur, eaeque typis excusae, quales nunc mittuntur, quo plura et emendatiora essent exemplaria. Faxit divina bonitas, ut res tota eum fructum sortiatur, quem R. Pater noster sibi proposuit, et quem enixe omnes optamus.

Datum Romae, 15 Aprilis 1600.

Mandato R. Patris nostri Generalis,

BERNARDUS DE ANGELIS,
Secretarius Societatis Iesu.

INDUSTRIAE AD CURANDOS ANIMAE MORBOS.

PROOEMIUM.

Animarum curatio quanto praestantior tanto difficilior.

ANIMARUM curatio, quanto praestantior et difficilior est, quam corporum, tanto maiorem a nobis exigit et sollicitudinem et peritiam. Et anxietates quidem ac pericula huius muneris non videmus tantum, sed et praedicamus et plangimus quicumque sub hoc onere laborantes ingemiscimus. Verum an aequali studio contendamus, ut industria pervigili et infatigabili charitate Susceptos nostros optatae sanitati reddamus, hoc nobis magnopere perpendendum, et ut id praestemus in primis curandum est. Et mihi quidem frequentior quaedam et attentior meditatio, et experientia diuturnior certissime persuasit, plurimos ad salutem reduci posse, si paterna quadam et plena amoris ac fiduciae patientia res agatur, quos ex neglecta aut perfunctoria medicina vel incorrigibiles excludimus vel toleramus incorrectos. Quam ob rem non inutile visum est futurum, si, quae sedula observatione tot annorum spatio deprehendi, in quibus me vel alios peccasse animadverti, quae recte, quae secus acta essent, adnotando, quid profuisse, quid contra nocuisse cognoverim, ea quibusdam quasi medicis praeceptis quam brevissime planissimeque digererem. Sic enim fieret, ut et iis, qui, in gubernatione, id est, arte huius spiritualis medicinae non adeo versati sunt, plurimum lucis et adiumenti adferretur, et eorum, qui ex unctione Sancti Spiritus, lectione Sanctorum et experientia iis auxiliis non egerent, memoria non leviter iuvaretur, et voluntas ac studium vehementius excitaretur.

Plurimorum sanatio fit per patientiam.

Medicinae spiritualis praecepta.

CAPUT I. — De iis, quae necessaria sunt ad curationem recte faciendam.

Cogitanda Superioris obligatio.

1. Ut autem recte et cum utilitate morborum curatio fiat, plura necessaria sunt, quae vel medicum ipsum vel infirmum spectant, quae breviter attingentur. Et ante omnia unum illud ob oculos versandum assidue, qua obligatione DEO nos in huius muneris susceptione obstrinxerimus, ut (iuxta Prophetam vel potius ipsius Domini vocem) quod infirmum est consolidemus etc. Unde egregie B. Basilius, cum quaesiisset, qua animi affectione Superior aliorum curam suscipere debeat, respondet: *Ut qui sauciis multis ministrat, et saniem de singulis illorum vulneribus abstergit, et pro natura uniuscuiusque mali remedia ei adhibet accommodata, munere illo neutiquam ad animi elationem uti consuevit, sed ad demissionem potius et sollicitudinem, et maiorem quamdam curam; itidem ac multo etiam magis is, cui totius fratrum societatis sanandae provincia est delegata, perinde ut qui omnium minister sit et rationem de unoquoque illorum redditurus, sic secum agitare animo et contendere anxie debet.* Haec D. Basilius. Assidua quippe industria et vigilantia opus est, nec abs re apud Cassianum e corporali medicina

Ezech. xxxiv, 4.

Reg. fus. disput. resp. 30.

Superior est spiritualis medicus.

Ad Hebr. xiii, 17.

Lib. 10 c. 7.

Spiritualiter infirmi *Suscepti* dicuntur.

translato vocabulo, hi, quos spiritualiter curandos suscipimus, *Suscepti* nostri vocantur, quasi quos in nostram fidem susceperimus nostrumque periculum. Videat ergo Superior, quasi rationem Deo redditurus, quid faciat, quid caveat; hoc enim revera valde excitandi sumus, ne putemus nos innocentes, cum nihil committimus.

Ad orationem confugiendum. *Psalm.* III.

2. Hoc veluti fundamento posito, sciens quia Domini est salus, et illius spiritu lux et vita et bona omnia in cordibus fidelium procreantur, non suae prudentiae aut diligentiae innitatur, sed ad orationem per se et per alios confugiat: nihil enim exterior correptio operatur, nisi interior loquatur excitator. Quam ob rem D. Gregorius de eo, qui praeest et alios ad Deum compellere studet, *Tantae charitatis*, inquit, *esse debet, ut instanti desiderio non petitor, sed petitio esse sentiatur: salutem quippe fidelium tam instanter debet appetere, ut ex usu interni gustus omnem motum cordis in affectum ducat supplicationis.* Et B. Iob, ut Cassianus annotavit, quotidiana pro filiorum purificatione sacrificium Domino Deo offerebat, non tam sibi eos, quam Deo susceptos ac familiares cupiens exhiberi.

In 1 Reg. lib. 5 c. 8.

Iob. 1. Collat. 6 c. 10.

Perpendat nihil esse incurabile.

3. Recogitet magno et fidenti animo, quamvis verissimum sit quod S. Leo monuit, antiquorum morborum difficilem ac tardam esse curationem; nihilominus certissimum esse quod docuit S. Basilius, nihil esse in rerum natura, quod diligentia non corrigatur, neque vitium esse adeo grave, quod Dei timore non pervincatur. Quin etiam idem alibi naturalium rerum exemplo probat, multo magis quae ex voluntate oriuntur vitia posse emendari. Cum enim narrasset punicas acidas amygdalasque amaras agricolarum cura in dulces verti posse, si pinguem ex pino cuneum per mediam medullam adactum susceperint, infert: *Nemo igitur in vitio constitutus homo de se ipso desperare velit, haud nescius, agriculturam stirpium qualitates mutare; curam autem ac studium in consequendis virtutibus animi omnes vincere morbos superareque posse.* Non igitur deiiciendus animus, neque ex rei difficultate, aut morbi magnitudine, vel nostrarum virium imbecillitate metienda res est, sed in verbo Domini cum patientia et spe ad curationem accedendum.

Reg. fus. disput. resp. 10 Exam. homil. 5.

Difficultas ex infirmi voluntate quomodo curanda.

4. Sed illud praecipue difficultatem parit, quod, cum in morbis corporis is maxime morbum cognoscat et sentiat, qui patitur; isque omnium maxime sanari cupiat, medicum accersat, et desiderio sanitatis nullum, quamvis amarum atque ingratum, refugiat medicamentum; in anima contra omnino evenit, ut infirmus prae omnibus morbum ignoret, medicum refugiat, et curationem difficile admittat. Verum in eo praecipua curationis industria debet elaborare, ut ille morbum agnoscat. Cui primo suadendum, quod D. Basilius docet, peritos medicos habere signa quaedam latentium morborum, qui interdum alios et ipsum infirmum latent; quare illis potius credendum, cum praesertim superbia et amor proprius in infirmitatibus nostris agnoscendis gravissime impediant. Deinde ad examina diligentiora perurgendus, tum signa quaedam illi indicanda, quae negare non potest, quamquam talis morbi signa esse non novit vel non advertit. Postremo hortandus serio ad orationem, quippe ex defectu luminis et sensus spiritualis id provenit. Videat

Agnoscendus est morbus.

Reg. Brev. Resp. 28.

Modus indagandi morbum.

quam longe sit a salute, qui nec morbum agnoscit; proinde, si non sentit, credat, neque enim ut in corporibus, si morbo illo carentes pharmacum aliquod sumamus, nocet potius, ita etiam in animo evenit; cum actus mortificationis et abnegationis sui ipsius fructus et virium incremento carere non possint. Sumat e Scripturis, iuxta Basilii consilium, et speculum, unde videat foeditatem mali, v. g. iracundiae, superbiae, detractionis etc., et morbo suo convenientia medicamenta. Dicito, inquit, hic meus est morbus: ut is, qui ad medicum accesserit et variis contenta tabellis pharmaca viderit, considerat, quid sibi conveniat; ita faciendum suadet et illi, sed multo magis, ut, medico ipso commonstrante et morbum certius agnoscat et medicamentum securius assumat. Et sane de voluntate et desiderio qualicumque sanitatis ambigendum non est. Quis enim ita sit amens aut deploratus, praesertim qui saeculo relicto Religioni se devovit, ut sanari non cupiat? Sed deest efficacia, quae medicamenta, quamvis amara, suscipere compellat. Itaque prudenti medico id curandum, ut partim ipsius ostensione morbi, partim captata opportunitate, partim etiam agendi facilitate et communicatione suavi, denique medicamentorum lenitate, vel ipsorum propria vel condimentis aliis adscita, variatis etiam interdum applicandis, difficultates huiusmodi omnes accurate, sed patienter tamen, leniat. Nec desperandum, quin, humorum sensim cruditate mitescente, incipiat minus respuere medicamenta, quae horrebat. Interim autem dum respuit (quoniam voluntatis vitium est, quae mutari potest) sciat Superior hoc ipsum ad medicum pertinere, laborare, ut ille velit: quae difficultas si semel sublata vel certe temperata fuerit, videbit quotidie magna cum animi laetitia sanitatis et roboris incrementa.

Homil. in aliquot Scripturae locos, 6.

Superioris dexteritas difficultates superat.

In Superiore novem requiruntur, quae aromatum nomine explicantur.

5. Haec ad fratris bonum ut efficaciter praestare possit, omnino necesse est, ut emat aromata, id est, ut habere studeat quae ex parte ipsius requiruntur. Haec autem egregie sub typo aromatum explicat D. Bernardus. Sunt, inquit, aromata mentis, linguae et manus. Et mentis quidem sunt tria: compassionis affectus, rectitudinis zelus, discretionis spiritus. Habeat, inquit, mens nostra spiritum discretionis, ut miscens apte temporibus tempora, opportune aemulari, et nihilominus ignoscere queat. Linguae item tria: modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo. Manus etiam, id est in exemplo, tria: continentia in carne ab omni voluptate, misericordia in fratre, patientia in pietate. Quae videnda diligenter apud eum sermone ad Abbates, nam hic tantum satis fuerit attigisse. At quam necessaria sunt Superiori ad utilem correctionem, tam vigilanter quaerenda, nisi frustrari velimus.

Serm. 2 in Resur. ad Abbates.

Medicamentorum congruitas.

6. His porro praesidiis instructus, manum operi admoveat, et medicamenta apponat congruentia pro cuiusque morbi qualitate, contraria scilicet contrariis curans, ut nostra Constitutio docet de superbia et aliis pravis animae propensionibus; et accurate S. Basilius: Inanem gloriam, inquit, abiectioribus exercitiis imponendis; futilem et otiosam loquacitatem, silentio; immodicum somnum, vigilia et exercitiis orationum; segnitiem corporis, laboribus imponendis gravioribus; edacitatem indecoram,

Reg. fus. disput. resp. 51.

ieiunio; murmurationem, a reliquis segregatione etc. Sed id semper studeat, ut haec omnia, non tam quasi a Superiore profecta, quam a se ipso suscepta infirmus accipiat. Qui sibi persuadeat, si strenue rem aggrediatur, atque ut decet eum, qui serio sanari velit; fore, ut citius se relevari sentiat, quam putarat, et quod de sapientiae fructibus Sapiens dixit, experientia comprobet: *In opere enim illius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius.* Videat tamen sapiens medicus, ut opportuno tempore id faciat, et imitetur corporis medicos. Nam S. Gregorius Siagrio Episcopo postquam dixisset, illos medicamenta quaedam recenti adhuc confectione formata non offerre infirmo, nisi opportunitate temporis macerentur, subdit: *Nam si immature quis dederit, dubium non est, quin sit causa periculi res salutis.* Nec tamen propterea ab omni medicamento abstineat, sed, ut iidem illi faciunt, adhibeat aliqua leniora et a quibus infirmus non ita abhorreat: addat abstinentiam a rebus nonnullis, iniiciat subinde maiorem sanitatis cupiditatem: denique dilatio quaedam et pia moderatio sit haec intermissio, non curae neglectus, quod maxime nocet. Sunt enim plerique Superiores, qui quod videant subditum esse minus dispositum, non tam in opportuniora tempora differunt medicinam, quam negligunt. Sed de his in sequentibus.

Eccli. VI, 20.

Opportunitas.

Lib. 7 epist. 110.

Ne decipiatur, si putet se amare infirmum, cum specie suavitatis medicamenta non adhibet.

7. Caveat autem diligenter, ne, specie quadam suavitatis deceptus aut naturali quadam timiditate, abstineat a curatione; sed intelligat et subinde recogitet, se tunc magis diligere infirmum, maiorique erga illum suavitate uti, si, ut loquitur S. Gregorius, non parcens parcat: *Quia inquit, dum correptionis verbum non distulit, citius hunc a culpa liberavit: libere enim arguens non pepercit, sed in eo quod correxit, pepercit.* Quid enim hac misericordiae specie crudelius, qua fit, ut et morbi augeantur et incrudescant, et, qui lenissime curari poterant, iam indigeant ferro, et aliis membris contagium vel periculum creetur, et toti corpori nostra socordia noceatur? Nec terreatur, si quando amariora videri possint infirmo, quae sunt applicanda; quia non tam illius sensus, quam salus exquiritur. *Etenim sectio vel ustio salutaris,* Cassianus inquit, *quae illis, qui ulcerum contagione putrefacti sunt, pie infertur a medico, mala a tolerantibus creditur: nec equo calcar, nec emendatio suavis est delinquenti.* Quin etiam addit B. Gregorius, futurum, ut illi ipsi, cui amara fuit ad tempus aliqua prohibitio, postmodum ex ipsa animi utilitate dulcescat, si, unde inimicus superare potuit, superetur. Sed ut sint amara infirmo medicamenta, qui curat tamen, et facit quod suum est, quodque praetermittere sine culpa non potest, et ex charitate facit ac desiderio salutis illius, quem alioqui contristat invitus, et in oculis Patris cuncta videntis eius filio consulit, quem curandum ab eo suscepit.

Libr. 18 Moral.

Collat. 6 cap. 6.

Lib. 7 epist. 112.

Quae perpendenda antequam curationem aggrediatur.

8. Sed antequam infirmum aggrediatur, curationem adhibiturus, meditetur attentius et perpendat diligenter qualitatem morbi, corporis complexionem et, ut S. Gregorius loquitur, conspersionem, id est, an sanguineus et hilaris, an melancholicus et tristis, an cholericus et praeceps, an lentus sit et remissus. Deinde tempus, quo duravit infirmitas; tum quae remedia fuerint applicata; quid profuisse, quid nocuisse deprehensum sit; quinam ex

Libr. 29 Moral. c. 14.

domesticis iuvare curationem, qui contra possint impedire, ut ex iis omnibus iuvari commode possit.

Superior se ipsum examinet, et humiliet, quo fructuosius corrigat.

9. Sed ante omnia examinet Superior se ipsum, tum ut sese humiliet et maiori confusione et suavitate id faciat; tum ut hoc modo talis fiat, quo Dominus ad filii sanitatem aptiore et expeditiore uti valeat instrumento. Quod faciendum omnino suadet S. Gregorius: *Consideremus*, inquit, *quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus; aut tales aliquando fuimus, etsi iam divina gratia operante non sumus: ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his, quos emendamus, agnoscimus.* Hoc autem dici non potest quantum vel ad meritum, vel ad modum correctionis momenti habeat.

Libr. 23 Moral. c. 8.

Morborum spiritualium genera, de quibus agitur, sexdecim.

10. Morborum porro spiritualium genera, sexdecim veluti capitibus comprehendere placuit; quibus singulis commoda medicamenta indicantur. Curavimus autem primum, quod in medicis praecipue laudatur, ut facilioribus et suavioribus uteremur pharmacis, et quae salutem non tam acrimonia promitterent, quam suavitate praestarent. Deinde ut non aliunde aut non longe petitis, sed iis ipsis veluti simplicibus, ut vocant, quae in domesticis hortis, id est, nostris Constitutionibus enascuntur. Et quoniam Superiorum plerique et viri alii graves flagitarunt aliquando et nunc denuo instantius urgent, ut de suavitate et fortitudine in gubernatione coniungendis aliquid explicaremus (putant enim nonnulli, id fieri vix posse; quod suavitas in laxitatem, et fortitudo plerumque, aliquorum vitio, degeneret in rigorem), de hoc etiam proprio capite brevissime aliquid censuimus attingendum, cum caetera omnia medicamenta, nisi haec duo prudenter coniungantur, aut suavitate aut efficacia, id est, fructu ipso correctionis omnino sint caritura. Utinam ad maiorem Dei gloriam et Societatis utilitatem cedant.

Caput II. — *De suavitate et efficacia in gubernatione coniungendis.*

Ratio spiritualem viros gubernandi fortis et suavis.

1. Rationem gubernandi (eos praesertim, qui voluntarium sese Deo sacrificium obtulere, et spontanei ac spiritu alacres per mortificationis quidem et abnegationis studium ad perfectionis plenitudinem dirigendi et urgendi sunt) fortem ac suavem debere esse, non modo constans sanctorum Patrum ubique docet auctoritas, sed nostrae etiam Constitutiones beatique Patris nostri et monita et exempla copiose docent. Verum qua ratione practice haec duo coniungi possint, hoc fatentur multi se facile non videre. Si enim summo iure agatur cum subditis, ut, qui perfectionis viam profitentur, nihil omittant eorum, quae spiritualis perfectio postulat, vix fieri posse videtur (cum caro et humana fragilitas spiritus desideria non valeat aequis passibus consectari), quin is regendi modus, ab optimo quidem zelo profectus, non tamen secundum scientiam, ut qui humanae imbecillitatis obliviscatur, asper et plane intolerabilis evadat. Rursum, si humanae infirmitatis imbecillitatem intueamur, et iis, quae caro concupiscit adversus spiritum, fraternae compassionis praetextu facile assentiamur; quis non videt (quoniam, ut Scriptura loquitur, *alluvione paulatim terra consumitur*) futurum, ut tepidos atque carnales homines habeamus, in quibus non tam abnega-

Difficilis harum praxis.

Rom. x, 2.

Gal. v, 17.

Iob. xiv, 19.

Matth. xvi, 24. Luc. ix, 23.

tionis et crucis (quod tamen religiosam vitam esse, et S. Basilius pulchre docuit et caeteri omnes spirituales magistri, a Christo Domino prima veritate edocti, tradiderunt) quam sensualitatis et propriae voluntatis spiritum nutriamus? Quid igitur faciendum Superiori, ne vel fortitudo in asperitatem, vel suavitas in languorem et relaxationem degeneret? Hoc, quantum experientia et observatione deprehendere potui, brevissime explicabo. Quod ut dilucide fieret et paucis, illa mihi methodus commodissima visa est, si capita quaedam attingerem, ad quae omnis fere gubernandi asperitas et durities reducitur; itemque nonnulla, ex quibus contra omnis laxitas derivatur; ac denique, si, quomodo, facta extremorum comparatione, medium tenendum sit, indicarem.

Quid Superiori praestandum, ut utramque assequatur.

2. Quae igitur gubernationem insuavem reddunt et asperam, haec fere sunt. Primum, in rebus iniungendis, si res ipsa, quae imponitur, gravis sit et importabilis; quod nonnumquam ex Superioris, vel discretionis inopia, vel tenuitate iudicii poterit evenire. Secundum, quod frequentius continget, si res non sit illa quidem in se ardua; sed is, cui iniungitur, corporis aut animae viribus ad id oneris ferendum destituatur. Tertium, si, quidquid illud sit, quod iniungitur, id fiat verbis asperioribus modoque despotico, praesertim vero, si suspicari quis possit id ab aliquo immoderato Superioris affectu proficisci. Quartum, si urgeatur exsecutio eo tempore, quo subditus non est probe dispositus, nec detur illi tempus et auxilia, ut se ipse disponat. Quintum, si tam graviora quam leviora eodem omnia exigantur ardore; immo aliquando leviora etiam maiore, quod consona sint peculiaribus quibusdam sensibus eius, qui gubernat. Sextum, si omnes subditi rationes et excusationes primo statim aspectu tamquam tentationes, eo benigne non audito, reiiciantur. Septimum, si se suspiciosum Superior ostendat, et ita affectum erga aliquem, ut putet subditus nulla in re se posse illi satisfacere. Octavum, si malam de subdito opinionem prae se ferat, ut omnia in deteriorem partem intepretetur, quod revera summopere affligit. Nonum, si, perfectionem Instituti et Regularum spectans Superior, nec se ipsum considerans, nesciat compati infirmitatibus, sed defectus exaggeret cum errata deprehendit; in rebus vero iniungendis, non tamquam rationalem et volentem filium, sed tamquam inanime instrumentum movere videatur. Decimum, si ita loquatur aut iubeat aliquid, ut aequivoce atque obscure dicat, et quasi studio nolit intelligi, quo semper ei liberum sit subditum arguere: hoc enim mirum est quantopere subditos pungat. Undecimum, si neget fere quae petuntur: est enim habenda ratio rei quae petitur, eius qui petit, aedificationis externorum et Nostrorum, denique eius qui petit utilitatis. Duodecimum et postremum, si, quae dubia sunt, semper scrupulosius et rigidius interpretetur.

Insuavis gubernationis capita. Rei iniunctae impossibilitas. Defectus virium. Modus asper iniungendi. Exsecutio tempore non opportuno. Levis et gravis eadem exactio. Subditus inauditus. Superior suspiciosus, nec bene affectus. Mala de subdito opinio. Si nulla compassio. *Gal.* VI, 1. Aequivoca Superioris oblocutio. Difficultas indulgendi. Rigida interpretatio.

3. Contra vero quae debilem remissamque gubernationem faciunt, ad haec reduci possunt. Primum, si tantum magna, et quae scandalo sint, curentur; et ea demum sentiantur a Superiore, caetera vero passim negligantur. Secundum, si observatio Regularum, vel multitudinis earum praetextu, vel suavitate phrasis Patris

Remissae gubernationis capita. Minorum neglectus. Regularum negligentia.

nostri, minus accurate urgeatur. Tertium, si quae iniunguntur facienda, ob exiguam subditi repugnantiam, vel aliorum intercessiones, immutentur facile et praetermittantur. Quartum, si ex frequenti aliquorum transgressione, assuescat Superior quasi minus mala iudicare, quae mala esse perspexerit. Quintum, si iudicat quidem et improbat, sed, ne contristet aut contra se crabrones excitet, non monet aut corripit delinquentem. In quo sane illud D. Gregorii pertimescendum: *Cum mala corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat.* Sextum, si ad consolationem particularium, ne murmurent, vel ob auctoritatem aliquorum, vel ob suas amicitias, vel ob privatos respectus ea facile concedat, quae vel illis vel communi aedificationi non satis conveniant. Septimum, si ad evitandas amaritudines aliquas errantis cuiusque vel alterius, nec investigat errata, nec corrigit, nec quae necessaria sunt adhibet, praesertim ad cautelam. Octavum, si praetextu humilitatis et mansuetudinis permittat se negligi, et contemni quae dicit. Nonum, si ex naturali timiditate vel respectu aliquo ita perfunctorie et frigide monet, ut nihil delinquentem moveat, quasi admonitione illa id tantum voluerit, ut officio functus coram Deo videatur, seque ipsum liberet scrupulo praetermissae correctionis. Decimum et postremum, si, contentus monitis, cum ostenderit sibi errata displicere, putet se iam satisfecisse, nec rebus ipsis efficaciter medeatur, et quasi Heli arbitretur se omnia perfecisse, si dicat: *Non est bona fama, quam ego audio* etc.

Nimia indulgentia.

Lib. x, Moral. c. 4.

Reg. II, 24.

Unde appareant asperitas et laxitas.

4. Ex his facile apparere potest, in quo sit asperitas, in quo item debilitas et relaxatio, quid in utroque extremo cavendum, ne duri nimis aut plusquam oportet molles inveniamur. Nec difficile erit videre, quomodo efficacia cum suavitate coniungi debeat, ut et fortes in fine consequendo, et suaves in modo et ratione assequendi simus. In rebus enim vel concedendis vel negandis, in correctionibus et reprehensionibus adhibendis, in puniendis erratis, in rebus iniungendis, in subditis ad virtutem et perfectionem promovendis atque ad altiora provehendis, spectandae sunt personae et vires corporis et animi, considerandae opportunitates, exhortationes adhibendae, charitas in primis cum zelo prae se ferenda, longanimitas et patientia proroganda. Nec tamen propterea permittendum, ut subditi ad impunitatem aspirent, ut ea faciant quae volunt, quae nolunt omittant, ut propriis inclinationibus satisfaciant, ut contra Superiorum iussa et iudicia agere et sapere assuescant, ut Regulas consilia reputent, quae si faciant, bene faciant, sin autem, nihil mali: haec enim tolerare non est suavitatis sed languoris; neque hoc modo bono Societatis, immo ne ipsorum quidem, quibuscum ita agitur, ulla ratione consulitur. Non igitur Superiores arbitrentur suaves in gubernatione se esse cum ita agunt, sed remissos ac debiles. Nec sibi contra, cum asperi sunt, quasi de disciplinae zelo blandiantur. Subditi vero studium et zelum perfectionis religiosaeque disciplinae perpetuo promovendae, rigoris et asperitatis nomine non appellent; nec talem exigant suavitatem, quae noxia potius indulgentia sit: sed intelligant multa sibi neganda, si eorum perfectionem impediant; plurima contra votum iniun-

Quomodo hae duae coniungendae?

Quid Superior.

Quid subditus.

genda, si ad Dei gloriam et commune bonum pertineant; correctiones et poenitentias ei, qui dirigi et emendari cupit, non esse aversandas; nec medicum censendum suavem, qui ex neglectu curationis permittit, ne infirmum offendat, morbos cum periculo crescere. Denique Superiorum indulgentiam arguere nos tepiditatis, Serenus (quem speculum nominis sui, Cassianus appellat in collatione de mobilitate animae) apposite admodum refert; cuius Patris verba, quia magnum revera horrorem huius indulgentiae ac perniciosae lenitatis ingerunt, adscribenda putavi. *In tantum enim*, inquit, *teporem videmus corruisse nonnullos, ut necesse sit etiam remissioribus monitis appalpari, modo ne, desertis cellulis suis, ad perniciosiores inquietudines revolvantur, et circumeuntes ac vagi crassioribus, ut ita dixerim, vitiis implicentur; magnusque fructus ab eis obtineri credatur, si solummodo se, etiam cum qualibet ignavia, valeant in solitudine continere, ac pro ingenti remedio soleat eis a senioribus dici: Sedete in cellulis vestris, et quantum libitum fuerit manducate et bibite, atque dormite, dummodo in eis iugiter perduretis.* Itaque invigilent in ea re Superiores, et praesertim Provinciales, ut contraria sententia exterminetur, utpote Societati et cuicumque religiosae familiae modis omnibus perniciosa: non enim in eo suavitas posita est, ut voluntati et desideriis subditorum in omnibus obsequamur; sed sciant suavitatem in eo sitam esse, si, ut diximus, in obiurgationibus, v. g., nihil asperum, aut iracundum, aut perturbatum appareat; sed paterna gravitas, pia quaedam compassio et dulcedo quaedam, sed vivida tamen et efficax, eluceat; si a puniente non tam voluntas humiliandi et castigandi, quam necessitas quaedam ex zelo boni communis, et utilitate ipsius etiam qui punitur, aliquid extorsisse videatur; si negemus quod negandum est, quasi cum quodam doloris sensu, parati concedere quando et quod expedire videbitur; si imperfectiones ita emendari velimus, non quasi nimium emungentes, ne sanguinem eliciamus, verum quasi exactores quidem, benigni tamen, qui non veluti vincendi studio, sed in bonum Societatis atque adeo ipsius subditi id velimus, ac si cum ipso in unum conspiremus ad victoriam de tentatore reportandam; si iubentes circumspecte, et amanter Dei gloriam et subditorum lucra, non aliud quippiam nos quaerere ostendamus; si quod hodie non praestatur, patienter in crastinum exspectemus, ita tamen, ut semper exspectatio finem spectet, et media applicet accurate; siquidem quod ex inopia spiritus a subdito obtinere non valemus, nulla ratione efficacius aut suavius consequi poterimus, quam si ille diligens sui scrutator et spiritualis evaserit; si denique ita in visceribus charitatis cum subditis agamus, ut et suas tentationes in nostrum veluti matris sinum facile deponant, et vicissim correctiones nostras, sive quaecumque a nobis proficiscuntur, tamquam ab amore profecta, repugnante licet sensu, animo tamen non exacerbato, suscipiant. Quod et B. Pater Noster docuit, cum nona parte Constitutionum severitatem cum benignitate et mansuetudine ita miscendam docet, ut nec se flecti Superior sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore iudicaverit, et tamen filiis, ut convenit, compati noverit, eo modo se gerendo, ut etiam

Collat. 7 c. 23.

Quae opinio abolenda.

In quo suavitas sit posita.

Prov. xxx, 33.

Quomodo miscenda cum benignitate severitas.
P. 9 c. 2 n. 4.

qui reprehenduntur vel corriguntur, quamvis secundum inferiorem hominem, quod agitur, displiceat; agnoscant nihilominus quod recte in Domino et cum charitate ille suum officium faciat.

Caput III. — Ariditas et distractio in oratione.

Ariditas multipliciter examinanda.

1. Multa examinanda sunt et diligentius investiganda, ut pro ratione morbi medicina possit applicari. Examinandum itaque primo, an sit continua, an interpolata. Si interpolata, an duret longo tempore, vel brevi. Si tantum in oratione matutina, an etiam in spiritualibus exercitiis die noctuque quasi perpetua sit. Videndum unde proveniat; perpendendum, distractiones unde nascantur, an ex quadam naturali instabilitate et volubilitate naturae, quae nesciat quasi quieta consistere; an ex desideriis et inordinato affectu erga aliquid, quod subinde recurrit et animum pulsat, mentemque ad se importune revocat; an ex occasione aliqua temporaria tunc exorta; an ex defectu discursus et inopia materiae, ex qua, cum non habeat mens quo sustentetur, in varia diffluit; an ex negligenti custodia sensuum, unde imagines oriuntur; an ex otiositate, levitate, scurrilitate et huiusmodi, quae animam ad exteriora revocant et levem ac fere puerilem reddunt; an ex nimia occupatione, quae spiritum quasi suffocat; an denique ex diuturna quadam probatione et subtractione internae visitationis. Haec enim omnia et huiusmodi alia inquirenda sunt: nec enim omnium vel hominum vel morborum una curandi ratio esse potest. Et quidem de causis et remediis inquietae atque impurae orationis multa, tum apud D. Gregorium plurimis in locis, tum apud Cassianum collatione Abbatis Isaac de oratione, spiritualis medicus invenire poterit; licet nonnulla sint, quae pure contemplativis et anachoretis magis conveniant, cuiusmodi Nostris proponere aut adhibere prudentia et discretio non permittit.

Causae ariditatis.

Cassian. Collat. 9.

Quando provenit ex naturae instabilitate.

2. An autem ex naturali illa naturae instabilitate proveniat, inde colligi poterit, si sit continua, si a tempore novitiatus, si per plures annos duraverit. Deinde si sine causa vel occasione ex parte infirmi. Si adhibuit remedia, nec profecit. Si haec remedia non inconstanter aut ad tempus breve, sed perseveranti adhibuit diligentia. Quod si sit eiusmodi, animandus erit ad tolerantiam, ut magna longanimitate et constanti studio virtutibus incumbat veris solidisque (ut Constitutio loquitur), et curet in via divini servitii progressum facere; suppleat frequentioribus et ferventioribus iaculatoriis, paupertatem suam spirituali quadam mendicitate, de qua egregie Gerson, piissimo Patri et Deo, Sanctisque omnibus commendans. Lectione sacra non fusa et longiore utatur, sed brevi, et meditatione atque attentione pervigili. Discurrat per varia puncta rosarii, vitae et passionis Domini, gratias agendo, petendo, proponendo cum confusione imitationem, offerendo illa pro se aeterno Patri; in qua passionis meditatione, si pie et perseveranter pulsaverit, inveniet procul dubio maximam lucem pro intellectu, et solidam stabilitatem pro affectu, cum tamen a nobis non sint in nobis viae nostrae aliud, quam tenebrae et lubricum. Si duret longo tempore, ut in quotidianis meditationibus et exer-

Quomodo animandus. *P. 3 c. 1 n. 10. P. 4 c. 4 n. 2. P. 10 n. 2.*

Tomo 3, de mendicit te spirituali

Psalm. xxxiv, 6.

Quid si longo tempore duret ariditas.

citationibus ariditatem et distractiones patiatur, hortandus est ad maiorem secessionem et Spiritualia Exercitia per aliquot hebdomadas; plurimum enim conducit ad quietem animae comparandam assiduitas illa meditandi et legendi, animumque mirifice revocat ab evagationibus, ut experientia saepissime docuit. In his autem Exercitiis illustrationes et proposita annotare et aliquid excerpere, quo, his absolutis, utatur sive ad virtutum exercitia sive ad mentis elevationem et coniunctionem cum Deo, plurimum proderit. Si tantum hoc in matutina oratione senserit, potest interdum fieri vel ex gravitate capitis, aut alia huiusmodi affectione, ut eo tempore minus aptus ad meditandum inveniatur, vel ex diuturna attentione, quam non valet per integram horam continuare: tunc dividenda erit, ut diversis temporibus fiat, vel commutanda ratio temporis (quod tamen considerate admodum, et non leviter concedatur), supplendum interdiu iteratis intentionibus et elevationibus; excitet se psalmorum versiculis, nunc ad compunctionem, nunc ad humilitatem, nunc ad petitiones, nunc ad laudes; denique efformet se ad varios affectus, prout maior necessitas aut sensus animi suggeret.

Quid si tantum in matutina oratione acciderit.

Cum provenit ex inordinato affectu.

3. Si provenit ex inordinato affectu et desiderio erga aliquid, hic laborandum fortiter et assidue, ut radix aut evellatur, aut certe mortificetur et exsiccetur, ne germinet. Occasiones ex tempore ortae facile vitari poterunt, non enim ex aliquo peculiari affectu aut inclinatione proficiscuntur; itaque et facilius caventur, et non ita animum afficiunt, nec difficile abiguntur: tantum cautela non desit, et mediocris attentio et custodia sui.

Cum ex inopia materiae.

4. Si ex defectu discursus, et inopia materiae, primo praeparet puncta diligenter, legat meditationes de ea materia, lectio enim mirum in modum iuvat, doceatur extendere puncta in vita et passione Domini, considerando quis, quid, pro quibus, quanto amore, quo fructu passus; attendendo personas, verba, opera et caetera; reflectendo ad se, comparando, opponendo celsitudinem parvitati, pietatem ingratitudini, et alia huiusmodi, quae ingentem praebent meditandi et discurrendi materiam. Denique semper habeat in promptu puncta aliqua abundantius, ut, si in uno non potest, sistat in alio.

Quid si ex negligentia.

5. Si ex negligenti custodia, adhibeat diligentiorem, examinet se accuratius, caveat ab iis, quae laedere possunt; certum est enim illud Cassiani, collatione citata: *Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus praeparare debemus.* Haec ille. *Collat. 9 c. 4.*

Si ex otio et scurrilitate.

6. Si ex otio et scurrilitate, fugiat nugas, elevet interdiu mentem, et visitet Sanctissimum Sacramentum, salutet Domini plagas, saltem semel orationem dominicam recitando, vel imaginem B. Virginis cum *Ave* vel *Salve Regina*; petat instanter, adhibitis intercessoribus, communicet omnia frequentius cum rerum spiritualium Praefecto. Meminerit quod Cassianus sapienter docuit: *Licet enim impossibile sit mentem non interpellari cogitationibus, est tamen,* inquit, *nostrum magna ex parte, ut cogitationum qualitas emendetur, et vel sanctae et spirituales in cordibus nostris, vel terrenae carnalesque concrescant. Ideo namque* *Collat. 1 c. 17.*

frequens et iugis adhibetur lectio Scripturarum, ut exinde nobis spiritualis memoriae praebeatur occasio. Denique monendus accurate, ut serio fugiat ab inani quadam persuasione et noxio loquendi modo eorum, qui, cum nullam vel exiguam in custodia sensuum curam adhibeant, libereque et laxe nimis in omnibus agant, in spiritualium procuratione tepidi sint et segniores; suam tamen spiritus ariditatem et distractiones in oratione, et quasi quamdam insensibilitatem in interioribus adscribunt divinae probationi, quae illos, ut quidam loquuntur, a lacte abstractos ad panem et solidum cibum erudiat, quasi grandiores. Caeterum recogitet potius, quid S. Gregorius contra eiusmodi homines dicat: *Nam per contemplationem rimari coelestia volumus, qui non solum cordis, sed etiam corporis custodiam non habemus. Et quidem saepe indecenter adspicimus, otiosa audimus, superflua loquimur, somnum, cibum, non ad refectionem corporis habemus, sed ad usum delectationis. Itaque, cum discutere ambigua volumus, superna conspicere, tenebras nostras deserere, internae dulcedinis saporem gustare, ab illius secreto tanto dignius repellimur, quanto munitionis nostrae fortitudines negligentius dissipamus: iamque nobis tanto est ascendere difficilius, quanto ad nosmetipsos relapsi, in altitudinem custodiae erigere non curavimus cordis munitiones.* Diligenter igitur examen adhibendum est, et venialia etiam atque minuta cavenda, nam et illa non leviter impediunt. Quocirca idem Sanctus egregie monet: *Quia sine peccato,* inquit, *electi etiam viri esse non possunt, quid restat nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata quae congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internae saturitatis.*

Quid maxime fugiendum.

In I *Reg. c. 1, in illa verba:* **Et ascendebat vir ille statutis diebus.**

Examen adhibendum.

S. Greg. lib. 2 c. 2, in I *Reg.* II, *5, in illa verba:* **Famelici saturati sunt.**

7. Si ex nimiis occupationibus, studiose caveat non necessarias, nec proximis utiles. Subtrahat aliquid voluntariis relaxationibus, suffuretur e mediis occupationibus aliquid temporis, vel brevissimi, ad mentem elevandam in Deum, se circumspiciendum; curet habere mentem liberam, et iuxta S. Bernardi consilium non se tradat negotiis, sed accommodet; petat a Superiore moderationem aliquam in actione, et ad breve tempus omnimodam etiam cessationem, redibit enim postea alacrior et utilior.

Quid, cum ex nimiis occupationibus.

8. Postremo, si ex divina dispensatione et subtractione, tunc animandus ad patientiam et suaviter fovendus, ne animo deiiciatur; sed curet primum seipsum coram Deo humiliare, sibi huius subtractionis causam adscribere, non placere sibi, sed accusare semetipsum, quoties in se vel modicum tepere gratiam senserit. *In veritate enim didici,* S. Bernardus inquit, *nihil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere.* Huius autem subtractionis effectus et signa ponit idem Sanctus: *Exaruit,* inquit, *cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua; nec compungi ad lacrimas queo: tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas, et pax et gaudium in Spiritu Sancto?* Causam autem hic Pater refert ad superbiam, sive quae fuit, sive

Si ex subtractione divina.

Serm. 54 in Cant.

Serm. 54 in Cant. Ps. CXVIII, *70.*

Quinque causae subtractae devotionis ex S. Bonaventura. *Proc. 7 § 21.*

quae futura esset, nisi ita humiliaremur. At S. Bonaventura, de processu religionis, quinque adfert huius sterilitatis et subtractae devotionis causas. Prima est, inquit, humiliationis. Secunda, purgationis, quia minus purgatus fuit, minus studiosus in devotione quaerenda, vel minus gratus in accepta. Tertia, eruditionis, ut intelligat id non a se suisque meritis, sed a Dei gratia et liberalitate pendere. Quarta, ex indiscreto impetu et conatu cordis; quo quasi libertas mentis obruitur, et devotio veluti per violentam extorsionem exprimendo quaeritur. Quinta ratio, meritum maioris gratiae et gloriae, dum desiderium non impletum affligendo purgat animam, et patientia desolationis et humilis sufferentia moeroris, quasi lima, reddit animam clariorem et magis susceptibilem divini splendoris. Haec ille. Sed Gerson cancellarius copiosius, quamvis brevissime, decem et septem ponit huius subtrationis causas. Prima est, quam posuimus ex beato Bernardo, quem citat; id est, ad superbiam retundendam vel cavendam. Secunda, ad desiderium vehementius inflammandum. Tertia, ad cognitionem propriae fragilitatis, ut homo sibi vilescat. Quarta, ut induat viscera pietatis super aliorum desolatione. Quinta, ad satisfactionem per dolorem illum sensibilem, quem patitur. Sexta, ut qui possunt alios iuvare, non ita se dedant internis consolationibus, ut a charitatis negotiis et aliis iuvandis retrahantur. Septima, ut experientia per hanc tentationem edoctus, virtutes caeteras et melius discat et efficaciter doceat. Octava, ne deserat homo pro hac dulcedine Dei iussa. Nona, ad punitionem venialium, tamquam si pater tristiorem filio faciem ostendat, ut in omni custodia et modestia reddatur diligentior. Decima, ut intelligat homo non haberi hoc per propriam industriam, neque volentis, aut currentis esse, sed miserentis Dei. Undecima, ad purgationem maris spiritualis, quod ex nimia quiete sordes contrahere solet, quas exagitatio commotioque depellit. Duodecima, ut innotescat, si gratis anima timeat Deum, si parata est absque stipendio consolationum et suavitatum suo Imperatori deservire. Decima tertia, ne incipiat dona Dei pro ipso diligere, iis adhaerens, iisque se oblectans, cum tamen Pater indulgentissimus haec dispensatorie subtrahat, ut pomum aut cibum, parans interim haereditatem et regnum. Decima quarta, interdum ad conservationem corporis et virium, ne in lacrimis, gemitibus et dulcedine sensibili tabescat et deficiat. Decima quinta, ut provocet Deus, sicut aquila pullos ad volandum, ut mater filium ad horam relinquit, quo instantius ille clamet, accuratius quaerat, arctius stringat, et illa vicissim blandiatur suavius. Decima sexta, ad exercendam patientiam, quia sic affici, non est sine magna tribulatione et anxietate. Decima septima et postrema, ut vel hinc coniiciat anima, quantae futura esset amaritudinis perpetua separatio, si tantilla subtractio sic afficit. Caeterum in hac subtractione, qua Dominus privatione consolationis, ut ait sanctus Diadochus, intemperantiam nostrae voluntatis castigat, ut nos virtutis et vitii differentiam doceat, illud semper tenendum est, ut idem ait, ut cum dolore, humilitate ac decenti subiectione speremus semper de divina pietate; hoc enim habere solet recessio gratiae ad erudiendum.

De myst. theol. pract. Consid. vel industria 6.

Decem et septem ex Gersone.

Rom. IX, 16.

Deut XXXII, 11.

Quid in hac subtractione nobis praestandum. *Diad. c. 87.*

Curandum in primis, ut simus ambidextri. *Collat. 6 c. 10.*

9. Sed in his omnibus illud curandum diligenter, quod Theodorus apud Cassianum ponit, ut simus ambidextri, id est, ut prosperis et adversis spiritualibus successibus ad anteriora semper progrediamur; ut, sive ferventes spiritu et a terrenis sublimati ac spiritualibus meditationibus pasti, sive cum, omni spirituali fervore subtracto, quodam tepore atque moerore tepescimus, cum intolerabili quodam tetroque fastidio universa sordent instrumenta virtutum, utraque quasi manu ad victoriam utamur. Unde subdit: *Quisquis igitur in illis, quae dexterae partis esse praediximus, minime fuerit subintrante gloria vanitatis elatus; et in istis, quae sinistrae partis sunt, viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit; ac potius de contrariis arma quaedam patientiae ad exercitium virtutis assumpserit: utraque manu utetur pro dextera, et in utroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu, quam de dextero palmam victoriae consequetur.*

CAPUT IV. — Languor et debilitas in spiritu et virtutibus.

Hoc morbo laboranti, quasi somno gravi oppresso, remedia excitantia applicanda.

Remedia huius morbi excitantia. *Eccle. IX, 1.* *Serm. 23 in Cant.*

1. Primo enim illud insonandum est, quod certe vel profunde dormientem excitat. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Terribilis est, inquit B. Bernardus, locus iste, et totius expers quietis. Totus inhorrui, si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore an odio? Et cum haec cogitatio vel sanctissimos viros, et quasi columnas in Ecclesia, compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis responsum mortis in nobis habemus, si non aliquantulum ex quibusdam coniecturis et indiciis nostrae salutis recreemur? An, quia Religionem ingressi sumus, omnia tuta arbitramur? Fallitur nimis ista persuasio, et periculose decipitur. Certe D. Gregorius aliquos asserit, veluti duces, currentes aliis viam perfectionis ostendere, qui tamen, in foveam cadentes, suo malo sequentes cautiores reddant et humiliores. Non ergo languide et tepide agendum, sed ardenter et strenue.

Qualem esse oporteat religiosam animam. *Serm. 39 in Cant.*

2. Ostendendum illi qualem oporteat esse animam religiosam. *Quanta,* inquit D. Bernardus, *in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste congressuum assiduitas, numerositas triumphorum?* Haec attendens seque melioribus parans, seipsum arguat, et quasi saecularis adhuc conversationis hominem damnet.

Miseria huius status.

3. Ostendenda illi miseria status huius, quomodo quasi hectica febri laboret, qua cum quotidie magis tabescat et conficiatur, quo plus ea laborabit, minus illam sentiet.

Pericula indicanda.

4. Indicanda pericula: facile enim consentiet tentationibus, si concutiatur, ut qui non sit fixus in Deo, sed quasi pendulus, et in actibus vix faciet aliquid praeclarum, vel sua vocatione dignum; et tandem exponitur periculo deserendae vocationis. *Quam multos enim,* inquit S. Bernardus, *videmus et plangimus, fratres, qui, dummodo maneat habitus et tonsura, salva sibi omnia arbitrantur, non considerantes miseri, quemadmodum ingratitudinis vermis, interiora corrodens, ob hoc tantum corticem, quem vident, transfo-*

Serm. contra pessimum vitium ingratitudinis.

rare dissimulet, ne forte recogitent et erubescant, ipsaque verecundia emendentur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora universa praesumit, ut non vereatur ad ea, quae foris apparent, venenatum ducere caput: nisi forte, quos videmus manifeste apostatare a DEO, *repente fieri pessimos arbitramur, et non magis paulatim defecisse, cum comederint alieni robur eorum, et nescierunt.* Sed egregie idem rem omnem, quasi oculis, subiicit his verbis: *Hoc frigus si semel animum, animae quidem, ut assolet, incuria, spiritu dormitante, pervaserit, ac nemine deinde, quod absit, inhibente, ad interiora eius pervenerit, descenderit in viscera cordis et sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit iudicii lumen, libertatem adduxerit spiritus; mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitae, sopitur ratio, spiritus exstinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiae manus, praesumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia et confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de coelo in coenum, de claustro in saeculum, de paradiso in infernum.* Hactenus ille.

Oseae VII, 9.

Languor, frigus animae. *S. Bern. serm. 63 in Cant.*

In tepiditate sunt multa vitia.

5. Intelligat, sicut in naturalibus in formis remissis plurimum esse admixtum contrarii, nec repugnare aliquid esse calidum, quod multum habeat frigiditatis; ita in hac tepiditate et languore plurima esse admixta vitia, plurimas imperfectiones, etiam in iis ipsis virtutibus, quas habere videmur: v. g. blandimur nobis de obedientia, quod in plurimis obediamus, atque affectum quemdam erga virtutem hanc nobis habere videamur; tamen, si obedientia remissa sit et languida, plurimos actus elicimus inobedientiae, innumeras imperfectiones ex defectu circumstantiarum et diligentiae ac fervoris in iis ipsis actibus, in quibus nobis de obedientia blandimur. Idem de castitate, patientia, zelo animarum ac caeteris. Atque ita, sicut habemus in altero, unde DEUM laudemus atque confortemur; ita non deest in altero, unde gemamus. Et hoc sane diligentissime perpendendum, quo quasi stimulo ad perfectionem excitemur.

Examen huius languoris.

6. Examinet, an languor hic et debilitas, sicut in corporalibus contingit, proveniat ex redundantia malorum humorum: ut, si habet fines particulares, et seipsum quaerit, evacuandi humores, alioqui frustra nititur. Si ex defectu alimenti, videat quo modo frequentet sacramenta, meditationes, orationes et spiritualia; perpendat quomodo non nutriatur, examinet diligenter et cognoscere satagat. Nam iis non refici, impinguari et roborari, satis per se malum est, et aliquid indicat subesse, quod accurate investigandum, et diligenter sit emendandum.

Frequens communio.

7. Dispensetur, ut frequentius confiteatur et communicet; ita tamen, ut ad praeparationem aliquid ei peculiare iniungatur, ne, si id etiam ex consuetudine faciat, augeatur potius morbus, ut solet, quam minuatur.

Plus oret.

8. Assignetur illi plus temporis, saltem horae quadrans, orationi vel piae alicui et utili lectioni; ad quam accedat non segniter, sed studiose, quasi ad medicinam, quam ex desiderio sanitatis cum desiderio suscipiat. Nec verendum, ne breve illud spatium litterarum studiis aut aliis exercitationibus aliquid detrahat; sed cogitandum potius caetera omnia languescere, nisi spiritus roboretur.

Legat vitas Sanctorum.

9. Legat Sanctorum vitas sibi aptas; plurimumque proderunt ad id domesticae, ut B. Patris Nostri Ignatii, Xaverii et aliorum. Legat autem non percurrendo, sed ad spiritus exercitationem.

Per Exercitia et per confessionem generalem se renovet.

10. Si renovatio votorum adhuc longius absit, valde conducet, si, praemissis Exercitiis Spiritualibus per aliquot dies, et diligenti confessione vel ab ingressu in Societatem, vel ab eo tempore, quo sic aegrotare coepit, renovet ipse secreto sua vota cum desiderio quasi denuo incipiendi, illud apud se constanter statuens et subinde repetens: *Et nunc quae est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.* Et illud: *Dixi: Nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi.*

Ps. xxxviii, *8.*

Ps. lxxvi, *11.*

Exercitatio in aliquibus virtutibus.

11. Accipiat unam aut alteram virtutem congruam, in quarum actibus sese studiose exerceat: et, si nulla eo die detur occasio, saltem in examine petat virtutes illas a Deo, et sese paratum cum desiderio offerat.

Adhibenda mortificatio, etiam in levibus.

12. Mortificet se, negando sibi nonnulla, etiamsi levia, ut excitet spiritum contra carnem, et proprias voluntates ac desideria vel in iis resecare consuescat.

Roget Superiorem, ut se mortificet.

13. Conveniat cum Superiore eumque obsecret, ut etiam nolentem et querulum mortificet, urgeat et exstimulet; cum eodemque frequenter communicet, et speret de Domini bonitate.

Cassiani documentum prae oculis habeat. *Collat.* 7 *c.* 6. *Prov.* xiv.

14. Demum habeat semper prae oculis quod apud Cassianum Serenus egregie docuit: cum enim attulisset a Scripturis iuxta Septuaginta interpretes: *In omni sollicito inest amplius; at, qui suavis et sine dolore est, in egestate erit:* et iterum: *Vir in laboribus laborat sibi, et vim facit perditioni suae;* nec non etiam: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* subdit: *Nulla namque virtus sine labore perficitur; nec ulli possibile est ad istam, quam cupitis, stabilitatem mentis sine ingenti cordis contritione conscendere: Homo enim ad laborem nascitur.*

Prov. xvi, *26.*

Matth. xi, *12.*

Iob v, *7.*

Caput V. — Defectus obedientiae.

Pulchritudo obedientiae et necessitas.

1. Ostendenda illi obedientiae pulchritudo, necessitas, animi tranquillitas, meritum, professio in Societate, quam peculiarem suorum notam B. Pater Noster esse voluit; denique hoc esse prae caeteris votis, ut Sancti et Doctores tradunt, quod vere faciat Religiosum.

In Epistola de obedientia.

Legat accurate epistolam B. Patris Nostri.

2. Ut diligenter et serio legat per aliquot dies eius epistolam de obedientia; ibi tamquam in speculo suas maculas intueatur; ibi, quantum a vera obedientia absit, inspiciat et defleat, confundatur et erubescat, et excitetur ad meliora.

Meditatio de hac virtute.

3. Ut meditationes aliquot appositas de ea re per plures dies habeat, ut in copiosa admodum materia, de qua plurima meditari licet, quae a Praefecto rerum spiritualium suggerenda, et a Scripturis atque a Sanctis Patribus petenda erunt: et, quae breviter primo puncto attigimus, magna cum humilitate dilatari possunt,

praesertim si addantur aliqua puncta de iis, quae iuvare aut retardare possunt.

Exempla Sanctorum sibi colligat.

4. Ut colligat sibi aliqua exempla Sanctorum in hac virtute, quae ad manum habeat, quibus se subinde obiurget et reprehendat.

Examinet causas repugnantiae.

5. Ut examinet diligenter, et cum Superiore et Praefecto spirituali conferat, in quo rerum genere maiorem sentiat animi repugnantiam; et ea unde oriatur, an ex superbia, vanitate, pigritia, affectu inordinato ad studia vel quaevis alia, proprio aliquo fine et desiderio; ut ibi medicinam admoveat.

DEUM in Superiore agnoscat.

6. Ut constanter applicet animum, DEUM in Superiore cognoscat, nec humanis rationibus et discursibus det locum: quod malum cum sensim in animum irrepat, mirum est quomodo omnem obedientiae simplicitatem, alacritatem, promptitudinem, denique perfectionem omnem exhauriat. Unde vigilanter advertat, ut, quoties tale aliquid suggeritur animo, veluti venenum quam citissime expellat.

Examine et oratione a DEO petat.

7. Incessanter a Domino hanc virtutem petat, et in examine tam communi quam particulari praecipuam eius rei curam gerat.

Animi praeparatio ad quodvis faciendum.

8. Proderit si Superior aliquando iubeat, ut se per biduum aut triduum paret ad aliquid incertum faciendum, quod forte contra eius voluntatem et sensum erit, ita tamen, ut animo statuat numquam positive se in contrarium consensurum.

In proponendo, praeviae sint oratio et resignatio. *P. 8 c. 2 n. 1.*

9. Numquam aliquid proponat, quin duo illa praemittat, a B. Patre Nostro praescripta, orationem et resignationem: quod si hanc non sentiat, saltem desideret et petat a Domino, statuatque se etiam renitentem facturum; paulatim enim, ut ait S. Macarius aegyptius, dulcescet ipsa virtus, ad quam veluti reluctantem nunc se adigit. *Serm. 19.*

Quomodo in levioribus assuescat.

10. Iniungat ei Superior frequenter leviora, et in quibus novit eum non habere difficultatem, ut sic assuescat ad alterius iussum aliquid facere: post factum collaudet, addat animum etc.

Exercendus per biduum in difficilibus.

11. Aliquando sumat aliquod certum, in quo magnam ille habeat difficultatem, dicatque, ut ad id faciendum per biduum aut triduum se praeparet, ut ex communi consensu id faciat. Ubi fecerit, si alacriter tulerit, recreet et animet, docens eo exemplo fore, ut omnia sint faciliora; si gravate, laudet patientiam, promittat victoriam, fore ut facilius vincat, atque paulatim hac exercitatione robustior evadat.

Interdum pie condescendendum.

12. Aliquando pie condescendat Superior, ut id praetermittat, ad quod gravem sentit repugnantiam; sed ita paterne, ut intelligat ille fuisse piam dispensationem et suavem condescensionem, tantum ut proficiat et crescat, et ut, robustior factus, possit alacriter portare quod modo non potest. Interim tamen, licet Superior ex parte sua id faciat, sciat tamen se sibi meritum et vires imminuisse, quas auxisset, si se magno animo vicisset.

Monendus per familiares.

13. Moneat eum Superior per Praefectum spiritualem, et alios probatos viros, si quos ille habeat familiares, et quibus ipse confidit.

Quid, si desit voluntas in infirmo.

14. Quod si desit voluntas curationis in infirmo, ut medicamenta respuat, tunc primo acrius erit exstimulandus, et causticis, ut aiunt, utendum, ut intelligat se malo in statu et valde periculoso versari, nec posse propinquare sanitati, qui a re-

mediis abhorreat. Secundo, orandum pro eo diligenter a tota domo, tamquam pro eo, qui periculose admodum laborat. Tertio, monendus Provincialis. Sed sperandum est, si suscipiatur curatio modo praedicto, paucos futuros adeo rebelles.

Caput VI. — Effusio ad exteriora.

Causae ex quibus proveniat.

Considerandum, an id proveniat ex quadam inquieta et mobili natura: tunc enim, licet ea reprimenda sit et dirigenda, tamen revera vix assurget, ut fiat homo interior atque collectus, nisi singulari gratia praeveniatur, et ipse studiose et valide naturam domet, et actibus frequenter validisque se comprimat. Hic autem occupandus erit ex obedientia in negotiis utilibus et piis; coercendus, ne in alia dilabatur et diffluat: prudentis enim est apte uti ingeniis hominum ab bonum. Monendus, ut interrumpat aliquando perpetuitatem actionis, et, si nihil aliud, quiescat saltem in cubiculo, legens aliquid spirituale, vel recitans Psalmos aut Rosarium, vel examinans conscientiam, ita ut omnino abstineat ab exterioribus. Monendus, ut subinde dirigat intentionem, examinet defectus, qui frequenter in talibus subrepere solent, loquacitatis, curiositatis, impatientiae, nugatoriarum narrationum, adulationis, vanitatis, murmurationum, iudiciorum et huiusmodi. Ex his cautior fiat et humilior, misereatur sui ipsius et apud se vilescat, qui, quasi doctus diligere trituram, vel ad altiora non assurgit, vel mox recidit. Studeat ex hac confusione in obedientia esse promptior, in iniuriis tolerantior, in officiis abiectioribus devotior, in aliorum infirmitatibus magis compatiens, in mortificationibus carnis ferventior: denique compenset aliis officiis et exercitiis quod in hoc minus habet. Si vero nascatur potius ex quadam interiori ariditate, qui, cum spiritualia et interna non gustet, quaerit in exterioribus solatia, alia via incedendum est.

Occupandus in utilibus negotiis.

De quibus monendus.

Oseae x, 11.

Quid, si nascatur ex interiori ariditate.

Restringendae vagationes.

1. Restringendae occasiones vagationis, multa negotia etiam utilia aliis demandando.

A visitationibus abstinendum.

2. A visitationibus, non per unam aut alteram hebdomadam, sed per aliquot menses omnino abstineat, ut assuescat vel invitus domi sese continere.

Regula de non alloquendo externos.

3. Omnino servet regulam, ne accedat ad colloquia externorum, nisi iussu Superioris a ianitore vocatus.

Sese frequentius colligat.

4. His iam contrariis remotis, incipiat frequentius ad cor redire, examen conscientiae brevissime, sed frequenter faciat, se ad se intus revocans, mentem ad Deum elevans, et vel unico suspirio dicat cum confusione: *Vide, Domine, humilitatem meam et laborem meum.* Ps. xxiv, 18.

Lectio pia.

5. Praefigat sibi certum tempus ad piam lectionem, saltem bis in die, qua vires reparet.

Rosarii recitatio.

6. Unam aut alteram decadem Rosarii divisam per totum diem recitet, petendo, proponendo et compungendo, desiderando, gratias agendo etc. Bonum aliquem spiritualem affectum, si non ubertim sponte fluentem, saltem humilitate et assidua quasi retractatione exprimat.

Versiculi prompti ad excitandum affectum. Habac. ii, 1.

7. Habeat ad manum expedite versiculos aliquot e Scripturis, qui compunctionem excitent, quos sibi colligat, vel ab alio collectos memoriter discat; v. g.: *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam*

Ps. XXI, *15.* *ad arguentem me.* Item: *Sicut aqua effusus sum.* Et illud: *Fili mi, ne effluas.* Et illud: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu.* Et illud: *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet;* et innumera huiusmodi, quae cum aliquo desiderio subinde iaculetur.

Prov. III, *21, iuxta* LXX. *Sap.* I, *5.*

Eccli. XXXVIII, *25.*

Exercitia.

8. Exercitia Spiritualia, etiamsi aegre contineri possit, per plures dies faciat.

Collectio ante negotia.

9. Antequam negotia aggrediatur, colligat sese, dicatque cum S. Bernardo: *Ubicumque fueris, tuus esto: noli te tradere, sed accommodare.* Ubi vero perfecerit, redeat ad se statim, et negotia, quoad poterit, aliquantula quiete interrumpat: nam vel tantillum sedere in via, vires fesso reparat; nec est omnium, inter strepitus viarum et negotiorum, Deo sibique esse praesentem.

Impetus reprimendus.

10. Ubi impetus ad aliquid agendum impellit, hoc ipso aliqua morula se detineat, ut assuescat non sequi statim animi impulsus.

Vim sibi inferat.

11. Postremo intelligat, nisi vim sibi inferat, seque quibusdam quasi catenis vinciat, etiamsi natura et consuetudo reluctetur, omnino nihil promoturum: sed, si id faciet, paulatim dulcescet illi Deus, et spiritualium atque internorum tractatio reddetur quotidie facilior. Morbus enim acediae et evagationis nulla alia re magis exaggeratur, ut Cassianus et experientia docet, quam si cedamus.

Caput VII. — Amor excellentiae et honoris.

Morbi leviores signa gravioris.

1. Intelligat infirmus ante omnia, sicut in morbis corporalibus contingit, ut levissimum sit aliquando symptoma, si per se spectetur, quod tamen valde timendum est, si advertatur unde proveniat; ita erumpentia quaedam signa vanitatis, amoris excellentiae et huiusmodi, quae interdum a nobis parvi fiunt, indicare non levem superbiae morbum. Ea autem cum duplex ponatur a Sanctis, praecipue vero a Cassiano libro 12 de Institut., haec, de qua nunc agimus, valde carnalis est et crassa.

2. Animadvertat amarissimos inde oriri fructus, eosque frequentes, quibus miseram animam cibari saepius in die contingit; in rebus enim obedientiae, ubi aliquid non est speciosum, magnam inveniet difficultatem in illatis molestiis: et, si quid contingat, quod frequenter accidit, in quo non videatur magni fieri, impatientia et tristitia maxima obruetur; in ministeriis, nisi ab omnibus collaudetur, animum despondebit. Contra efferetur, caeteros despiciet, et fiet intolerabilis, si pro voto laudetur; opera quae faciet, saepissime intentionis impuritas maculabit; multa praetermittet ex tumore bona, quae alioqui faceret; directionem et exhortationem non admittet; unionem fraternam saepissime laedet; in culpae cognitionem numquam consentiet: at ubi est defensio peccatorum, quid boni sperandum? Legat diligenter Cassianum dicto libro 12 capite 29, de signis superbiae; immo accurate et cum meditatione non semel totum librum duodecimum, et praecedentem, qui est de cenodoxia; et inveniet tam causas morbi, quam remedia egregie descripta.

Quales fructus superbiae.

3. Meditationes de humilitate, eius pulchritudine, utilitate, necessitate; item de superbiae foeditate, iniquitate, damnis etc., non perfunctorie, sed adhibita diligenti exercitatione, per ali-

Remedia per meditationem.

quot dies aggrediatur; certoque apud se statuat, non esse huius morbi curam levem aut facilem. Petat itaque a Domino assiduis, tum suis, tum aliorum precibus, sanitatem.

Per examen.

4. Ubi viderit per examen fructus malos pestiferae huius radicis, recurrat statim ad eam, ibique se reprehendat, ibi gemat, nec umquam alteri causae, praesertim aliorum culpae, defectum tribuat.

In quibus se exerceat. *Exa. c. 4 n. 28.*

5. Contrariis operibus constanter insistat; in humilioribus exerceatur, non modo officiis domesticis culinae etc., quae iuvant quidem, et ad impetrationem conferunt, sed multo maxime in iis functionibus, ad quas minus afficitur, et quae ab aliis minus suspiciuntur; et, si detur optio, eligat semper humiliora.

Remedia a sensu magis abhorrentia sequatur. *Exa. c. 4 n. 28.*

6. Proponat Superiori ea media suscipienda, a quibus sensus magis abhorret; et sciat, si curari serio velit, sibi contra se cum Superiore conspirandum, ut et ipse sibi vim inferat, et Superior variis mortificationibus et humiliationibus, quasi coniunctis copiis, eum iuvet.

Publicae reprehensiones in hac re utiles.

7. Capitula, seu publicas reprehensiones, non ad externam tantum speciem et, ut dici solet, pro forma; sed ad humiliandum et vere confundendum apposita petat. Dentur aliquando non petenti, immo nec cogitanti (de quo tamen, ante quam fiat, cum illo statuisse oportet), ut cum maiore praeparatione et fructu suscipiat.

Aemulos praecipue colat.

8. Si quis est domi, cum quo peculiaris aliqua ratio aemulationis subsit, hunc praecipue colat; sed ab eo contra, iuxta praescriptum Superioris, quasi ex composito, in specie exteriori contemnatur.

Reticere sua.

9. Numquam sua narret, etiam praetextu aedificationis: quod enim sanis cibus esse potest, infirmo nocet; nec est infirmorum, ut in huiusmodi narrationibus Dei gloriam, non suam quaerant.

Quid in hac re tenendum.

10. In hoc praecipuo hoste debellando illud tenendum est, ut sine intermissione eum persequatur, semperque faciat contrarios aliquot actus, dicens cum Scriptura: *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* Et item: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar, donec deficiant.*

Isa. XIV, 22. *Ps. XVII, 38.*

Viriliter decertandum.

Postremo intelligat, nisi viriliter decertet, non modo futurum se quotidie erga hostem hunc debiliorem, sed etiam paulatim morbum ipsum minus cogniturum, ita ut, cum fiat assidue magis superbus et gloriae cupidus, videatur sibi semper humilior et sanctior; haec enim est morbi huiusmodi natura, hic lethargus.

Caput VIII. — Inclinatio ad sensualitates et amicitias.

Natura huius morbi.

Morbus hic crassior et magis carnalis est; nec adeo difficilis curationis, modo mediocri aliqua cautela sese curet aegrotus.

Religioso homine indignus.

1. Itaque intelligat hanc Religioso homine, qui crucifixus esse debet, valde indignam esse, et vilem ac turpem agendi rationem, ut sic confundatur, et reputet se omnibus viliorem.

Singularia vitet.

2. Numquam admittat, multo minus quaerat in victu, vestitu vel recreationibus aliquid singulare; et, si ab externis offeratur, reiiciat; vel, si iustis ex causis recusari non possit, ad Superiorem pro infirmis referat.

Temperantia illi pernecessaria.

3. Extra tempora prandii et coenae, etiamsi maxime se affici sentiat, nihil sumat: nam servare aliquid apud se, etiam Superiore consentiente, su-

mendum pro libito, probandum non est; nec etiam aedificat dispensatorem aut aliquem alium fratrem ea de causa interpellare.

Querelas vitet.

4. De iis, quae domi dantur, pane, vino, carnibus, memor paupertatis et mortificationis, numquam conqueratur, sed curet semper optare viliora; et, si quando tale aliquid subrepserit, agat potius Deo gratias pro qualicumque sanctae paupertatis experimento.

Corporalis afflictio addenda.

5. Ne, carnem nutriens, contra se imprudens exacuat, memor sit ad interiores meditationes et virtutis actus addere etiam corporales afflictiones, disciplinas et alias poenitentias: petat eas et statas habeat; nec, imprudenter sibi blandiens, putet, quod magna certamina non sentiat, se huiusmodi rerum usu et exercitatione non egere.

Silentium.

6. Silentium diligentissime servare studeat: vix enim credi potest, quantum haec disciplina silentii conferat, sive ad vitandas innumeras maculas, quas ex inordinata locutione contrahimus; sive ad libertatem quamdam, quae sensualitatem nutrit, coercendam. Experiatur et intelliget.

Quid, cum cessandum est.

7. Si quando, labore et fatigatione urgente, aliquid cessationis fuerit necessarium; non quaerat colloquia, non alios advocet, non circulos cogat; sed poterit solus per aliquod temporis spatium, in horto vel alibi ambulans, elevare ad Deum mentem versiculis Psalmorum, vel hymno aliquo, non quidem per modum intensae orationis, sed ad relaxationem et spiritum recreandum, gratias agendo, petendo, desiderando. Quibus si quis exercitatus fuerit, inveniet innumeros spirituales affectus, qui facile quasi de corde profluent; quibus non solum elevari spiritum, sed corpus etiam a labore sentiet recreari. Quod si aliqui id non experiantur, intelligant inde potius provenire, quod terrenas consolatiunculas consectentur, et otiosis narrationibus atque colloquiis delectentur.

Quid, cum ad exteros vocatur.

8. Cum ad exteros vocatur, vel eos invisit, proponat et peculiari provisione statuat cavere a facetiis, nugis, novis vel audiendis vel narrandis; et, si incidant, pio aliquo colloquo interrumpat, captata ex iis quae dicuntur occasione.

Peculiares affectus vincendi.

9. Si peculiari aliquo affectu, etiam naturali, et veluti sympathia affici se erga aliquem sentiat, curet statim initio omnem extraordinariam communicationem abrumpere, et communi tantum charitate illum amplecti (vix enim dici potest quanta incommoda oblocutionum, detractionum, querelarum, delationum, suspicionum, inimicitiarum, conventiculorum, munusculorum et similium ex singulari et extraordinaria communicatione oriantur); sed omnes uno spiritu complectatur.

Orationis studium.

10. Postremo orationi et rebus internis plus se dedat; gustato enim spiritu, desipient nugae istae.

Hic de tentationibus contra castitatem aliquid esset attingendum, quibus non est dubium, quin tales infirmi frequenter pulsentur, licet interdum attendere vel dissimulent vel negligant; sed et morbi ipsius periculum, et lapsus gravitas, et ignominia et pleraque alia infirmos ad medicinam exstimulant. Sed quo pacto orationibus et ieiuniis, poenitentiis, occasionum fuga, humilitate, manifestatione tentationum, lectionis instantia, occupationibus sanctis, frequentia sacramentorum et plurimis aliis

Quid, cum carnis tentatione pulsatur.

remediis occurrendum sit, pleni sunt libri Sanctorum. Qua diversitate item curandi infirmi sint, si morbus incipiat ab anima per suggestiones et redundet in corpus; vel contra, si ex carnis petulantia redundet in animam; quomodo, si cogitationes turpes importunae vel in phantasia pullulent ex malis habitibus, vel fiant immissiones per angelos malos; quanta discretione discernendum; quae curatio adhibenda; haec peti possunt a plurimis doctoribus, qui ea de re copiose scripserunt, praesertim vero Sancto Bonaventura tractatu de puritate conscientiae, capite 12, et de reformatione mentis, parte 2, capite 22; Gersone cancellario de exercitiis discret. simpl., de malarum cogitationum causis et remediis, cap. 3, et alibi sparsim.

Caput IX. — Profunditas et defectus claritatis.

Conscientia primum discutienda.

1. Primo monendus diligenter, ut discutiat et dispiciat attentius semetipsum: nam tenebrae huiuscemodi, quibus se celari quis cupit, fere coniunctae esse solent cum tenebris interioribus, ita ut in anima illa nec claritas propriae cognitionis, neque lux quaedam in agendis, nec splendor divinorum soleat apparere, sed revera tenebricosa omnia et confusa, ita ut nec divinarum inspirationum et actionum motiones pacatae sentiantur, nec pulchritudo virtutum sine magna nebula et fumo, immo etiam caligantibus oculis omnino cernatur.

Quanti fecerint Sancti Patres.

2. Perpendat quanti fecerint semper Sancti Patres hanc animi sinceritatem et claritatem in agendo cum Superiore et Rectore spirituali; quam multa exstent exempla; quid S. Basilius, Reg. fus. disput. resp. 46, ubi citat illud Prov. 18: *Qui non medetur sibi ipsi, frater est sua opera dissipantis*, iuxta LXX; nostra editio habet: *Qui mollis et dissolutus est in opere suo* etc., quid Cassianus, quid B. Pater Noster, quid denique omnes, qui de perfectione scripserunt, senserint.

Prov. XVIII, 9. — Collat. 2.

Ostium diaboli est profunditas.

3. Sciat nullo alio vitio ita operiri ostium Satanae, qui est spiritus tenebrarum, qui cum eiusmodi anima pro suo arbitratu sine ullo interpellatore libere agit, et multa facile persuadet; nec ullo alio vitio ita remediis omnibus occludi aditum: quare, se ipsum aperiendo, tentationes facile vincet, quibus tacendo succumbet.

Ratio tacendi mala est.

4. Si nihil aliud, ratio ipsa, qua tacetur, mala est et suspecta. Aut enim superbia prohibet, ne defectu manifestato vilior reputetur; aut negligit manifestare se, quia putat sine ullo duce suam sibi prudentiam sufficere, quod etiam arrogantiae et superbiae est; aut humano aliquo fine sibi proposito veretur, ne haec manifestatio sibi ad eum consequendum impedimento sit. Denique, si mediocriter se examinet, inveniet statim radicem eius rei non bonam.

Superiori fit amabilior et charior se manifestans.

5. Instruendus est, non solum hoc nomine non futurum eum Superiori minus charum, immo contra multo chariorem: nam non modo actus ipse manifestationis virtutis est, sed humilitas, quam hoc facto ille ostendit, desiderium curationis, fiducia cum Superiore, spes ipsa sanitatis, nescio quo, sed miro tamen modo longe amabiliorem Superiori reddunt, quam ipse defectus opinionem minuat; cum praesertim culpa in eo, qui se candide manifestat et iuvari desiderat, non tam ut culpa, quam ut infirmitas (quae compassionem magis movet

quam indignationem), a Superiore spectentur.

Superior eum lucretur: quomodo. *Reg. 25 Rect. et 26 Praep.*

6. Ad hoc vehementer iuvat, si Superior iuxta Regulas crebro et magna charitatis significatione cum eo agat; ut opinio amoris, in Superiorem fiduciam generet, consuetudo minuat pudorem, et suavitas agendi erigat pusillanimitatem.

Similis defectus exempla.

7. Iuverit, si, captata prudenter occasione, defectus aliquos, in quibus ille maiori pudore suffunditur, de aliis nonnullis (tacito eorum nomine, nisi essent illi iam Sancti, et res narraretur in libris) ad exemplum adducat; addens diuturnitatem morbi, pugnae difficultates, modum victoriae, vel alia, quae ad rem facient, eumque exstimulent ad vires concipiendas.

Quid, quando ab aliis manifestatur.

8. Cum ab aliis manifestatur, monendus suaviter, addendi stimuli, quare meritum sese manifestandi passus sit sibi praeripi, cum etiam secundum hominem, qui se manifestat, minorem sentiat pudorem. Interdum prudenter, culpam extenuando, doceat non fuisse causam, cur tantopere rem celatam esse voluerit. Interdum, docendo, hanc occultationem auxisse culpam per se non magnam. Interdum, addendo, ut videat quid mali faciat vel pusillanimitas, vel propria aestimatio: quia, quod sola manifestatione facile fuisset curatum, iam factum est alicuius momenti, unde necesse sit petere, inquirere, examinare et huiusmodi.

Crebra conscientiae redditio.

9. Hortandus, ut crebrius, etiam sine magna necessitate, conscientiam suam et defectus aperiat; quo sic assuescat, et quotidie levius inveniet, et melius habebit. Addendum, si surreptio vel mala consuetudo potuit culpam elicere, voluntate quasi dormitante, cur ipsa voluntas volens et vigilans non eliciat pro imperio longe facilius confessionem?

Pericula ex profunditate.

10. Monendus, si non videt, ut credat saltem, si non valde constanter contra se pugnet et vincat, fore ut in dies deterius habeat; nam et plura et diu tacita manifestare maiorem adfert confusionem, et tacendi habitus contrahitur, et tenebrae augentur, et conscientia sensim obduratur.

Lectio et meditatio similium.

11. Postremo proderit legere huius rei documenta et exempla, meditari pericula eorum, qui ita vixerint: contra, serenitatem, meritum, conscientiae tranquillitatem et innumera bona eorum, qui, confusione calcata, se se manifestarunt, et dirigendos spirituali Patri tradiderunt. Denique perpendat apud se, an fuerit umquam aliquis sanitatis cupidus, qui morbum celaverit; an quis ita demens, qui, cum possit Patri spirituum Deo, omnia perspicue videnti, humili sua accusatione reconciliari, malit se cum confusione abscondere. Vere insania falsa. *Ps. xxxix, 5.*

Caput X. — Iracundia, impatientia, vel aversio a fratribus.

Quando fuerint aversiones diuturnae.

1. Si fuerint aversiones diuturnae, primo monendus erit amanter, sed serio, quam hoc indignum sit christiano homine, nedum Religioso, qui, inter fratres vivens, unius moris et cordis cum caeteris esse debet. Et ut recogitet ex humilitatis defectu impatientiam nasci; ideo factum alterius, quo succensus videtur, non tam fuisse causam commotionis, quam manifestationem veritatis occultae. Videnda quae pulcherrime disputat Cassianus collatione 18 capite 13, 14, 15 et 16.

Per Confessarium reconciliandus quam primum.

2. Exstimulandus per Confessarium, nec sicut in caeteris imperfectionibus tolerandus diutius, quin efficaciter semel se vincat, et, deposita omni amaritudine, coniungatur fratri, sciens nec orationes nec actiones caeteras tales esse posse, quales oportet, nisi hoc diligenter fuerit emendatum.

Per Superiorem reconcilietur quam primum.

3. Curet Superior, ut cum fratre quam primum redeat in gratiam, nec ulla ratione permittat, si quando id contingat, ut signa communia salutationum, colloquiorum, et officiorum, et huiusmodi sibi invicem negent; quod ne in militibus quidem contubernalibus toleratur: nec ulla excusatione aut dissimulatione id permittendum, tum quia grave est, tum quia magis dissensiones nutrit et domi scandalum.

Superior quomodo alloquatur offensum. *Rom. XII, 21.*

4. Superior alloquatur etiam illum, cui offensus est, ut is, quamvis nulla sua culpa ab illo ita tractetur, vincat tamen in bono malum, humiliet sese, adeat primus, blande hominem alloquatur, provocet modis omnibus ad charitatem. Denique ipse Superior vel alius sit mediator, ut omnino et absque mora res componatur.

Omnino tollenda amaritudinis causa.

5. Non admittat Superior, quod frigide dici solet, se per Dei gratiam nihil mali illi velle, non sentire in animo rancorem; tantum non posse illum libenter videre, non cum illo ex animo agere; diversitatem complexionis, morum dissonantiam non permittere, ut placide convivere possint. Haec omnia refellenda sunt, tamquam a nobis aliena, et excusationes in peccatis, atque amaritudinis germina a pessima radice profecta: nec ferendum, ut, diutius venenum in pectore servantes, gravius afficiamur. Erimus enim in tenebris, et ira multa audebit: *Non enim erubescit in tenebris*, ait S. Augustinus, *cum super eam sol occiderit.* Luce quippe charitatis et unitatis vel extincta vel passionum et mali affectus nebulis et caligine praepedita, deteriora contingent in animo, sive in alterius sive in proprium detrimentum, quam quae in corpore solent in tenebris ambulanti. *Ad Profuturum epist. 149.*

Charitatis signa peculiaria mutuo exhibenda.

6. Efficiat, ut pecularia signa charitatis exhibeat ei, cui offensus est, cum illo amanter agendo; si quid potest, pro illo praestando; si infirmus fuerit, saepius visitando, illi inserviendo, etiam sensu reluctante. Denique urgeat, ne plus patiatur in suo pectore virulentum indignationis affectum, quam Christi dulcedinem regnare. Idem agat cum altero, ita ut mutuis officiis charitas certet: sic enim, Deo iuvante, sanabitur. Quod si alter in alterum reiiciat culpam, docendus quod Cassianus docuit, ubi agit de spiritu tristitiae. Quae, quoniam egregie rem attingunt, et paucis graviterque illam explicant, placuit etiam hic adscribere. Sic itaque habet: *Ideoque Creator omnium Deus, opificii sui curationem prae omnibus noscens, et quia non in aliis, sed in nobismetipsis offensionum radices causaeque consisterent; non deserenda praecipit fratrum consortia, nec vitari eos, quos laesos a nobis, vel a quibus nos arbitramur offensos, sed deliniri iubet: sciens perfectionem cordis, non tam separatione hominum, quam patientiae virtute conquiri: quae firme possessa, sicut potest nos, etiam cum iis, qui oderunt pacem, pacificos conservare, ita, si parata non fuerit, ab his quoque, qui perfecti ac meliores nobis sunt, facit iugiter dissidere. Occasiones enim com-*

Quid, cum alteri culpam imputat. *Cassian. l. 9 c. 7 et 8.* *Ps. CXIX, 7.*

motionum, ob quas eos, quibus iungimur, deserere festinamus, in conversatione humana deesse non poterunt: et idcirco tristitiae causas, ob quas a prioribus separamur, non evadimus, sed mutamus. Procurandum itaque nobis, ut nostra potius emendare vitia, et mores corrigere festinemus: quae procul dubio si fuerint emendata, non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris et belluis facillime nobis conveniet, secundum illud, quod in libro Iob v, 23. *B. Iob dicitur: Bestiae terrae pacatae erunt tibi; extrinsecus quippe venientia non verebimur offendicula, nec ulla poterunt scandala nobis deforis inferri, si in nobismetipsis intus radices eorum* Ps. cxviii, 165. *receptae insertaeque non fuerint. Pax enim multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Hactenus ille.

Videnda quae libro 8 de spiritu irae ponit.

Videnda etiam quae libro 8 de spiritu irae ponit, praesertim a capite 8 usque ad 15. Legendus idem collatione 16 Abbatis Ioseph de amicitia, per totam, praesertim vero capite 15, 16 et 17, usque ad finem. Ex qua tamen collatione in capite 27 nullo modo praetermittenda duxi pulcherrima atque efficacissima verba, quibus locum illum Apostoli explicat: Rom. xii, 19. *Date locum irae*: *Hoc est,* inquit, *non sint corda vestra sic impatientiae et pusillanimitatis angustiis coarctata, ut violentam commotionis procellam, cum irruerit, sustinere non possint: sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes adversos iracundiae fluctus in illis extentis sinibus charitatis, quae omnia* I Cor. xiii, 7. *suffert, omnia sustinet. Et ita mens vestra, amplitudine longanimitatis ac patientiae dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo atque diffusus teterrimus iracundiae fumus protinus evanescat.* Haec de aversione et ira diuturna.

Quid, si fuerint subitaneae hae passiones.

7. Si vero fuerint impatientia et ira, vel excandescentia subita, quae frequenter contingunt, sed statim evanescunt, docendus erit occasiones antevertere, quibus se novit accendi, et paratus atque munitus accedat; cumque ebullire ferventiores spiritus senserit, saltem per aliquod spatium sileat. Vix enim credi potest, si verba affluere incipiant, quam difficile coerceantur, et quam animus excandescat; contra, si contineantur, facile sedatur et conquiescit.

Monendi domestici, ut vitent contentiones.

8. Moneat Superior domesticos, quos expedit, ut, cum viderint illum iratum, vitent omnino contentiones, et suaviter colloquia declinent, vel prudenter ad alia transeant: alioqui excitantur rixae, et, commotione vehementius irritata, in ea prorumpitur aliquando, quae, etiam cum ira deferbuerit, facile emendari non possint.

Superior severe iratum ne excipiat.

9. Cum ad ipsum Superiorem iratus accesserit et verba effuderit, qualia turgentes animo solent, caveat diligentissime, ne illum severe excipiat, sed molli responsione iram frangat. Prov. xv, 1. Super omnia autem videat, ne verba aliqua arripiat et exaggeret, quae ille incondita protulit: v. g. Quid est hoc? Quid dixisti? Itane Superiori? An oblitus es cum quo loquaris? Non meministi te esse Religiosum? et huiusmodi caetera. Haec enim tunc vehementer accendunt, et alioqui satis per se exacerbatum exasperant: sed suaviter ad orationem hortetur, monens ut redeat ad ipsum, quem inveniet sui amantissimum; sperare se, ubi perturbatio illa humana conquieverit, fore ut omnia bene componantur. Ubi deferbuerit spiritus, et redierit quietus, tunc paterne corrigat. Ita tamen, ut, etsi

illius culpae et commotionis turpitudo illi ostendatur, tamen animatus semper ad emendationem et bona spe ille recedat. Novimus enim aliquos, prae vehementia usque ad pallorem et tremorem affectos, etiam dimissionem a Societate in illo fervore petiisse; deinde, placide a Superiore placatos, rediisse non solum poenitentes errati sui et humiliores, sed etiam quietiores et promptiores, quam ante commotionem fuissent.

Superior ne turbetur.

10. Caveat in primis, ne ipse vicissim, ut fieri potest, offensus verbis, incipiat etiam turbari, et perturbato animo verba verbis rependere: hoc enim pessimum esset et perniciosum; sed, si quid contra se iactet, non magis moveatur contra illum, quam soleat mater inserviens contra filium phrenesi laborantem, cuius dicta vel facta compassionem ei potius et lacrimas teneritudinis, quam stomachum movent.

Quid Superiori faciendum, si in hoc deliquerit.

11. Efficiat, ut quoties in hoc errare contigerit, assumat ille sibi levem aliquam poenam, quam cum primum solvat; hoc enim facile et leve medicamentum, tum ex humilitate, tum ex aliqua interruptione illius turbidi affectus, tum ex impetratione divini respectus et misericordiae, non levis esse momenti, si perseveraverit, experietur.

Particularis examinis usus.

12. Tandem addat examen particulare, adhibeat peculiares orationes, petat publicas reprehensiones et poenitentias; si enim constanter egerit, non modo sanabitur, sed mutabitur in mansuetum, tractabilem et patientem.

Caput XI. — Laxitas in observatione Regularum, et conscientia minime timorata.

1. Monendus, ut consideret quo fine tanto apparatu relinquendi omnia, parentes, bona, honores etc. seipsum alieno subiecit imperio: nimirum ut ad perfectionem et cordis puritatem tenderet. Quare ergo post tot labores et egregia facta ita desipit in minoribus, ut ex ista laxitate illud non apprehendat, ob quod solum apprehendendum tanta praestitit? Multa possunt adferri exempla, ut haec stultitia manifestetur.

Meditari, cur omnia reliquerit.

2. Intelligat, aliud esse ex subreptione in multis delinquere, sed in virtutibus tamen strenue se exercere, tentationibus resistere, proponere meliora frequenter, ad perfectionem adspirare, nihil negligere; ubi erraverit, statim teneritudine conscientiae compungi, surgere alacriorem, iacturam levem maiori fervoris atque virtutum lucro resarcire: aliud vero esse id, quod ipse facit, facile delinquere, nullo metu stimulari, ubi manifeste mortale non suspicatur, leviter contemnere, ex imperfectione non solum non assurgere ad meliora, sed de una in aliam quasi sponte volutari. Itaque ne sibi blandiatur, ad insipientiam sibi usurpans illud, quod similes solent: *In multis offendimus omnes;* et: *Septies in die cadet iustus:* haec enim gemitibus potius digna sunt, quam ut ita quasi levi ioco dicantur.

Aliud est ex subreptione, aliud facile delinquere.

Iac. III, 2.

Prov. XXIV, 16 ut *S. Greg. in c. I Reg. c. 15; Cassian. in collat. 22 c. 13.*

3. Nisi caveat serio ab hac tepiditate, videat ne cadat in profundum. Solet enim ista Deo vomitum provocare. Legatque Cassianum collatione 4 de concupiscentia carnis capite 19, libro Instit. 4 de renunt. capite 34, ubi egregie docet, quod experientia com-

Tepiditatis effectus.

Apoc. III, 16.

pertum est in plurimis, huiusmodi homines magno in periculo versari. Quod si etiam in graviora non cadant, Domino miserante, tamen nihil praeclarum ad Dei gloriam, nihil ad proximorum utilitatem vel Societatis aedificationem ab iis posse exspectari. Et, si nihil aliud, certe vita ipsa tepidorum valde misera est et intolerabilis, et, ut S. Bernardus loquitur, plena miseriae et doloris, et, inferno plane proxima, umbra mortis iure censetur. Videnda quae idem Sanctus egregie docuit in haec verba: Sunt iterum multi inter nos etc.; et sermone 6 ibi: Contra sane invenire est homines pusillanimes et remissos etc.

S. Bern. serm. 8 et 6 de Ascens.

Profectum in spiritu examinet. *De itiner. aetern. 4 Dist. 4 ar. 2.*

4. Videat, qui eiusmodi est, et inspiciat profundius intra se, quae signa habeat proficientis iam, ut S. Bonaventura loquitur, roboratae charitatis, qui post abrenuntiationem, et tantum temporis in hac via consumptum, certe plura deberet habere. Quis sensus filialis et casti amoris cor eius pungat, ut tanto Patri talique Sponso timeat displicere. Hae divitiae salutis, hic thesaurus iuxta Isaiam. De quo timore Cassianus pulcherrime: *Vel tenuem*, inquit, *amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis illius intepescat.* Haec ille. Plangat igitur sub religioso habitu animum saecularem, exsurgatque velociter.

Isa. xxxiii, 6.

Cass. collat. 11 c. 13.

Quanto merito se privet.

5. Quot praeclaras merendi actiones et quot obedientiae, virtutum actus sibi permittat elabi; nec dubitet se in dies maiores mentis tenebras, et pertinaciorem conscientiae duritiem incursurum.

Semper perfectionis habenda ratio.

6. Numquam in electione eorum, quae agere intendit, perpendat tantum, an hoc mortale sit, necne; sed assuescat potius considerare, an hoc maioris sit perfectionis, et an magis Deo placeat, an illum vel leviter contristet: quale enim signum est amoris, illo modo agere cum Deo? Aut quis ferat filium dicentem: Revera diligo patrem; sed, citra lethalia vulnera et mortem, quidquid ei iniuriarum et molestiarum inferre potero, faciam omnia sine respectu ullo et liberrime: nec tantillum curo, magis an minus ei placeam, modo me haereditate non privet, vel morte puniat.

Qualiter iuvandus.

7. Etsi aliquando pro transgressione Regularum et nimia libertate bonum est ei etiam poenitentias iniungere; sciat tamen Superior hac medicina numquam tales ad sanitatem mentemque reduci. Quare, qui hoc morbo laborat, excipiendus erit serio, et secreto ac graviter arguendus, ut de statu vitae suae diligenter deliberet, seipsum intra se colligat, obligationem perpendat, ac si denuo de Societatis ingressu cogitaret.

Quid, cum in re gravi peccat.

8. Cum in aliqua re graviore deliquerit, puta dando vel accipiendo vel huiusmodi, et quantitas fuerit alicuius momenti, etiamsi revera non pervenerit ad mortale; tamen perurgendus erit de periculo et dubio, ne mortale admiserit; et ita terrendus, ut videat, quam verum sit illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Si litteras acceperit vel miserit inscio Superiore, graviter obiurgandus: Videat quo tendat, caveat insidias Satanae; non suadere illum ista, quae laxis leviora videntur, nisi ut pertrahat ad graviora. Si de aliquo murmuraverit, vel denique aliquid paulo gravius admiserit; ibi, paterne quidem, sed valde serio monendus, et poenitentiae, capitula et alia adden-

Eccli. xix, 1.

da, sed praecipua tamen vis, ut dictum est, in privata admonitione ponenda. Si nonnullis res innotuit, coram illis etiam, si ita expedit, erit arguendus, ut saltem erubescat, sciatque se sub iugo Domini esse.

Associandus alicui spirituali viro.

9. Assignetur ei aliquis contubernalis, vel in officio collega, cuius exemplo et observantia confundatur et incitetur; cuius colloquiis, data occasione, accendatur. Haec enim interdum magis movent et pudore afficiunt, quam consulto adhibitae correptiones.

Exercendus serio in Spiritualibus Exercitiis.

10. Denique collectio ad interiora, Spiritualia Exercitia, meditationes de perfectione, seria et non perfunctoria examina, etiam particularia, et quidquid ad spiritum instaurandum confert, huic proderit. Et quoniam infirmitas haec valde similis et coniuncta est secundae, id est, languori spirituali, quae dicuntur in quarto capite fere plurima huic etiam prodesse valde poterunt.

Caput XII. — Imaginatio infirmitatum, adspirare ad quietem, recusare ministeria.

Non facile damnandus.

Ante omnia Superiori cavendum, ne, cum aliquis, alioqui vir bonus et qui aliquando cum aedificatione laboravit, infirmitatem praetendit et a laboribus se excusat, facile eum damnet quasi imaginativum et fugitantem labores: hoc enim vehementer contristat, et saepe revera duritiem sapit, non credere affirmanti. Sed si ex medicorum relatu et nonnullis signis deprehendat aliquid esse admixtum imaginationis et otii, tunc caute procedendum.

Compatiendum sic affecto.

1. Itaque etiam sic affecto magnum ostendat compassionis affectum, consulat medicos, et deinde eos secreto interroget. Et quidem initio bonum erit, si infirmus a medicis ipsis animetur bona spe recuperandae cito sanitatis; deinde ab Infirmario et aliis domesticis: tum suscipienda est illius cura diligenter per aliquot dies, illique spes facienda, fore ut brevi melius habeat, ita ut paulatim ipsemet hanc cogitationem deponat, asseratque se iam melius habere: quod non semel in nonnullis contigit.

Quid, cum infirmitas non apparet.

2. Si pergat, et infirmitas non appareat, sed praetexat ille defectum quemdam virium, et magnam capitis fatigationem, et huiusmodi alia, in quibus se diu fuisse affirmet; tunc maior etiam piae compassionis affectus ostendendus, addendaque illa, quae ipsemet putet fore sibi utilitati, puta deambulatio frequentior, particularitas aliqua parvi momenti in cibo, potu, somno etc. Ubi vero per aliquot dies ita fuerit cum charitate et suavitate tractatus, ut facile sibi persuaserit Superiorem ex charitate agere; expedit illi proponere, an non vita illa otiosa molesta illi sit et melancholiam generet? Affirmabit sine dubio. Interrogandus, quid ergo cuperet, quid putaret fieri posse quod iuvaret? Inveniet aliquas relaxationes et recreationes extraordinarias: ex iis aliquae reiiciendae, sed cum significatione compassionis, tamquam impedientes aliorum occupationes et ministeria, videbit enim etiam aliorum habendam esse rationem; nonnullae bono aliquo colore, praesertim tamquam ipsi minus commodae, declinandae; aliquae, licet non necessariae, pia quadam indulgentia concedendae.

Alia remedia adhibenda.

3. Curandum, contra quam in vere indigentibus fieri debet, ne alii conversationibus et confabulationibus eius otiositatem nutriant: sed relin-

quatur solus, ut, vel fastidio victus, legat aliquid vel faciat, et ab otio incipiat abhorrere.

Aliae dentur occupationes,

4. Interrogetur, quid magis sibi nocere experiatur, quod genus occupationum molestius ferat. Dicet duo vel tria: abstineatur ab illis, inveniantur aliae occupationes, quibus sensim vel ad levandum taedium vel ad minuendum fastidium non invitus occupetur: vix enim fatebitur se ad omnia inutilem.

et quas fere posset.

5. Petatur contra, quaenam illi videantur posse sine magno sui detrimento ab eo attingi; et illa experiatur, videat quomodo succedant, animetur, detur aliquis adiutor, minuatur consuetae tempus occupationis: si non potest per duas horas, occupetur per unam; si a confessionibus abhorret, interrogetur, an in studio concionum, an in docenda doctrina christiana, an in aliquo exteriorum officio possit occupari, et paulatim eo deducendus, ut aliquid aggrediatur.

Post aliquod tempus urgendus suaviter.

6. Ubi aliquod tempus effluxerit, poterit suaviter moneri, ut videat, ne, cum plura forte praestare possit, privet se, Societatem et proximum eo fructu, qui ex illius laboribus colligi posset. Negabit: urgendus suaviter, ut tentet saltem ad breve tempus.

Quid, post longanimitatem.

7. Paulatim vero, post exhibitam compassionem et longanimitatem, ex temporis spatio et experientia magis habebitur unde possit acrius exstimulari et moveri; ne, etiamsi vera sit secundum rem debilitas, habeat forte aliquid imaginationis admixtum: adferenda autem erunt exempla; fuerunt enim Patres maturi, pii et graves, qui huiusmodi morbo laborarunt, qui postea, credentes medicis, sola obedientia curati sunt. Nec defuit, qui ex apprehensione tenaciori putaret se homicidam futurum sui, si medicis in victu et cura eius, quam praetendebat, infirmitatis obtemperaret. Asserebat enim se tam evidenter de vita periclitari, si medicis acquiesceret, ut nulla ratione id, salva conscientia, posset: quem cum Superior, adhibitis etiam Theologis, iuberet securum esse et deponere scrupulum, quem in se susciperet, acquievit tandem et, Deo iuvante, curatus est.

Obloquia caeterorum coercenda.

8. Sed et illud animadvertat Superior, ne domi obloquantur aliqui contra illum, ne morbum tristitia exaggerent; neque contra ita ostendant se credere, ut illum in sua imaginatione confirment: sed semper ita loquantur et sentire se ostendant, illum esse virum talem, cui credere debent; fore tamen, ut animatus plus possit. Adhibeat curationem, credatque medicis, Superiori acquiescat, sibique persuadeat, occupationibus moderatis magis excitari et iuvari naturam, quam opprimi. Quid faciet, cum otio marcescet? erit sibi ipsi gravis: et alia, quae in hanc sententiam cum modestia et significatione compassionis adferri utiliter poterunt.

Coeli mutatio.

9. Postremo, si aeris mutatio tamquam utilis ab ipso apprehenderetur, Provinciali significandum, quam etiam medici valde commendent, polliceanturque ex hac mutatione fore omnino, ut vires reparet. Sunt enim melancholici in impressionibus et apprehensionibus mirabiles: et fieri posset, quod non semel contigit, ut, nulla vere facta in corpore mutatione, existimaret se ex illa loci mutatione plane restitutum, et aggrederetur magna. Si vero sit in loco, unde etiam difficile avellatur, tunc medici urgeant magis loci mutationem, et

forte statim dicet se melius habere ubi est, et incipiet aliquid facere, ne cogatur inde discedere, ubi libenter habitat. Hae sunt infirmitates humanae, tolerandae patienter et curandae suaviter.

Caput XIII. — Tentatio contra Institutum et aliquot Regulas, quae non placent.

Huius morbi difficultas. Morbus hic plane periculosus est et valde curatu difficilis, praesertim in antiquioribus. Itaque investigandus est diligenter, et detegendus solerter, et accurate curandus. Solent enim huiusmodi homines morbum alte celare, et nisi occasio aliqua quasi non advertentibus aliquid extorqueat, vix se prodent, nisi cum iis, quos potuerint subodorari eiusdem esse sententiae.

Oratione iuvandus. 1. Ante omnia igitur tamquam pro graviter et periculose aegrotante orationes indicendae domesticis, tum cura eius infirmi suscipienda diligentissime.

Hortandus ad se aperiendum Superiori. 2. Curetur itaque in primis, ut sese confidenter aperiat, dicatque quibus in rebus Instituti tentationem patiatur; an fuerit illa diuturna, qua occasione orta, quibus accidentibus aucta; an dubia sua cum aliquo communicaverit, praesertim Superiore; quomodo et in quibus ei satisfactum; quid nunc est, quod eum maxime angat, ne dubitet se sincere manifestare. Forte enim aliqua eum affligunt, quia falso apprehendit: forte quia modum illa tractandi non intelligit (id enim multis contingit, qui non tam veris quam animo conceptis et apprehensis difficultatibus in rebus torquentur huiusmodi); nec dubitet Deo adiutore posse, si demonstretur, spinam evelli, quae pungit occulta: non esse eum vel solum vel primum, qui talia passus sit. Sed quoniam non omnes Superiores eam habent Instituti notitiam aut prudentiam, ut satisfacere possint, et occurrentes obiectiones sive intellectu illarum rerum sive praxi commode diluere; omnino expedit, nisi esset Rector maximi Collegii, vir prudens, gravis et in his versatus, eum infirmum ad Provincialem mittere.

Detegenda morbi gravitas. 3. Ubi aperuerit ille morbum, dicet forte ea, in quibus fere tales impingere solent, scilicet: non probari sibi diversitatem graduum, Professionis dilationem, tam amplam Superiorum potestatem, reddere rationem conscientiae, manifestationem defectuum et caeterorum per quemlibet, qui extra confessionem ea sciret. **Docendus de singulis.** Hic ergo Superior aggrediatur hominem, ponatque ei ob oculos morbi gravitatem, ut sciat, nisi diligenter curetur, non magis eum futurum in Societate quietum, vel forte etiam perseveraturum, quam si Carthusianus aliquis v. g. moraretur inter Franciscanos, cuius Religionis nullam sensit, aut adhuc sentit vocationem. Itaque accingat se ad opus, dicatque primo, an haec omnia intellexerit biennio novitiatus, an in tot renovationibus votorum. Respondebit haud dubie se vidisse, sed tunc non bene percepisse, postea autem apertis oculis plenius perspexisse. Sane videat, ne nunc male apertos habeat, sicut primi parentes ad videndum suam confusionem. *Gen. III, 7.* Vere enim carnis prudentia ad male videndum eius aperuit oculos, quos innocentia felicius clauserat, aperiendos ad ea, quae sunt Spiritus Dei. Et certe ita contingit, ut remoto lumine Sancti Spiritus et vocationis, quae omnia in

suis verisque coloribus apprehenderat, nunc, resumpta lucerna carnalis et naturalis intelligentiae, non eodem modo videat. Quare hoc potius deflendum, resumendumque primum lumen: *Nam prudentia carnis mors est;* et in lucerna propriae naturae, quae semper seipsam quaerit, quae mortificationis, abnegationis et perfectionis sunt, pulchra et lucida, uti sunt, apparere non poterunt: quippe cum Apostolus animalem hominem asserat, ea quae sunt Spiritus DEI, percipere non posse, quia stultitia est illi. Et vere ac sapienter a Piammone dictum est apud Cassianum: *Numquam rationem veritatis intrabit, quisquis a discussione coeperit erudiri: quia videns eum inimicus suo, potius quam Patrum iudicio, confidentem, facile in id usque propellit, ut etiam illa, quae maxime utilia ac saluberrima sunt, superflua ei videantur et noxia. Atque ita praesumptioni eius callidus hostis illudit, ut, irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhaerendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque iustissimum suae tantum obstinationis errore censuerit.*

Rom. VIII, 6.

I Cor. II, 14.

Cassian. collat. 18 c. 3.

Ostendendum non esse nova in Societate.

4. Ostendendum, fere haec omnia non esse in Societate nova, usurpata esse a sanctissimis Religionum Fundatoribus, et antiquissimis Patribus: adducenda loca Sanctorum, Basilii, Benedicti, Augustini, Pachomii, Cassiani. Quod si quibus minus probantur, ii perfectionem Institutorum et religiosae exercitationis imperfectorum hominum moribus et desideriis metiuntur, ut, quadam veluti Lesbia regula, non pulchrum et rectum, sed deforme potius et distortum, si non ruinosum plane construant aedificium.

A Congregat. generali et a Summis Pontificibus approbata.

5. Addendum, fuisse haec saepius, non solum a Societate universa in generalibus Congregationibus, atque a tam multis Patribus doctrina et religione praestantibus examinata, sed etiam Summorum Pontificum et Sanctae Sedis Apostolicae iussu non semel diligentissime perpensa. Et nuper Sixti V fel. rec., qui nonnullis Theologis et gravissimis Cardinalibus cum examinanda dedisset, illique, nostris responsis auditis et scripto traditis etiam accurate examinatis, ad Pontificem retulissent, nihil plane ille immutavit. Immo vero Gregorius XIV sanctae mem., qui ei successit, amplissimo diplomate ea explicavit et confirmavit.

Investigandae radices.

6. Examinet radices, unde haec displicentia oriatur, et inveniet nonnullis in rebus esse ex falsa intelligentia. Haec declaranda, et abigendae tenebrae, quae mox disparebunt. In nonnullis plane ex malo affectu, superbiae v. g., non placet diversitas graduum, quia vult esse Professus; non manifestatio conscientiae, quia esse vellet occultus; non deferri ab aliis, quia nollet opinionem minui. Denique percurrat singula, et hoc ipso se iudicet, quo videt, unde proveniat. Illud etiam consideret, si radices maneant inquietudinis, nihil referre, an hoc vel illo obiecto turbemur. Satis enim apparet in aliis Religionibus, ubi nonnulla, quae apud nos sunt, non habentur, plurimos esse plusquam male contentos, alios manifeste apostatare: itaque non haec, quae illi displicent, in causa sunt; sed radix ipsa interior, quae si sanetur, salva erunt omnia. Quod in nonnullis manifeste constat, qui cum turbati multa ex iis improbarint, ubi collecto spiritu conspicere potuerunt,

tranquillo animo usque ad finem perseverarunt.

Promissio facta Deo et pactum cum Societate.

7. Dicat sibi ipsi, quoties, beatissima Virgine et Angelis testibus, haec Deo promiserit, an non cum Societate pactum inierit, firmans etiam scriptura se contentum esse omnia servare; an nunc liceat in re tam gravi promissis non stare, sine quibus numquam fuisset in Societatem admissus, ut post tot annorum spatia renuat, seque affirmet quietum esse non posse?

Quantum valeant.

8. Suaviter docendus, quod certe manifestissime demonstrari potest, quantopere haec valeant ad spiritualis vitae profectum et omnimodam abnegationem, quam, si mentiri nolit, in sua vocatione quaesivit. Percurrendum per singula, et ita eorum omnium speciositas et pulchritudo elucidanda erit, ut eius animum suo splendore alliciant. Quod certe possunt mirifice, ut in iis apparet, qui, gratia vocationis illustrati, ea perspiciunt in lumine Dei.

Solvuntur obiectiones contra Institutum.

9. Dicet forte, non tam haec in Instituto et legibus Ignatii, quam in praxi displicere ei, quod male a Superioribus practicentur. Sed primo iniuriam irrogat sanctissimo Fundatori: an enim ille non vidit eas leges hominibus, et pro hominibus, et ab hominibus administrandas se tradere? Vidit utique, nec ignoravit posse interdum errari; sed rursus, posse sancte tractari. At eiusmodi leges condere, quae Angelis, non hominibus conveniant, hominis fuisset minime prudentis, nec Dei Spiritu pleni, quales Religionum Fundatores esse oportet. Quod si non leges illas, quasi uso ipso minime faciles et commodas accuset, sed aliquorum Superiorum praxim, iam non Institutum, sed personae displicent; de quibus alia ratio est, et in quibus, retenta Instituti puritate, emendari possunt quae desiderantur. Secundo: cur tam multi viri gravissimi et doctissimi sunt, qui integritatem huius administrandae legis collaudant, et Deo gratias hoc nomine agunt, cur et ipsi haec mala non vident? Cur ipsemet infirmus, si de sua causa non ageretur, tam oculatus non esset? At in propria causa et in se iudicando, quam proclive est falli! Deinde hortandus, ut dicat in particulari; et in singulis ei satis fieri poterit, nisi malit protervire: modo illud statuat, quod negare non poterit, iudicium de sufficientia, talentis, virtutibus, non modo in iis, qui se plane totos Deo et Religioni tradiderunt, sed ne in saecularibus quidem cuiuscumque status non posse esse penes eum, de quo agitur. Ad caetera omnia facillima est responsio.

Spiritualibus exercitiis iuvandus.

10. Hortandus, ut, praemissis aliquot exercitiis spiritualibus, praesertim de beneficio vocationis et obligatione ad perfectionem, paret se ad generalem confessionem; benigne animandus; difficultates molliendae; non omnes futuras, quas suspicatur; sed, ut in rebus humanis contingit, ex decem vix duae orientur; se etiam paratum ad illum iuvandum et consolandum. Denique ostendat re vera multa apprehendi difficilia a longe, quae re ipsa non ita sunt. Se etiam pro sua virili amanter explanaturum, ubi potuerit.

Interdicendum, ne aliis communicet.

11. Prohibeatur omnino, ne hos conceptus cum aliquo communicet, tum propter privatam suam utilitatem, tum etiam propter communem. Quod si tamen faceret, vel inquietum post haec omnia se ostenderet, prae-

positus Generalis tempestive monendus erit.

Caput XIV. — Tentatio contra Superiorem cum aversione et diffidentia.

Quid in se disquirat Superior.

1. Ante omnia tollenda quaedam tentatio est ab ipso Superiore, ne putet huius infirmitatis culpam totam esse in infirmo: debet enim credere, posse etiam in se ipso non exiguam esse partem, et, si non committendo aliquid, quod etiam interdum evenit, saltem omittendo; vel, si in re non peccavit, potuit forte in modo peccare. Existimet ergo etiam se debitorem esse, examinet causas, et corrigat quod in se est, memor praecipue illius sententiae D. Gregorii ad Bononem Abbatem: *In correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas, et vitia persequaris.* Et quod paulo post addit: *Sic vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est; ne, si, plus quam res exigit, ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas.*

Lib. 9 Ep. 8.

Quae via tenenda a subdito hanc suspicionem tollendi.

Pastoral. p. 2 c. 8.

2. Cum videat infirmum a se aversum sanari non posse, nec medicamenta admittere nisi suspicionem deponat; faciendum omnino, quod idem Sanctus Pater monuit, ut pastores dilectionem suam, quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris sui introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians praedicator, qui non diligitur, audiatur. Ergo quaecumque monita, quaecumque remedia adhibeantur, nihil illi proderunt: immo interdum nocent magis, quia putat ille ea omnia non ab amore, sed aliunde proficisci.

Superior ferat subditi imperfectiones.

3. Itaque, si quid murmuret aut conqueratur contra illum; factus velut homo non audiens, caveat diligentissime, ne aut cum eo, qui detulit, aut cum alio quopiam ita loquatur, ut ostendat se etiam vulneratum; aut ita rem exaggeret, ut dicat haec tolerari non posse, omnino illum severe castigandum, non esse tales dignos, qui in Societate retineantur, et huiusmodi alia. Sed cum mansuetudine semper illud potius: Doleo bonum fratrem in haec prorupisse, praesertim cum Superioris personam teneo; cuperem omnino suspiciones has evellere ex ipsius animo; ex passione vehementi ita dixit; compatior illius infirmitati, cum praesertim haec, quia in alios redundant et scandalum pariunt, aliquo remedio indigeant; oremus pro illo; videamus quid consilii capiendum; sanare eum potius, quam humiliare cupio.

Spiritu charitatis iuvandus.

4. Aggrediatur eum in spiritu charitatis, capiens hoc modo vulpeculam, id est, detractorem, et capiat Domino, hoc est lucretur in lenitate fratrem suum in Christo. Qua de re cum egregie dicat S. Bernardus, verba illius, ut aptissima, apponam. Explicans enim verba illa Canticorum: *Capite nobis vulpes parvulas*, haec attexit: *Pessima vulpes occultus detractor; sed non minus nequam, adulator blandus. Cavebit sapiens ab his. Dabit operam sane, quod in ipso est, capere illos qui talia agunt; sed capere beneficiis atque obsequiis monitisque salutaribus, et orationibus pro his ad Deum. Non cessabit istiusmodi carbones ignis congerere super caput maledici, et item super adulatoris, quousque, si fieri potest, et illi invidiam et isti simulationem de corde tollat, faciens mandatum Sponsi dicentis: Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas. An non tibi captus ille videtur, qui, suffu-*

Serm. 63 in Cant.

Cant. II, 15.

Rom. XII, 20.

sus ora rubore, quippe proprium erubescens iudicium, ipse suae confusionis et poenitudinis testis est, sive quod oderit hominem amore dignissimum, sive 1 Ioan. III, 18. *quod dilexerit tantum verbo et lingua eum, a quo se diligi opere et veritate vel sero expertus est? Captus plane, et captus Domino, secundum quod nominatim ipse expressit. Capite, inquiens, nobis. Utinam ego omnes adversantes mihi sine causa ita capere possim, ut Christo eos vel restituam vel acquiram.*

De murmurationibus contra Superiorem per alium monendus.

5. De murmurationibus et aliis, quae ipsum Superiorem attingunt, melius est si per alium moneatur, praesertim Confessarium et Praefectum spiritualium, a quo paterne ostendatur illi macula et aliorum offensio; interdum a Ministro; nonnumquam etiam, si ipse aderit, a Provinciali valde serio, indicando scandalum et culpae gravitatem. Ipse vero Superior multa, quae ad se pertinent, ostendat se nescire. Si enim intelligat is, qui offendit, illa ad Superioris notitiam pervenisse, vix poterit sibi persuadere Superiorem non esse propterea exulceratum et erga se male affectum.

A gravioribus Patribus iuvandus.

6. Interdum Provincialis, ipse Rectoris Admonitor, spiritualium Praefectus, vel aliquis ex gravioribus, cui praesertim tentatus confideret, indicent illi hanc opinionem, vere ex falsa apprehensione conceptam, maioris esse damni, quam ille putet; hanc nisi deponat, eum futurum semper inquietum; obedientiam numquam esse posse, qualem Deus et Constitutiones exigunt. Si Superior non taceat, monita salutaria verti ei in venenum; si taceat, quotidie in deteriora lapsurum: videat quid agat, et sibi consulat. Offerat praeterea, qui tentatum sic iuvare aggressus est, se cum Superiore acturum efficaciter, ut illum amanter amplectatur; sperare se non futurum hoc difficile, quod noverit bonam Superioris voluntatem erga illum, quam signis et verbis sibi frequenter ostenderit. Proinde cum egerit, se relaturum. Agat, deinde magis confirmet, animet ut omnino per se adeat Superiorem, eique penitus aperiat vulnus, manifestet suspiciones omnes, omnes querelas; polliceri se libenter illum audiendum, atque, omnino disiectis umbris, fore omnia lucida et pacata. Sed ille non facile ad id adducetur, obiiciens Superioris erga se aversionem cognitam, duritiam, verborum asperitatem, denique verendum, ne congressus hic accendat potius, quam exstinguat humores. Non ideo cessandum, sed saepius is erit urgendus, ut saltem vocatus eat, modo revera Superior se ad dulcedinem composuerit.

Quomodo se gerat Superior in colloquio.

7. Ubi ventum fuerit ad colloquium, invitet eum Superior hilari fronte, ut omnia aperiat, quia alioqui numquam pacem inveniet; polliceatur fructum, promittat se, si quid revera in eo desideretur, facile mutaturum, quia non alio animo, quam ex charitate fecit. Si quid vero ex sinistris et falsis imaginationibus ortum habeat, se dilucide ostensurum, etiam adhibitis testibus, ipsum falli. Deinde sinat eum motus animi sui aperire, licet verbis incompositis et acerbioribus; nec tam illa attendat, quam infirmitatem. Ubi se aperuerit, excipiat eum suavissime, incipiat docere in singulis in hoc et illo penitus eum falli. Dicat quae fecerit contra pro illo, citet in hoc aut illo facto testes talem vel talem; si in hac vel illa re aliquid negavit petenti, non potuisse aliud fieri. Si iniunxit poeni-

tentias, non fuisse nisi ordinarias. Si exploravit, vel aliquid de illo voluit sciscitari, fuisse conscientia coactum propter ea, quae referebantur; quae, licet facile non crederet, tenebatur tamen ut pastor quaerere. Si ostendit in nonnullis minorem fiduciam, quod non ei haec aut illa iniunxerit, vel fuisse quia externi alium petebant nominatim, vel quia genus illud negotiorum ob naturam eius et praesentem statum minime crederetur illius spiritui profuturum, vel quia Nostri vel externi offendebantur eius agendi modo. Polliceri se omnem charitatem, omnem fiduciam; incipiat ipse mutare modum, et videbit quanta illum Superior charitate complectatur. De his autem, in quibus mutare debet, melius esse ut redeat, commodius auditurus; longiorem fuisse sermonem; interim oret uterque, et veniat ipse animatus ut audiat, nam ex amore fore omnia. Non minus quippe diligit charitas, cum monet et obiurgat, quam cum blanditur ac fovet; sperare in posterum omnia meliora. Haec omnia fiant tamquam a patre blande et amanter: et omnino caveat Superior disputationes et altercationes; hoc enim minuit auctoritatem, et gignit maiores amaritudines. Addat praeterea super omnia (si forte contigerit eum aliqua contra ipsum Superiorem dixisse, quae putet relata Superioris ipsius animum pupugisse), ut sibi certissime persuadeat nihil in eius animo propterea amaritudinis resedisse; immo se tanto magis a Superiore diligi, a quo impensiora charitatis signa experietur; quique nullam aliam huius dilectionis compensationem petit, nisi ut se ille in posterum sincerum fratrem exhibeat, et cum magna fiducia tamquam ad patrem accedat; fore sine dubio, ut eius fiduciae Superioris facta respondeant.

Post de gravioribus monendus.

8. Ubi coeperit remitti febris ardor, moneat illum de gravioribus, excusans tamen, quoad potest, vel aliquam imprudentiam vel intentionem eius. Inculcet aliorum offensionem, Nostrorum et externorum, qui saepe conquesti sunt. Commemoret aliqua bona quae fecit, addens cur maculam inferat, cur multa bona impediat, quae praestare posset. Admisceat aliqua leviora errata, quae ostendat se nihili facere; doceat tamen quam facile et quanta cum laude ac merito illa vitare potuisset.

Hortetur, ut Superiorem frequentius adeat.

9. Iniungat, ut deinceps frequentius eum adeat, hoc enim sibi futurum gratissimum; communicatio enim nutriet fiduciam et amorem; non dubitet se diligi ut filium charissimum; utinam paterent corda, sic enim evanescerent cuncta, quae hanc suspicionem et diffidentiam ingenerant; et ne putet se verbo et lingua tantum diligi, experiatur, ut videat se diligi etiam opere et veritate; proponat quae cupit. Si possit sine maiore incommodo, concedat Superior alacriter; si habeat difficultatem in iis concedendis, tunc, infirmo praemonito, communicet cum Admonitore vel Consultore; qui si annuat nec manifestum sit incommodum, concedet: si neget, excusabitur, quia aliorum etiam iudicio permittendum non erit. Si per aliquem, cui magis fidat, velit agere cum Superiore, poterit initio indulgere: interdum tamen, si res eiusmodi sit, ut concedi debeat, significandum interpreti, ut is, qui petit, Superiorem adeat, Superiorem sine dubio facturum quod petitur.

1 Ioan. III, *18.*

Quomodo credenda quae referuntur.

10. Etsi vigilandum est Superiori, cum iis maxime, qui maiori indigent cura; videat tamen cum hoc infirmo quae et quibus de eo credat: audiat quidem, sed perpendat omnia; proclive enim est, ut de eo, qui non recte ambulat, de quo putant Superiorem non habere optimam opinionem, esseque inter eos vicissim aliquam offensionem, multa ad eum deferantur non ita explorata, interdum etiam exaggerata. De iis, si absque diligenti cautela infirmus moneatur, mirum quantopere noceat, quantopere hinc morbus crescat; quantam occasionem sumat is, de quo agitur, infirmandi caetera, quae obiiciuntur; accusandi Superiorem nimiae credulitatis, quam etiam ex amaro affectu erga se proficisci et credet et praedicabit.

Ut se gerat, cum defectus deferuntur.

11. Hoc ipsum ei, cum arguitur, praedicendum, haec quidem esse delata, se tamen non facile credere quae dicuntur; cupere proinde ab eo cuncta cognoscere, idque ne putet ille se ex praeiudicio damnatum, quod caveat diligenter Superior, ne prae se ferat. Et quamvis alioqui de re constaret, audiat tamen antequam damnet; efficiatque, ut intelligat ille, sibique plane persuadeat (quamvis pro ratione sui officii et pro bono subditi atque communi, necessario audiat et investiget), tamen sibi gratius longe futurum, si innocens, quam si culpabilis inveniatur. Quis enim pater, qui, filii culpa vel infirmitate audita, non libentius inveniat unde gaudeat, quam unde puniat?

Eius opera utendum et quomodo.

12. Iniungat illi aliqua, quae sine magno detrimento poterit: mittat interdum, si id ille praestare poterit, ad concionandum, ad exhortationes monialium, ad negotium aliquo cum Praelato, vel aliquid aliud transigendum; ne arbitretur omnino ex diffidentia ad omnia ostium occludi. Haec tamen non ita ordinarie fient aut frequenter, ut incommoda incurrantur, vel familiaritatis cum principibus viris, vel quasi eius personae nimiae approbationis, quae postea Societati, si res non bene succedet, aliquando nocitura sit (nam huiusmodi homines solent interdum nostris contra nos armis et testimoniis pugnare), sed prudenter et per intervalla tantum, ne ille putet se penitus abiectum. Postea, ubi rationem reddiderit rei gestae, laudandus erit et animandus; haec enim valde conciliant animum et suspiciones evellunt.

Omnia Superiori tentanda.

13. Postremo nihil praetermittat per se et per alios idoneos, quod ad eximendas suspiciones et gignendam amoris sui opinionem facere possit; certus, nisi hoc fecerit, nulla medicamentorum genera profutura: memineritque sententiae D. Gregorii, quam sanctus ille Pater, et ex longa experientia didicerat, et ex Sacris Litteris exemplo confirmat Apostoli, qui, obiurgaturus graviter Corinthios, ita eos ante laudavit, ut post plurimas laudes intulerit: *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Sed, ut Sanctus hic ait, *prius superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare, ut postmodum potuisset vulnus superbiae ferro correptionis incidere. Erant profecto in Corinthiis et quae laudari debuissent, erant et quae argui. Peritus itaque medicus prius sana membra, quae circa vulnus erant, laudando palpavit, et postmodum putridum sinum vulneris feriendo transfixit.* Hactenus beatus Gregorius.

Caput XV. — Saecularitas et aulicismus insinuans in familiaritates et gratiam externorum.

Quam faciem induat aulicismus.

Morbus hic in Societate et intra et extra periculosus est, et istis, qui eum patiuntur, et nobis fere nescientibus paulatim subintrat, specie quidem lucrifaciendi Principes, Praelatos, Magnates, conciliandi ad divinum obsequium huiusmodi homines Societati, iuvandi proximos etc; sed revera quaerimus interdum nos ipsos, et paulatim ad saecularia deflectimus. Quare diligenter praevenienda sunt mala, et initiis occurrendum.

Signa aulicismi.

1. Attendenda igitur signa, quibus dignosci morbus hic possit. Ea autem, inter caetera, non obscure illum indicant, si quis frequentius illos adeat; si, cum abstinet, sentit desiderium praesentiae et congressus illorum; si eorum rebus et negotiis, tamquam propriis, se affici sentiat; si libenter amplectatur negotia saecularia; si, Superiore inscio, tractet; si huiusmodi Principes et Magnates sibi, non Societati conciliet; si observantia et obedientia incipiant illi sordescere; si Societatis ministeria, et quae minus speciosa videntur, leviora putet; si se factum arbitretur ad magna; si paupertatem nostram incipiat moleste ferre, quod commoditates et curiosiora requirat; si Nostrorum conversationem, praesertim simplicium, aspernetur; si Superiorem haec monentem, quasi malevolum et invidum, iniquius ferat. Haec enim et huiusmodi si adsint, quidquid decepta et deceptrix illius intentio huic polliceatur, certum est morbum illius animum occupare.

Indicanda pericula.

2. Indicanda erunt ei pericula. Nam obedientia, fraterna unio, simplicitas religiosa, devotio et coniunctio cum Deo, amor erga Societatem, zelus animarum et plurimae aliae virtutes manifeste periclitantur. Vix enim credi potest quam hic homo immutetur; et brevi, cum minime sentiet, inveniet et dolebit se alium. Unde in quinta generali Congregatione tam serio ea de re actum est, ut videre est canone 12 et 13, qui maxime servandi.

Statim amovendi huiusmodi homines.

3. Avellendi huiusmodi homines tempestive bono aliquo nomine; quia, si incipiant altiores radices extendere, non poterunt sine magna Principum offensione divelli. Quare Superiores locales moneant tempestive Provinciales; qui, si videant difficultatem, consulant Generalem. Denique non sint Superiores hac in re negligentes, si consultum Societati volunt.

Quid, quando se excusant.

4. Si excusant se, quod Principes urgeant, hortandi serio, ut ipsi tamquam sua sponte fila praecidant; quod si voluerint, haud dubie suaviter id facient: tantum caveant, ne videantur, cum contra sentiant et cupiant, idcirco id facere, quia Superiores volunt, et quia hoc nomine ab hominibus Societatis male excipiantur. Si enim hoc modo fiat, nocet potius causae et Societati, quam prosit, et Principum animos valde exulcerat. Quo fit, ut haec eo modo pertractare, hominis sit nec obedientis, nec Societatem amantis, cum haec incommoda manifeste videat.

Occupandi in ministeriis.

5. Occupandi erunt diligenter in ministeriis, tum quod in his fructuosius proximis, tutius sibi, et maiori cum Societatis aedificatione versentur; tum ne tempus suppetat huiusmodi visitationibus et inutilibus colloquiis. Visitationes etiam interdum

diserte negandae, ut in Instructionibus cavetur impressis.

Publice reprehendendi.

6. Publicae etiam in refectorio reprehensiones monebunt eos religiosae humilitatis, ut aulicismum quoquomodo interrumpant; quare circumspecte et opportune suo tempore adhibendae.

Monendi de periculis.

7. Monendi subinde rem esse plenam invidiae apud externos, Societatem hoc nomine male audire, conflari multorum in nos odium, inter Nostros etiam nescio quid inaequalitatis offendere; hortandi, ut prudenter declinent; suggerant nonnullis in rebus Principibus ipsis aliquos alios Nostros vel externos, prout res feret, ne videantur Nostri omnia movere.

Etiam externis denegandi.

8. Externis, qui vel sua sponte, vel etiam ab huiusmodi Nostris missi, Superiorem urgent, ut illis hoc vel illud negotium demandet, modeste negent, praetexentes Principis ipsius offensionem, Societatis decreta, negotii saecularitatem, aliorum odium, et huiusmodi multa, quae impediunt, ne Superior possit hoc probare, si id illi faciant; tantum abest, ut possit iniungere.

Generalis quoque monendus.

9. Postremo, quoniam morbus mixtus est ex effusione ad exteriora et amore excellentiae, de quibus diximus capite 6 et 7, applicet Superior pleraque remedia ex illis, et Generalem admoneat.

Caput XVI. — Pertinacia et durities iudicii cum contentione.

In speculativis adhibendi Doctores. *Exa.c.3n.10,11.*

1. Si fuerit in speculativis, adhibeat Superior iudicium aliquorum doctorum. Et, ubi is fuerit diligenter auditus, imponat ei silentium iuxta obligationem Constitutionum, nec sinat longius progredi; alioqui nec pauca nec parva sequuntur incommoda.

In practicis de quibus monendi.

2. In practicis, moneat illum hoc fere nasci ex superbia, qua velit aliis videri doctior vel superior, et nesciat cedere; vel ex tenuitate iudicii, quod non apprehendit, saltem non esse in rebus moralibus tantam evidentiam, ut non modo sit habenda ratio etiam iudicii aliorum, sed etiam prudentiores, proprio confisi iudicio, decepti gravissime fuerint.

Nugas interdum esse doceat.

3. Doceat esse interdum quaestiones de nugis et rumoribus, qui narrantur: quam vero indignum sit Religioso homine de iis certare, et charitatem laedere, facile quivis intelligit.

Hortandus ad Cassianum legendum.

4. Monendus quod Cassianus ait: sicut inter carnales de terrenis substantiis, ita inter spirituales pro diversitate intellectuum oriri discordiam. Legat proinde diligenter egregiam eius loci doctrinam, praesertim a capite 6 usque ad 12. Si vero sit Coadiutor, dicat illi Superior vel Praefectus aliqua in hanc sententiam. *Collat. 16.*

Communia remedia adhibenda.

5. Adhibeat remedia communia orationis et examinis particularis, assumendo levem aliquam poenitentiam, quoties in leviora inciderit.

Non abeant impune.

6. Ne contentiones huiusmodi permittantur impune, dentur reprehensiones publicae in refectorio cum admonitionibus, quae alios etiam iuvent. Et, si Minister vel aliquis Pater ex gravioribus adesset, cum haec contingunt, posset commode sermonem ad alia transferre, et fratrem opportune monere.

Quomodo iuvandus non emendatus.

7. Si quis monitus non emendaretur; assignandi essent maturiores et magis spirituales, cum quibus in recreatione ageret, ne ibi contenderet.

Quid, cum res est cum Superiore

8. Si res fuerit cum Superiore, iam defectus est obedientiae; proinde

adhibenda remedia, quae in quinto capite.

Caput XVII. — Perturbatio pacis, et seminatio discordiarum et iurgiorum.

Morbi gravitas consideranda.

1. Ante omnia plurimum proderit, si gravitas morbi, quae a plurimis parvi penditur, diligenter ab infirmo, nec semel aut perfunctorie perpendatur. Consideret itaque quam multa, quam gravia, quam exaggerate de peccatis linguae Scripturae Sacrae loquantur: nam, praeter ea, quae D. Iacobus Apostolus tam graviter tertio capite suae Epistolae posuit (ut linguam appellet universitatem iniquitatis, et asserat maculare totum corpus, et inflammare rotam nativitatis nostrae, inflammatam a gehenna), in libris Proverbiorum et Ecclesiastae frequentissime de eo monemur: et potest quisque multa sibi loca conquirere, quibus veluti stimulis sese pungat. Sed certe Ecclesiastici 28 tam multa mala narrantur, ut mirum sit, si quis ea legat, et non contremiscat.

Iac. III, 6.

Exempla Sanctorum perpendenda.

2. Ex Sanctorum exemplis et eorum dictis eiusdem morbi gravitas perpendi potest. Mirum enim est quantopere linguae lapsum et formidaverint ipsi, et aliis formidandum ostenderint. Mira sunt quae sibi iniunxerunt, quae fecerunt, quae pertulerunt, ut linguam domare possent. Sed his describendis non est hic locus. Caeterum illud valde perpendendum, quod D. Basilius, cum de spiritualium morborum curatione agit quomodo contraria contrariis curanda sint, murmurationem gravissime punit, separatione videlicet ab aliis, et ut nemo ex fratribus cum ipso in opere esse velit. Quin etiam addit in detestationem tanti mali, ut opus, quod ille laboravit, cum aliis ne misceatur; et, quod magis mirandum est, postquam ille humiliter poenitentiam egerit, et eo morbo liberatus fuerit, admitti quidem posse tunc illud opus, sed ne tunc quidem in usum fratrum erogandum, verum in alium aliquem, propter rationem supra allatam, quam attulit Interrogatione 29, quod ex admissione eiusmodi operis non sinatur ille advertere quantis in malis versetur. Indicat quippe hic Sanctus Pater ita terrendum hominem, ita confundendum, ita sui facti turpitudinem edocendum, ut vel ex eo, quod ne labores quidem illius recipiantur, intelligat ubi iaceat. Quod totum certe sine suspiriis legi non potest. Sed mirum est quanto cum animi sensu S. Chrysostomus damnet et deploret hoc vitium, ut et abundantissimos lacrimarum fontes ex oculis laxare cupiat; nec tamen ullum fore luctum tantae, ut ipse loquitur, tragoediae condignum putet. Mirum est quam subtiliter tanti criminis naturam, causas, malitiam, signa, indignitatem, damna, remedia describat. Si naturam spectes, nihil aliud hoc esse, ait, quam sibi invicem insurgere, in seipsos morsus laniatusque convertere, in suam carnem voracitatem exercere, sagittas verborum in fratres, immo acriora sagittis vulnera infligere, gladium denique in animam ipsam acuere. Si causas, cupiditatem et invidiam notat, et eas quidem mendacio fallaciaeque subnixas. Si malitiam, fratricidio et sacrilegio comparat: fratricidio quidem, cum fraternam societatem usque ad charitatis interitum laedat; quod caedis instar a Caino factae tanto est iniquius, quanto consanguinitas ipsa sublimior; sacrilegio autem, cum ipsum Christi corpus quodammodo

S. Basil. reg. fus. disput. Interrog. 51.

Tom. 5, ser. de laude Dei.

Eius vitii natura.

Causae.

Malitia.

violetur. *Intelligas,* inquit, *cum in fratrem contumeliam dixeris, Christi te membrum vituperasse.* Si signa, *Possunt* inquit, in vobis *haec recognosci, cum quisque proximi auribus verba insusurrat, obticeturque statim, si quis propius accedat, et de medio tollitur acceptus sermo.* Et paulo post: *Unde complures,* inquit, *reperies gentili potius quam christiano se credere.* Si indignitatem, eo magis, inquit, queror vos sub eodem tecto, templo, pastore, tot rebus ad concordiam provocantibus, discordes tamen et seditiosos exsistere. Si damna, primo sequi, ait, charitatis interitum, deinde consequenter Deum e medio quodammodo profugere: ut enim, ubi duo vel tres congregantur in nomine ipsius, ibi est in medio eorum; ita cum duo vel tres in pacis eversionem conveniunt, ibi medius esse recusat. Tertio, fraternum nomen, quo nihil dulcius aut charius, tenue admodum et exile relinqui, ac prope exstingui. Postremo, a nobis ipsis animarum quasi civile exitium induci. *Si enim,* inquit, *fuerimus in nos semper armati, nulla erit daemonum industria ad nostrum exitium necessaria.* Si denique remedia, suadet, ut divinae Eucharistiae mensam revereamur, ubi pacis victima Christus apponitur; ut, iniuria etiam lacessiti, toleremus tamen et ingemiscamus, non quidem iniuriae gratia, sed ob eam inferentis interitum; et ad extremum, ut fructum, qui ex iniuriarum tolerantia nascitur, cogitemus. Has omnes huius Patris sententias libuit in pauca colligere, cum necesse minime fuerit tam longum hic illius sermonem referre, quem tamen utilissimum erit perlegere; illudque in primis perpendere, apud quos dicat. Si enim tam graviter ferebat ista vir sanctissimus in iis, qui sola christiani nominis societate coniuncti erant; quid de illis existimandum, qui arctissimo praeterea religiosae charitatis et unitatis vinculo adstricti sunt? Sed praetereunda non sunt quae D. Bernardus in eamdem fere sententiam egregie dixit. Ac sermone quidem 29 in Cantica, *Proinde,* inquit, *dilectissimi, pacem habete ad vos, et nolite laedere invicem, non facto, non verbo* etc. Legatur locus. Et sermone 24, in illud: *Recti diligunt te; Videas ambulare seorsum* etc., ubi conventicula et detractiones graphice describit. Sed sermone de triplici custodia, manus, linguae et cordis, ita rem exaggerat, ut dicat: *Nec vero eiusmodi linguam, ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim haec quoque Christi corpus, et membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio iudaicae iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis sui vitam illius vitae corporis praetulisset, numquam illud pro istomortis iniuriae crucis ignominiae tradidisset.* Et D. Augustinus vehementer matrem collaudat, quod numquam alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Aitque se experientia doctum turbarum et miseriarum, quas lingua excitat, non parvum hoc bonum aestimare. Et subdit: *Animo humano parum esse debere inimicitias hominum nec excitare, nec augere male loquendo, nisi eas etiam exstinguere bene loquendo studuerit.* Quid igitur Religiosis faciendum?

Signa. Indignitas. Damna. Matth. XVIII, 20. Remedia. Cant. I, 3. S. Aug. l. 9 confess. c. 9.

Intelligitur gravitas ex damno proximi.

3. Ex damno et perturbatione eorum, quibuscum vivunt, morbi gravitas intelligitur: evertunt enim pacem animorum, tranquillitatem, obedientiam; et ministeria etiam ac fructum in proximis, opinione Nostrorum quoquo pacto diminuta, non leviter impediunt. Nec solum eo tempore, quo loquuntur, et iis personis, cum quibus agunt, nocent; sed laedunt plurimos etiam absentes, et post multos annos, quia rumores et suspiciones in alios et alios derivantur. Nec in ea Domo, ubi quis est, tantum eius amori et opinioni detrahitur, sed manat per Provinciam, immo per Provincias, ubi post multos annos longissime positus inveniat ille a se abalienatos animos eorum, quibus nec nocuit umquam, neque convixit. Quod si obedientia illum praefecerit, miseri subditi ex praeiudicio et sinistra illa opinione, et conqueruntur ipsi et torquent Superiorem, ut nec fiducia, nec reverentia, nec amor in iis locum habere possit; ut merito in eiusmodi detractores, qui venenum tam late diffundunt, illud Scripturae aptari possit: *Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem eius.* Quod de hac re egregie explicat B. Ephrem. Etiam maxime iuvat, si attendatur facilitas incurrendi hoc peccatum ex linguae volubilitate; quo enim facilius peccatum aliquod incurritur, eo diligentior ibi custodia adhibenda est. Et certe, si quis gravem aliquam infirmitatem corporis ex linguae lapsu accerseret, quam vigilans esset et quam cautus! Et tamen in animae periculo dormitamus. Immo vero in re levissima, si quis ex defectu linguae in pronuntiatione alicuius dictionis errare soleret, quod eam recte proferre non posset; si huic publice agendum esset, quam caute dictionem illam vitaret, ne linguae vitium prodere cogeretur! Quanto ergo magis illae cavendae sunt voces, in quibus lingua gravius peccat, nec tam corporis, quam mentis vitium manifestat? Cum illud culpa careat, hoc neque culpa non levi, nec poena carere possit.

Hab. II, *15.*

Serm. de vita spirit. n. 39 tom. 1.

Non satis est bona intentio.

4. Intelligant non esse ad excusationem satis, si id non ex intentione faciant, et formali studio detrahendi aut Societati aut aliis; quia ex natura rei eadem sequuntur mala, quocumque tandem animo illud dictum fuerit: nec Societati et aliis minus propterea incommodi evenire; quia, cum sciat se facile labi, debuisset attentius custodiam ponere ori suo; sicut et qui, vim vini et potus expertus, iterum inebriatur, non excusatur a culpa, quia debuisset potuissetque cavere.

Psal. CXL, 3.

Quid, si se male affectum sentiat.

5. Si erga aliquem sentiat se esse male affectum, de eo rebusque illius ne loquatur, nisi oratione et praeparatione praemissa; nam facile ex abundantia cordis os loquitur, et de malo thesauro non profert bona.

Matth. XII, *34, 35.*

Statim lapsus Superiori aperiendus.

6. Si quando labatur, ipse ultro sese Superiori vel Confessario statim deferat; et caveat ne ea nocte cubitum eat, priusquam confessione se abluerit: tum ut, si forte mortale subsit, in peccato ne dormiat; tum, etiamsi non esset, facilius veniam impetret et medicinam. Quod si faciet, maximum sine dubio praesidium sentiet.

Vitanda quae sunt in causa.

7. Fugiat, tamquam venenum, eorum colloquia et conversationes, cum quibus errare solet; nec de rebus ad alios pertinentibus, maxime vero ad gubernationem, nisi valde circumspe-

cte et paratus loquatur, etiamsi forte leve id, quod dicitur, sibi videatur, nec quidquam mali suspicetur.

Graviter obiurgandus.

8. Ubi in eo erraverit, excipiatur a Superiore gravi aliqua obiurgatione, et commemoratione aliquorum, quae hic dicuntur. Crescit enim morbus hic, si quis alius, ex indulgentia et defectu correctionis, ultra quam credi possit. Multetur interdum pro qualitate culpae; nam et Salomon admonet: *Multato pestilente, sapientior erit parvulus.* Si tamen contra personam ipsius Superioris fuerit murmuratio, servanda erunt quae dicta de tentatione contra Superiorem capite 14, numero 5 et 6.

Prov. xxi, 11.

Quid, si res non erit publica.

9. Nisi res fuerit valde publica, et scandalum potius ob dissimulationem nascatur, non erit de huiusmodi in publica reprehensione et parva mensa reprehendendus, nisi forte in genere de inordinata et indisciplinata locutione et murmuratione. Sed monendus diserte id publice non fieri, quia valde scandalizaret, si sciretur hoc eum dixisse; ideo graviorem arbitretur culpam. Bonum tamen erit, si is coram quibus dixit se humiliet, dicta retractet, culpam dicat, et de scandalo veniam petat.

Relationes contra alterum perniciosae. P. 8 c. 1 n. 5.

10. Referre alteri de altero quod charitatem laedat, non perniciosum tantum, sed diabolicum arbitretur; et recordetur quomodo Constitutiones huiusmodi homines appellent, videlicet pestem; quid in eos statuant, id est, ut separentur vel a Domo, vel etiam a Societate. Nec dissimilem sententiam tulit S. Basilius, ubi ait: *Qui detrahit fratri, vel detrahentem auscultat et tolerat, qua hic animadversione dignus est?* Respondet: *Exterminandi a reliquorum societate ambo: Detrahentem enim secreto proximo suo, hunc persequebar. Et alibi dictum est: Detrahentem nolito libenter audire, ne sustollaris.* Et addit interrogatione sequenti: *Si vero Antistiti etiam detraxerit, quo pacto cum illo nos geremus?* Respondet: *Manifestum est hoc quoque iudicium ex ira* DEI *adversus Mariam, quando detraxit Moysi, cuius peccatum, ne ipso quidem Moyse deprecante, inultum dimisit* DEUS. Et de huiusmodi videtur dixisse Salomon: *Eiice derisorem* (sive *pestilentem*, eadem quippe vox est), *et exibit cum eo iurgium;* nisi enim serio tales emendentur, iurgia et dissensiones procul dubio deesse non poterunt.

S. Basil. reg. brev. reg. 26.

Psal. c, 5.

Num. xii, 1.

Prov. xxii, 10.

Ab infirmo causae investigandae.

11. Investiget ipse infirmus diligenter huius morbi causas. Sunt enim qui detrahunt ex aliqua aversione in alium concepta, de quo dulciter quasi loqui nesciunt. Sunt qui ex quadam vanitate aliis detrahunt, alios iudicant, et de omnibus decernunt, probantes, improbantes, quasi soli sapientes. Sunt qui ex invidia et aliorum factis detrahunt, et, ut ait S. Hieronymus, aliorum lucra sua damna reputant. Sunt qui animo Superiorem taxandi, quod hunc vel illum praeponat, quod fere ex eadem invidiae et superbiae radice prodit. Hic autem invidiae morbus, qui mortiferi basilisci morsus est, quam sit periculosus et ad curandum difficilis, egregie docet Cassianus collatione 18, capite ultimo, quod diligentissime perlegendum est. Ex his atque aliis huiusmodi cum detractionis vitium oriatur, ibi medicinam apponat, ubi viderit esse huiusmodi infirmitatis pestiferam, sed feracem valde radicem.

Periculum, cui se exponit.

12. Videat quam miserum sit, cum caetera Religionis onera portet, exponere se tam probabili periculo perdendi frequenter omnia, si incidat in

mortale, quod in huiusmodi facile est. Quod si DEUM graviter offendere, immo vel suggerentem Satanam sustinere, non modo Religioso, sed christiano homine indignum est; quid censendum, si ea omni custodia non vitemus, ex quibus id facile consequetur? Revera tremendum. Sed quos minus haec sollicitudo pungit et urit, retineat saltem laborum et meritorum iactura, difficultas poenitentiae, et labor resurgendi.

Examen particulare et alia id genus.

13. Ad examen particulare cum aliqua poenitentia, quoties ceciderit, orationes et lacrimas serio confugiat, sciens, quod ad periculum cadendi et aliorum damnum attinet, periculosius se hoc morbo, quam contra castitatem tentari; et tamen ex ista tentatione quomodo humiliatur, quomodo omnia tentat, non omittit disciplinas, orationes, sacramentorum frequentiam! In lingua vero, quasi nullum esset periculum gravioris casus, tam facile prolabimur. Evellendus omnino hic error ab animo, et diligenter periculum praecavendum.

Odiosus fit omnibus.

14. Videat attentius, quam odiosus fiat omnibus, qui in eadem Domo versantur, forte etiam illis ipsis apud quos loquitur. Sed parum est. Quid, si gravius illud addatur, quod Apostolus ait, *Detractores DEO odibiles?* (*Rom.* I, 30.) Quid miserum magis, quam DEO et hominibus esse odiosum? Et *postea in ore suo* huiusmodi miserabiles *complacebunt!* (*Psal.* XLVIII, 14.)

Superiori servanda responsa ad romanam Congreg.

15. Postremo servet Superior quae habentur in responsione ad quamdam Congregationem provincialem anni 1590, quae sic habet: Primum quidem occasiones captare debebunt (id est, Superiores) in domesticis exhortationibus, quae ad Nostros haberi solent, ac serio inculcare quantopere hoc vitium conscientiae, pietati ac paci noceat. Secundo, ut, praeter communes syndicos, nonnulli occulti adhibeantur, qui in particulari de hoc vitio referant; et ut delinquentibus in eo, vel poenitentiae iniungantur publicae, vel correctiones secretae, prout res tulerit, adhibeantur. Tertio, Confessarii poenitentes serio moneant in his graviter peccari posse. Et, si quidem detractio fuerit mortalis, remittant ad Superiorem, iuxta Ordinationem decimam quartam ex viginti duabus, quas kalendis Augusti 1590 ad Provincias misimus. (*Hic, Ord. Gen.* c. 5, *Cas. reserv.*) Si tamen casus mortalis non fuerit, moneant illum serio, poenitentiamque iniungant, ac remedia tum particularis examinis, tum alia proponant. Possunt etiam eos in privatis colloquiis extra confessionem monere, ut a consuetudine eorum, si quos noverint aut viderint in hoc vitium impingere, diligenter caveant. Quarto, quoniam non raro multam praebet occasionem huiusmodi querelis et obmurmurationibus scire quid in consultationibus dictum aut determinatum sit; ratio habeatur quam diligentissime, ut Consultores servent secretum iuxta officii sui regulam. Quinto, plurimum nocet, si Admonitor et Consultores ita cum accedentibus et contristatis agant, ut, spe illos fovendi et iuvandi, ea de Superioribus dicant, ut dolentium querelas approbare,atque idem quod illi de Superioribus sentire videantur. Hoc enim modo etiam contra illorum intentionem foventur querelae et murmurationes, et confirmantur magis. Sed ita accedentes amanter excipiant et patienter audiant, ut Superiorum auctoritatem et amorem servent. Non enim deerit modus consolandi eos, qui in amari-

tudine sunt, etiam operam suam apud Superiorem promittendo, modo charitas et prudentia, ac necessaria in verbis circumspectio non desit. Sexto, moneantur inter Nostros selectiores nonnulli, qui, si quid tale in Nostrorum Collegiis viderint irrepere, id impedire, sermonemque divertere curent, vel meliores interponendo sermones, vel suaviter et amanter dicendo non esse tutum simile quid proferre. Septimo, intelligant etiam Nostri tum in exhortationibus tum a Confessariis et serio doceantur, in detractione et murmuratione facile esse lethale peccatum. Et quamvis in particulari ex circumstantiis fieri possit, ut culpa non eo pertingat, tamen ex natura rei, si non semper mortaliter, fere tamen graviter peccari; exempli gratia, cum malam de Praelatis opinionem subditorum animis per huiusmodi verba inserimus, vel bonam evellimus, aut quovis modo ipsos a Praelatis alienamus; cum obedientiae vires et simplicitatem enervamus; cum dissidia, simultates et animorum aversiones inter fratres seminamus; cum communem pacem, tranquillitatem et Regularum disciplinam perturbamus. Qua de re beatus Bernardus pulchre sic ait, de Religione loquens: *Proditores fiunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles; qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est. Non miremini, fratres, si durius loqui videor, quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem se esse noverit, si quis forte, quod absit, vitia quaelibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam facere daemonum. Gratias Deo, non multos hic invenimus huiuscemodi. Sed tamen deprehendimus interdum forte nonnullos, qui colloquantur hostibus, et paciscantur foedus cum morte, hoc est, moliantur, quod in eis est, imminuere Ordinis disciplinam, intepescere fervorem, turbare pacem, laedere charitatem.*

S. Bern. ser. 8. de Dedicat. eccles.

Rom. I, 30.

Ps. LXXV, 3.

Caput XVIII. — Melancholia, scrupuli.

De hoc morbo tam multa tamque utilia a multis conscripta sunt, ut non sit necesse plura dicere.

Quinam libri legendi.

1. Legi poterit Gerson tractatu contra pusillanimitatem, parte tertia, et de praeparatione ad Missam.

Quomodo iuvandi.

2. Hic ordinarie fovendi, amanter excipiendi, animandi, nec illis dubie aut cum haesitatione loquendum, sed clare: nihil hoc; mittat ista securus; ne repetat; hoc facito; ego rationem reddam Deo etc.

Scrupulosi circa peculiaria obiecta.

3. Illud tamen praetereundum non est, esse interdum aliquos, qui non ex nimis timorata conscientia in scrupulos vergant; sed peculiari aliqua ex causa circa unum aut alterum obiectum cum sint anxii et scrupulosi, in reliquis tamen minime timorati et disciplinati inveniuntur. Experti enim sumus alioqui spiritualis profectus et religiosae observantiae valde negligentes, et sine scrupulo multas admittentes imperfectiones, ob quas tandem e Societate dimittendi fuerint, qui tamen, in nonnullis anxie nimis et scrupulose agentes, finem numquam faciebant confessionibus generalibus, facultatibus petendis, et huiusmodi. Quod ideo dicendum fuit, ne tales homines semper foveantur, et eorum conscientiae dilatentur, sicut cum scrupulosis agendum; sed ut discrete in iis tantum iuventur leni-

tate et indulgentia, in quibus indigent; in caeteris moneantur de laxitate, et ut videant haec inter se non cohaerere; quin immo contingere posse, ut ex nimia negligentia et socordia hos scrupulos permittantur incurrere. Evigilent itaque cum fervore; animandi tamen cum dexteritate, prout ratio docebit.

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII LOYOLAE

PAULUS PAPA III

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastoralis officii cura in universum Christi gregem Nobis commissa et divinae gloriae ac laudis amor facit, ut ea, quae salutem animarum et spiritualem earum profectum iuvant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fovere et nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, a Nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum ergo, sicut dilectus filius, nobilis vir Franciscus de Borgia, dux Gandiae, Nobis nuper exponi fecit, dilectus filius Ignatius de Loyola, Praepositus Generalis Societatis Iesu, per Nos in alma Urbe nostra erectae et per Nos auctoritate apostolica confirmatae, quaedam documenta sive Exercitia Spiritualia, ex Sacris Scripturis et vitae spiritualis experimentis elicita, composuerit, et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redegerit; illaque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem et profectum magnopere utilia et salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata praedictus Franciscus dux didicerit, sed etiam experimento manifesto, cum Barcinone, tum Valentiae, tum Gandiae id compertum habuerit. Quare idem Franciscus dux Nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta et Spiritualia Exercitia praedicta, quo latius eorum fructus pateat, et plures Christi fideles maiori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere; et, si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui documenta et Exercitia huiusmodi examinari fecimus, et quae testimonio ac relatione dilecti filii nostri Ioannis, tituli S. Clementis, Presbyteri Cardinalis, Burgensis Episcopi ac haereticae pravitatis Inquisitoris, et venerabilis fratris nostri Philippi, Saluciarum Episcopi, ac dictae Urbis nostrae in spiritualibus Vicarii generalis, nec non dilecti filii Aegidii Foscararii, nostri sacri Palatii Magistri, Nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, et ad aedificationem et spiritualem

profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus: debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta Societas praefata in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adiumentum, quod ad id praedicta Exercitia attulerunt, non immerito habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta et Exercitia praedicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate praedicta, tenore praesentium, ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus; hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et Exercitiis uti, et illis instrui devote velint. Nec non concedentes, ut huiusmodi documenta et Spiritualia Exercitia imprimi a quocumque bibliopola, per praedictum Ignatium eligendo, libere et licite valeant. Ita tamen, ut post primam editionem, sine consensu eiusdem Ignatii vel successorum eius, nec ab hoc nec ab alio omnino sub excommunicationis et 500 ducatorum, piis operibus applicandorum, poena imprimi possint. Ac mandantes nihilominus universis et singulis locorum Ordinariis, ac personis in ecclesiastica dignitate constitutis, et cathedralium ac metropolitanarum ecclesiarum Canonicis, et earumdem Ordinariorum Vicariis in spiritualibus, generalibus, et officialibus ubilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, cuivis de Societate praedicta, vel aliis quorum interrerit, in praemissis Spiritualibus Exercitiis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos dicta concessione et approbatione pacifice frui et gaudere: non permittentes eos per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII, Praedecessoris nostri, de una, et Concilii Generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres aliquis auctoritate praesentium non trahatur; quibusvis aliis Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, manu Notarii publici subscriptis,

et sigillo alicuius Praelati seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, plena fides ubique habeatur, et illis stetur, tam in iudicio quam extra, ac si originales litterae exhiberentur et ostenderentur.

Datum Romae, apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Iulii, millesimo quingentesimo quadragesimo octavo. Pontificatus Nostri anno XIV.

BLO. EL. FULGINEN.

NOTANDUM.

De indulgentia plenaria concessa peragentibus Exercitia in nostris Domibus vel alibi sub directione Nostrorum, vide litteras apostolicas Alexandri VII, CUM SICUT, 12 Oct. 1657, et Benedicti XIV, QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iul. 1749. De facultatibus vero hos absolvendi vide bullas Benedicti XIV, QUANTUM SECESSUS, 29 Mart. 1753, et DEDIMUS SANE, 16 Maii 1753.

TESTIMONIA EORUM,

QUIBUS CENSURA EXERCITIORUM EST COMMISSA.

IN PRIMA TRANSLATIONE.

Legimus omnia in volumine hoc digesta, nobisque valde placuerunt, et ad animarum salutem in primis conducibilia sunt visa.

CARDINALIS BURGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum et christianae professioni valde proficuum, imprimatur. PHILIPPUS, VICARIUS.

Non poterunt tam sancta Exercitia non maximum commodum praestare cuilibet studioso. Ideo obviis etiam ulnis amplectenda sunt.

F. AEGIDIUS FOSCARARIUS, MAGISTER SACRI PALATII.

IN SECUNDA TRANSLATIONE.

Legimus Spiritualia haec Exercitia, placentque nobis valde; et digna iudicamus, quae ob omnibus orthodoxae fidei cultoribus recipiantur et magni fiant.

CARDINALIS BURGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum et christianae professioni valde proficuum, imprimatur. PHILIPPUS, VICARIUS.

Cum nequeat subsistere diu christiana religio sine exercitiis et meditationibus aliquibus spiritualibus (in meditatione enim, inquit Vates, exardescit anima mea), nullas arbitror magis opportunas his, quae procul dubio ex Scripturarum studiis et longo rerum usu natae sunt.

F. AEGIDIUS FOSCARARIUS, MAGISTER SACRI PALATII.

QUIDAM DE SOCIETATE IESU

DEVOTO LECTORI EIUSDEM SOCIETATIS SALUTEM IN DOMINO.

Haec documenta ac Spiritualia Exercitia, quae non tam a libris, quam ab unctione Sancti Spiritus, et ab interna experientia et usu tractandorum animorum edoctus, noster in Christo Pater M. Ignatius de Loyola, Societatis nostrae Institutor et Praepositus Generalis, (ut praemissum est) composuit, ab idiomate hispanico in latinum duobus modis sunt versa: altera versio, non solum sensum sensui, sed pene verbum verbo; altera, quae visa est praeferenda, sensum tantum sensui, sed fideliter reddebat. Cum autem Exercitia haec, ut satisfieret quorumdam et praecipue illustrissimi ducis Gandiae, Francisci de Borgia, devotioni, qui optabat approbari ea Sedis Apostolicae auctoritate, quae iam pridem, et spiritualis plurimorum omnis generis et conditionis hominum profectus (qui per ea Spiritum Domini vel hauserant vel mirum in modum auxerant) ubique approbaverat; cum, inquam, ante approbationem Summi Pontificis destinatis censoribus videnda proponerentur, utraque translatio eis est oblata. Et licet omnino liberae censurae eorum subiicerentur, ut adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur; tamen, ne verbo quidem mutato, utramque versionem (quod testimoniis eorumdem

in archetypis exemplaribus patet) approbarunt. Quod ad impressionem attinet, hoc te, pie lector, monitum velim, non iis, qui tantum lecturi Exercitia, sed qui facturi, vel potius aliis tradituri sunt, esse hoc laboris et operae impensum. Cum enim ad fructum uberem capiendum parum sit legisse, nisi strenue quis in eis se exercuerit, et magistrum in rebus spiritualibus versatum sit nactus; constat non eo animo impressa esse, ut passim in vulgus emanarent: sed cum laboriosum nimis esset, nec sine magno temporis et impensarum dispendio, tam multa exemplaria manu scribere, quibus ad Societatis ipsius usum opus erat, et ut, varietate et erratis plurimis (quae in manu scriptis deprehendi solent) devitatis, indubitatae fidei exemplaria suppeterent, typis hoc opus excusum est; sed omnia excusa volumina in potestatem Societatis ad ipsius, ut diximus, usum (ita ut nec vendi nec excudi ullibi possint) sunt redacta. De his te monere, pie lector, (si forte minus innotuerant) cum perspecta mihi sint praedicta omnia, officii mei esse duxi. Vale in Domino. Romae, VI idus Augusti MDXLVIII.

MONITUM

EDITIONIS ROMANAE LIBRI EXERCITIORUM ANNI MDXCVI.

Loca quae ex diligenti cum hispanico autographo collatione adnotata sunt in hac postrema editione.

Ea Patrum Deputatio, quae in quinta generali Congregatione pro recognoscendo Directorio Exercitiorum instituta fuit, illud in primis proposuit, ut, antequam liber Exercitiorum denuo imprimeretur, cum hispanico autographo, qui Romae servatur, diligenter conferretur, non ut nova quaedam versio fieret, sed ut loca quaedam accommodarentur, quae in vulgata latina subobscura videbantur. Quod cum R. Pater noster fieri mandasset, facta diligenti collatione, compertum est latinam editionem in paucis ab autographo discrepare. Iis igitur praetermissis, quae parvi momenti esse videbantur, ea tantum loca adnotari placuit, in quibus sensus subobscurus censebatur, vel certe clarior hac nova versione reddi poterat. Quae omnia cum essent a R. Patre nostro cum Patribus Assistentibus diligenter examinata, ne vulgata editio, ob reverentiam, quae illi merito debetur, mutari videretur,

satius visum est, si in fine * Exercitiorum loca omnia, quae sunt adnotata, ponerentur stellulis quibusdam signata, quae locis, in quibus facta est mutatio, responderent, ut facilius, quae in postrema hac editione fuerunt accommodata, reperiri a quolibet possent. Hic autem labor, ut speramus, maiorem quamdam lucem afferet iis, qui Exercitia tractant; omnibusque Societatis nostrae hominibus, qui Exercitiorum usum habere debent frequentissimum, non erit iniucundus.

Romae, 25 Iunii MDXCVI.

Mandato R. Patris nostri Generalis,

IACOBUS DOMINICUS, SECRETARIUS.

* In hac editione ponuntur praedicta loca, non omnia simul in fine, sed unumquodque eorum in parte inferiori paginae, in qua locus ipse adnotatus invenitur, secundum normam editionis Romanae a R. P. Roothaan notis illustratae.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone IESU, exaudi me;
Intra tua vulnera absconde me;
Ne permittas me separari a te;
Ab hoste maligno defende me;
In hora mortis meae voca me,
Et iube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. IGNATII LOYOLAE.

ANNOTATIONES QUAEDAM,

ALIQUID AFFERENTES INTELLIGENTIAE AD EXERCITIA SPIRITUALIA QUAE SEQUUNTUR, UT IUVARI POSSIT, TAM IS QUI EA TRADITURUS EST, QUAM QUI ACCEPTURUS.

Quid nomine Exercitiorum Spiritualium veniat.

PRIMA est annotatio, quod ipso nomine Spiritualium Exercitiorum intelligitur modus quilibet examinandi propriam conscientiam; item meditandi, contemplandi, orandi secundum mentem et vocem; ac postremo alias quascumque spirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, et currere exercitia sunt corporalia; ita quoque praeparare et disponere animam ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, et, iis sublatis, ad quaerendam et inveniendam voluntatem DEI circa vitae suae institutionem et salutem animae, Exercitia vocantur Spiritualia.

Quid praestandum tradenti Exercitia.

SECUNDA est, quod ille, qui modum et ordinem alteri tradit meditandi sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis seu contemplationis historiam, percursis obiter dumtaxat punctis illius praecipuis, et adiecta solum brevi declaratiuncula; ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea et ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut, dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehensionem historiae aliquanto maiorem praebeat (sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat), gustum delectabiliorem et uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata et declarata esset. Non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet.

Ubi maior reverentia habenda.

TERTIA est, quod, cum in sequentibus omnibus exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, quando discurrimus, voluntatis vero, quando afficimur; advertendum est in operatione, quae praecipue est voluntatis, dum voce aut mente cum Domino DEO vel Sanctis eius colloquimur, maiorem exigi a nobis reverentiam, quam dum per usum intellectus circa intelligentiam potius moramur.

Ordo hebdomadarum moderari potest.

QUARTA est, quod licet Exercitiis sequentibus assignentur quatuor hebdomadae, totidem Exercitiorum partibus singulae singulis respondentes; videlicet, ut in prima hebdomada fiat consideratio de peccatis, in secunda de D. N. IESU Christi vita usque ad ingressum eius in Hierusalem die Dominica Palmarum, in tertia de Passione eiusdem, in quarta de Resurre-

ctione et Ascensione, adiectis tribus orandi modis; non tamen ita accipiendae sunt dictae hebdomadae, ut necesse sit unamquamque continere septem vel octo dies. Cum enim contingat alios aliis tardiores vel promptiores esse ad consequendum id, quod quaerunt (puta in prima hebdomada contritionem, dolorem et lacrimas de peccatis suis), aliquos etiam plus aut minus agitari probarique variis spiritibus; expedit nonnumquam * succidi hebdomadam quamcumque, vel extendi, iuxta materiae subiectae rationem. Solet tamen totum Exercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter, spatio concludi.

Quae animi dispositio Exercitia facienti.

Quinta est, quod mirum in modum iuvatur, qui suscipit Exercitia, si, magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimum servire possit iuxta eiusdem beneplacitum.

Quid, cum nullae animi motiones incidunt.

Sexta est, quod tradens Exercitia, si animadvertat ei, qui recipit, nullas incidere spirituales animi commotiones, ut sunt consolationes, vel tristitiae, neque diversorum spirituum agitationes; sedulo debet percontari, an ipsa Exercitia praescriptis agat temporibus, et quibus modis, an etiam observet diligenter cunctas additiones; et de singulis ratio postuletur. Porro de consolationibus et desolationibus infra tractabitur, post mysteria vitae Christi. De additionibus vero pag. 461.

Quid, cum tentatio et desolatio supervenit.

Septima est, quod is, qui alterum exercendum curat, si eum videat desolatione affici seu tentatione, cavere debet, ne se durum vel austerum ipsi exhibeat, sed mitem potius ac suavem praestet, confirmato eius animo ad agendum strenue in posterum; detectisque inimici nostri versutiis, eum ad consolationem studeat disponere, tamquam brevi subsecuturam.

Regulae pro desolatione et consolatione.

Octava est, quod circa consolationes et desolationes sumentis Exercitia, et circa astutias inimici poterunt usui esse regulae, quae ** in prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis spiritibus internoscendis.

Quid cum inexperto Exercitiorum faciendum.

Nona est, quod, quando exercendus est quispiam spiritualium rerum inexpertus, unde contingat eum in prima hebdomada crassis quibusdam apertisque tentationibus vexari, ostensis iam inde prosequendi obsequii divini certis impedimentis (cuiusmodi sunt molestia, anxietas, pudor, timor, habita honoris mundani ratione), tunc illi, qui eum exerceri docet, supersedendum est usu regularum, quae ad secundam hebdomadam pertinent, de discretione spirituum, et iis utendum solis, quae in prima dantur. Quia, quantum alter ex his accepturus est commodi, tantumdem ex illis dispendii referret ob subtilitatem rei et sublimitatem, quae est supra eius captum.

Usus regularum secundae hebdomadae.

Decima est, quod, qui exercetur, si tentationibus iactetur boni speciem prae se ferentibus, tunc muniendus est per dictas regulas hebdomadae secundae. Humani enim generis inimicus per boni speciem eos, ut plurimum, oppugnat, qui antea in via vi-

---

* *Annotatione quarta in fine, ubi dicitur:* Expedit nonnumquam succidi hebdomadam; *sensus erit clarior, si legatur:* Contrahi hebdomadam.

** *Annotatione octava, ubi dicitur:* In prioribus duabus hebdomadis; *lege:* Pro prioribus duabus hebdomadis.

tae, quam illuminativam appellant, respondente exercitiis secundae hebdomadae, fuerint potius versati, quam in altera, quae purgativa dici solet, * atque per exercitia primae hebdomadae comprehenditur.

Exercens se nesciat sequentes meditationes.

UNDECIMA est, quod exercenti se in prima hebdomada expedit nescire quid in secunda sit acturus; sed ad consequendum illud, quod tunc quaerit, acriter laborare, perinde ac si nihil boni postea esset reperturus.

In quotidiano exercitio plus temporis, potius quam minus insumendum.

DUODECIMA est, quod admonendus est is, qui exercitatur, ut, cum in quotidiano quolibet exercitio ex quinque infra describendis expendi debeat unius horae tempus, curet semper animi quietem in hoc reperire, quod plus temporis, potius quam minus, insumpsisse sibi conscius sit. Frequens est enim daemoni hoc agere, ut praefixum meditationi vel orationi temporis spatium decurtetur.

In desolatione, exercitii tempus producatur.

DECIMA TERTIA est, quod, cum facile sit ac leve, affluente consolatione, integram contemplationis horam traducere; difficillimum e contra, incidente desolatione; idcirco adversus tentationem ac desolationem semper pugnandum est, producto ultra praefinitam horam exercitio, vincendi gratia. Ita enim, non solum discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

Ubi fraeno utendum in ferventioribus.

DECIMA QUARTA est, quod, si vacans Exercitiis cernatur consolatione multa et fervore magno ferri, obviandum est, ne promisso aliquo vel voto, inconsulte ac praecipitanter facto, se obstringat. Idque tanto fuerit diligentius praevertendum, quanto ille ingenii esse instabilioris perspicitur. Quamvis enim unus alterum iuste movere possit ad ingressum Religionis, in qua emittenda sint obedientiae, paupertatis atque castitatis vota; quamvis praeterea maioris meriti sit opus ex voto quam sine voto factum; plurima nihilominus ratio habenda est conditionis propriae personarum. Item attente est considerandum, quid commodi vel incommodi possit occurrere ad illud praestandum, quod aliquis promissurus sit.

Circa vota facienda.

Tempore Exercitiorum nemo impellatur ad paupertatem.

DECIMA QUINTA est, quod tradens Exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem et promissionem eius, magis quam ad oppositum; neque ad hoc, potius quam ad illud institutum vitae: quia, licet extra Exercitia licitum sit, et pro merito ducendum, si quis caelibatum, Religionem, et aliam quamcumque evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus, quos ex personarum et conditionum ratione probabile sit fore idoneos; longe tamen convenientius meliusque est inter Exercitia ipsa id non attentare; sed DEI potius voluntatem quaerere atque praestolari, donec ipse Creator ac Dominus noster animae sibi devotae sese communicet, eamque amplexans, ad sui amorem, laudem et servitium disponat, prout maxime scit esse commodum. Quapropter dictanti Exercitia standum est in quodam aequilibrio, sinendumque, ut citra medium Creator ipse cum creatura, et haec vicissim cum illo rem transigat.

Quid, cum anima ad aliquid minus rectum afficitur.

DECIMA SEXTA est, quod, ut Creator ipse Dominusque noster in creatura sua certius operetur, si accidat animam ad aliquid minus rectum af-

---

* *Annotatione decima in fine, ubi habetur:* Atque per exercitia primae hebdomadae comprehenditur; *lege:* Atque exercitiis primae hebdomadae respondet.

fici atque inclinari, summopere ac totis viribus nitendum est in contrarium: (ut puta, si ad officium vel beneficium adipiscendum aspiret, non divinae gloriae aut communis animarum salutis causa, sed commoditatis suae negotiorumque temporalium dumtaxat) tunc affectus ad oppositum impelli debet per assiduas orationes et alia exercitia pia, in quibus a clementia DEI oppositum petatur, videlicet: hunc ut ille animum offerat ipsi DEO, se tale officium vel beneficium aut aliud quidvis iam non appetere, nisi priorem affectum adeo mutaverit, ut nihil iam omnino desideret vel possideat alia ex causa, quam divini cultus et honoris.

Quid illi praescribendum, cui variae cogitationes immittuntur.

* DECIMA SEPTIMA perutilis est, quod scilicet tradens Exercitia, inquirere ac scire nolens proprias alterius cogitationes et peccata; superest, ut, certior factus fideliter de cogitationibus a vario spiritu immissis, et ad maius aut minus bonum trahentibus, spiritualia nonnulla exercitia illi praescribat, praesenti animae necessitati opportuna.

Quomodo accommodanda exercitia, et exercenti se attemperanda.

DECIMA OCTAVA est, quod iuxta eius, qui exercetur, habitudinem, puta pro aetate, doctrina vel ingenio, accommodari debent exercitia: ne cui rudi aut imbecilli seu debili ea imponantur, quae ferre non possit citra incommodum, nedum ad profectum suum assumere. Similiter prout cuique in animo est sese disponere, impartiendum id demum est, quod eum potissimum iuvare possit. Propterea ei, qui se instrui dumtaxat postulat, et ad gradum aliquem perduci in quo animus suus conquiescat, tradi potest particulare primum examen, infra positum pag. 454, deinde generale, pag. 455, simulque modus orandi mane per horae dimidium, ex praeceptorum DEI et peccatorum mortalium consideratione, de qua suo loco infra. Suadendum etiam fuerit, ut octavo quoque die peccata sua confiteatur, et quindecim dierum intervallo, vel octo potius, si affectus impellat, sumat Eucharistiae Sacramentum. Ista exercitationis ratio proprie competit rudioribus seu illitteratis, quibus insuper exponenda erunt singula praecepta DEI atque Ecclesiae, mortalia peccata, cum quinque sensibus, et operibus misericordiae. Itidem, si is, qui tradit Exercitia, alterum viderit debilis esse naturae ac parum capacis, unde modicus proventus et fructus sperari queat, satius fuerit aliqua ex dictis levioribus exercitiis ipsi praescribere usque ad confessionem peccatorum; postea nonnulla conscientiae examina et methodum confessionis frequentioris dare, quibus iam paratum sibi animae profectum seu lucrum tueri possit. Non erit autem progrediendum ad electionum dictamina, aliorumve, quam primae hebdomadae, exercitiorum; quoties praesertim alii adsunt maiori cum fructu exercitandi, nec omnia omnibus praestare temporis permittit angustia.

Quid faciendum cum homine publicis negotiis districto.

DECIMA NONA est, quod homini negotiis publicis vel aliis convenientibus districto, sive ingenio sive lit-

* *Annotatio decima septima ita poni debet:* Decima septima. Perutile est, ut, qui tradit Exercitia, quamvis inquirere ac scire non intendat proprias alterius cogitationes et peccata; certior tamen fideliter fiat de variis agitationibus et cogitationibus, quas varii spiritus immittunt. Perspecto enim maiori aut minori eius profectu, nonnulla spiritualia exercitia praescribere illi potest, praesenti animae necessitati opportuna.

teris praeditus sit, suppetente ipsi hora una et dimidia diebus singulis ad sumenda nonnulla exercitia, exponendum primo erit, quem in finem homo creatus sit; deinde per horam dimidiam examen particulare, deinceps generale cum modo rite confitendi sumendique sancti Sacramenti tradi ei possunt: praescribendo etiam, ut mane per triduum spatio unius horae meditationem agat de primo, secundo ac tertio peccato, ut docetur pag. 457, postea per alios tres dies eadem hora de processu peccatorum, ut pagina 459, per alios totidem de poenis, quae peccatis respondent, pagina 460.

Dictandae quoque illi erunt, intra totum dictarum trium meditationum tempus, decem additiones illae, quae habentur pagina 461.

Observabitur eadem meditandi ratio circa mysteria Domini nostri Iesu Christi, quae infra in ipsismet Exercitiis late explicatur.

Quid, cum libero a negotiis, et fructum consequi cupiente.

Vigesima est, quod ei, qui a negotiis liberior est, et fructum consequi spiritualem optat, quam possit maximum, tradenda sunt omnia Exercitia eodem, quo procedunt, ordine (et quidem scribi rerum capita, ne excidant e memoria, expedit), in quibus (secundum successum communiorem) tanto maiorem faciet progressum spiritualis vitae, quanto magis ab amicis notisque omnibus et ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit: ut si ab aedibus pristinis migret in domum cellamve aliquam secretiorem, unde ipsi liberum securumque sit egredi ad matutinum sacrum Missae, vel ad Vesperarum Officium, cum libuerit, audiendum, absque familiaris cuiusquam interpellatione. Ex qua quidem loci secessione, inter alias multas commoditates, hae tres praecipue consurgunt. Prima, quod, exclusis amicis et familiaribus negotiisque minus recte ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quod per huiusmodi secessum, intellectu minus quam antea distracto in diversas partes, sed collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo et saluti animae suae consulendum, multo liberius ac expeditius utitur naturae viribus in quaerendo eo, quod desiderat tantopere. Tertia, quod quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quaerendum attingendumque Creatorem et Dominum suum: ad quem insuper, quo propius accedit, eo melius ad suscipienda bonitatis divinae dona disponitur.

EXERCITIA QUAEDAM SPIRITUALIA,

PER QUAE HOMO DIRIGITUR, UT VINCERE SEIPSUM POSSIT, ET VITAE SUAE RATIONEM, DETERMINATIONE A NOXIIS AFFECTIBUS LIBERA, INSTITUERE.

Sententia alterius obscura in bonam partem trahatur.

In primis, ut per huiusmodi Exercitia, tam qui ea tradit, quam qui accipit, iuvari queat, supponendum est christianum unumquemque pium debere promptiore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quam damnare. Si vero nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem, et, si minus recte sentiat vel intelligat, corripiat benigne; hoc nisi sufficit, vias omnes opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu ac securum reddat ab errore.

Quando et quomodo, qui errat, corripiendus.

PRINCIPIUM,

SIVE FUNDAMENTUM.

Hominis finis. Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua vero, supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum iuvent: unde sequitur utendum illis vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt. Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes * (prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae): ita, ut (quod in nobis est) non quaeramus sanitatem, magis quam aegritudimen; neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferamus. ** Sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere ac desiderare.

EXAMEN PARTICULARE ET QUOTIDIANUM,

TRIA TEMPORA COMPLECTENS AD DISPOSITIONEM SUI AC DUPLICEM DISCUSSIONEM ACCOMMODA.

1. Tempus matutinum. Primum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum a somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, a quo emendari cupit.

2. Pomeridianum. Secundum est pomeridianum, in quo petenda est a Deo gratia, ut reminisci possit ille quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, et in posterum cavere; deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato seu vitio iam dicto, et singulas diei partes praeteritas percurrens, ab ea hora qua surrexit usque ad praesentem, quoties illud commiserit, et puncta totidem signet in priore linea figurae subscriptae. Quibus peractis, denuo proponat per spatium diei reliquum diligentius sese cohibere.

3. Vespertinum. Tertium erit vespertinum tempus, in quo post coenae horam facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis ab examine priore usque ad praesens lapsis, et, eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore linea figurae sequenti similis, ad hoc praeparatae.

ADDITIONES QUATUOR UTILES AD FACILIOREM ET CELERIOREM PECCATI SEU VITII CUIUSVIS EXSTIRPATIONEM.

Prima. Prima est, ut, quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota doleat de lapsu; quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus.

Secunda. Secunda est, ut sub noctem, numeratis comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat an a priore examine usque ad secundum aliqua successerit emendatio.

---

* *In Fundamento, ubi dicitur :* Prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae; *clarius ex autographo dicatur*: Prout libertati arbitrii nostri permissum est, et non prohibitum.

** *Circa finem Fundamenti, ubi habetur :* Sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere ac desiderare; *dicatur :* Sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quae ad finem, cuius gratia conditi sumus, nos ducunt, eligere ac desiderare.

Tertia.

TERTIA est, ut conferat diei secundae atque praecedentis examina invicem, considerans ecquid sibi emendationis intervenerit.

Quarta.

QUARTA, ut, collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factae vel omissae emendationis rationem habeat.

Item NOTANDUM est ex sequentibus figuris, primam caeteris longiorem deputari diei primae, puta dominicae; secundam vero diei lunae, paulo breviorem; et ita deinceps, cum par sit diminui in dies erratorum numerum.

EXAMEN CONSCIENTIAE GENERALE,

AD PURGATIONEM ANIMAE ET AD PECCATORUM CONFESSIONEM UTILISSIMUM.

Triplex cogitationum genus.

Pro comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus: unum ex proprio surgens motu ipsius hominis; reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet vel mali spiritus suggestione.

De cogitatione.

Quotuplex meritum in repellenda mala cogitatione.

Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est. Primo, quando suggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur. Secundo, quando pravae istiusmodi suggestioni, semel ac iterum repulsae et subinde nihilominus revertenti, continue resistit homo, donec penitus expugnetur; quod quidem victoriae genus merito alterum antecellit.

Quando levis culpa in cogitatione.

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur, vel in ea retundenda sese exhibet negligentem. Mortale vero peccatum per cogitationem duobus modis admittitur: primo, quando cogitationi peccati praebetur quacumque ratione assensus; secundo, quando peccatum illud opere completur. Idque gravius est priore ex tribus causis, videlicet: ob maiorem temporis decursum, ob actum intensiorem, et ob plurium denique offendiculum sive detrimentum.

Quando mortalis, et quotuplex.

De loquela.

Quotupliciter verbo DEUS offenditur.

Verbo etiam multifariam offenditur DEUS: ut in blasphemia, iuramento. Nam iurandum non est neque per Creatorem neque per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus: veritate, necessitate ac reverentia. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quae circa spirituale, corporale vel etiam temporale bonum aliquod momenti est non levis. Reverentiam dicimus, quando, assumens divinum nomen, adhibet considerationem, ut DEO Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.

De iuramento.

Sciendum est autem, licet iuramentum temere seu vane factum per

Creatorem sit gravius peccatum, quam per creaturam; difficilius tamen esse per hanc, quam per illum, licite iurare, servatis debitis circumstantiis, quas diximus. Primo, quia in mentione creaturae, facienda per iuramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac necessitate iuremus, sicut nominato rerum omnium Creatore. Secundo, eo quod ad honorem Deo exhibendum cum reverentia longe debilius movemur ex commemoratione creaturae, quam ipsius Dei Creatoris. Quam ob rem iurare per creaturas perfectis magis conceditur quam crassioribus, sive idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo et illustratione intellectus considerant proprius atque deprehendunt Deum secundum essentiam, praesentiam et potentiam suam creaturae cuilibet inesse; unde ad praestandam illi debitam in iuramento reverentiam paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt. Tertio, quia, creaturis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriae; id quod imperfectis, magis quam perfectis, fuerit timendum.

Otiosum verbum vitandum, et quale sit.

Vitandum est insuper verbum otiosum (inter alia locutionis peccata), quale esse intelligitur, quodcumque nec loquenti nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur, ut afferat utilitatem. E converso vero minime otiosum censendum est verbum illud, quodcumque ad animae vel propriae vel alienae, aut ad corporis aut rei etiam temporalis commodum pertinet, aut certe ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur; etiam si quis de negotiis loquatur ab instituto suo alienis, ut Religiosus de bellis vel mercimoniis. Caeterum ex sermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit; ad malum vero finem, aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

Oris peccata.

Sunt et oris peccata, mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri, nec obmurmurandum. Revelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione vel gravi damno famae alterius, mortale itidem peccatum committitur; veniali autem, veniale solum. Ad haec, quotiescumque alienum patefacimus vitium vel defectum, nostrum ipsorum vitium ac defectum simul commonstramus.

Quandonam de proximi delicto licet loqui.

Verumtamen, ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primo, quando publicum est, ut meretricium, vel damnatum in iudicio, vel perniciosum, puta ob errorem publicum animos conversantium corrumpentem.

Secundo, quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem ille relevari a peccato possit; dummodo rei huius probabilis aliqua ratio vel coniectura offeratur.

Possent inter oris peccata irrisiones, contumeliae et alia id genus adscribi, quae persequi licebit tradenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit.

De opere.

Operis peccata

Propositis ante oculos decem mandatis Dei, cum Ecclesiae praeceptis et iussis maiorum seu Superiorum, aestimandum est, quidquid fit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse; levius aut gravius tamen, pro inaequali peccandi modo, et pro diversa peccantium habitudine. Porro

reduci ad iussa ducimus Superiorum, diplomata seu indulta Pontificum pro infidelium expugnatione vel christianorum pace concedi atque promulgari solita; per quae ad confessionem peccatorum et Eucharistiae sanctae sumptionem Christi fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter quicumque tam pias Rectorum Ecclesiae cohortationes sanctionesque aspernari audet ac transgredi.

EXAMINIS GENERALIS MODUS,

PARTICULAS SEU PUNCTA QUINQUE COMPLECTENTIS.

1. Gratiae agendae.

Primum punctum est Domino nostro Deo pro beneficiis acceptis gratias agendas esse.

2. Gratia petenda.

Secundum, quod debemus pro cognitione et expulsione peccatorum gratiam flagitare.

3. Discutienda conscientia.

Tertium, de admissis praesenti die peccatis rationem ab anima nostra exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primo quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem, eodem ordine, quo in particulari examine traditum est.

4. Venia poscenda.

Quartum, poscere veniam de delictis.

5. Emendatio proponenda.

Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem; et Orationem Dominicam post dicta omnia recitare, *Pater noster.*

CONFESSIONIS GENERALIS ET COMMUNIONIS USUS.

Confessionis generalis emolumenta.

Ex confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur tria haec emolumenta.

Primum.

Primum, quod, tametsi, qui annis singulis saltem confitetur semel, ad generalem huiuscemodi confessionem minime obligetur; eam tamen facienti ipsi multo plus commodi et meriti accedit, ob dolorem scilicet de peccatis et malitia vitae praeteritae, quem ita sentit vehementiorem.

Secundum.

Secundum, quoniam, inspecta per spiritualem exercitationem, longe quam antea manifestius, natura et malitia peccatorum, tanto amplius commodum ac meritum percepturus est.

Tertium.

Tertium, quia consentaneum est hominem, sic rite confessum atque dispositum, multo melius se habere ad Eucharistiae sumptionem, quae maxime confert, et ad fugam peccati, et ad gratiae receptae conservationem et augmentum.

Quandonam generalis confessio facienda.

Porro generalis ista confessio post hebdomadae primae exercitia potissimum erit opportuna.

PRIMUM EXERCITIUM

MEDITANDI, SECUNDUM TRES ANIMAE POTENTIAS, CIRCA PECCATUM TRIPLEX,

et continet orationem praeparatoriam, duo praeludia, et puncta tria praecipua cum uno colloquio.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria est qua petimus a Domino gratiam, ut vires atque operationes nostrae omnes sincere ad eius gloriam et cultum tendant.

1. Praeludium.

Primum praeludium est ratio quaedam componendi loci. Pro qua notandum est, quod in quavis meditatione sive contemplatione de re corporea, ut puta de Christo, effingendus erit nobis, secundum visionem quamdam imaginariam, locus corporeus id, quod contemplamur, repraesentans, veluti templum aut mons, in quo reperiamus Christum Iesum vel Mariam Virginem, et caetera, quae

spectant ad contemplationis nostrae argumentum. Sin autem speculationi subest res incorporea, ut est consideratio peccatorum nunc oblata, poterit loci constructio talis esse, ut si per imaginationem cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili, velut in carcere, constrictam; hominem quoque ipsum in hac miseriae valle inter animalia bruta exsulantem.

2. Praeludium.

Secundum erit praeludium, ut a Domino id postulem, quod exopto iuxta propositae contemplationis argumentum, nimirum: si de Christi resurrectione fuerit meditandum, petenda erit laetitia, qua gaudenti Christo congaudeam; sin de passione, lacrimas, poenas et angores petam ad compatiendum Christo patienti. In praesenti ergo meditatione pudorem confusionemque mei ipsius debeo exposcere, attendens quam multi homines ob peccatum mortale, vel unicum, damnati fuerint; et quod ego, toties omni peccando, sim damnationem commeritus.

Quae orationi seu contemplationi praemittenda.

Notandum ad haec, quod omni meditationi seu contemplationi praemitti debent tam oratio praeparatoria quam praeludia duo; sed oratio quidem semper fit eodem modo, praeludia vero pro diversitate rerum sunt diversa.

Circa peccatum Angelorum.

Primum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commissum; adhibito statim discursu intellectus, atque voluntatis motu, instigante me ad volvenda et intelligenda ea, per quae erubescam et confundar totus, facta unius tantum peccati Angelorum cum tot meis comparatione: unde colligere liceat, cum illi ob unicum crimen addicti sint inferno, quam saepe ipse supplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli, creati primum in statu gratiae, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem) non volentes per arbitrii libertatem Creatori suo reverentiam et obsequium praestare, at contra eum ipsum insolescentes, conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de coelo ad infernum praecipitati. Consequenter discurrendum erit per officium intellectus circa haec pensiculatius, nec non concitandis simul voluntatis affectionibus acrius insistendum.

Circa peccatum primorum parentum.

Secundum est punctum easdem potentias tres circa peccatum primorum parentum (quod secundum appellabimus) exercere; tractando memoria quam diuturnam ob illud poenitentiam egerunt, quanta humanum genus corruptio invasit, quot hominum millia ad inferos deturbata sunt. Memorandum est videlicet, quomodo Adam, in damasceno campo de limo terrae factus, positusque in terrestri paradiso, et Eva, formata ex una costarum eius, cum de fructu arboris scientiae boni et mali prohibiti essent comedere, et nihilominus comedissent, post peccatum subito ex paradiso eiecti sint, vestibus pelliceis induti, et originali iustitia privati, reliquum vitae suae tempus in laboribus ac aerumnis maximis poenitendo traxerint. Super his etiam ratiocinio intellectus et affectibus voluntatis utendum erit, sicut prius.

Circa peccatum mortale particulare.

Tertium est, ut exerceamur pari modo circa peccatum mortale et particulare quodlibet (ipsum nos tertium peccatum dicemus, ut a duobus supra positis distinguatur), considerando quod peccato tali, vel semel dumtaxat commisso, forte detrusi sint multi ad infernum; quodque prae-

terea prope innumeri, ob delicta meis pauciora atque leviora forte, crucientur aeternis poenis. Unde memoria versandum erit quanta sit peccati gravitas et malitia DEUM omnium Conditorem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque est, supplicium aeternum peccato iuste irrogari, utpote adversus infinitam bonitatem DEI perpetrato. Postremo suscitandi sunt affectus, sicut iam dictum est.

Colloquium.

Colloquium fiet imaginando IESUM Christum coram me adesse in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipse infinitus fieri creatura, et ab aeterna vita ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper me ipsum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo? Quid agam tandem, aut agere debeam? Et, in eum intuens sic cruci affixum, ea proloquar, quae suggeret mens et affectus.

Quomodo colloquium faciendum.

Porro colloquii proprium illud est, ut fiat sicut amici sermo ad amicum, vel servi ad Dominum, nunc gratiae aliquid petendo, nunc culpam aliquam meam incusando, interdum propria quaelibet communicando, ac petendo consilium super illis sive auxilium. Ultimo dicatur *Pater noster*.

II EXERCITIUM

EST MEDITATIO DE PECCATIS,

complectens, ultra orationem praeparatoriam et duo praeludia, quinque articulos seu puncta, cum colloquio ad finem.

Oratio praeparatoria.

Praeparatoria oratio eadem quae supra.

1. Praeludium.

Prius praeludium eamdem exigit constructionem loci, ut in praecedenti meditatione.

2. Praeludium.

Posterius vero fiet poscendo id, quod hic quaerimus, dolorem scilicet intensum de peccatis, atque abundantem fletum.

Revocare in memoriam peccata totius vitae.

Punctum primum sit processus quidam, per quem peccata totius vitae in memoriam revocantur, percursis gradatim discussisque annis et spatiis temporum singulis. Qua in re, triplici iuvamur compendio: consideratis videlicet locis habitationis nostrae, conversationum modis, et officiorum seu negotiorum, quibus functi sumus, generibus diversis.

Ipsa peccata perpendere.

Secundum est peccata ipsa perpendere, quanta sit foeditas et nequitia singulorum ex natura sua, si vel prohibita non essent.

Se ipsum considerare.

Tertium est considerare me ipsum, quisnam aut qualis sim, additis exemplis, quae me in maiorem mei contemptum trahant: ut si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium coetum comparatus; quid deinde sit multitudo universa mortalium, si cum Angelis et Beatis omnibus conferatur; post haec attendendum est, quid rei sit tandem, quidquid est creatum, prae ipso DEO Creatore; iam quid homuncio ego unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animae, atque corporis foeditatem, ac me tamquam ulcus sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum tantaque vitiorum lues defluxerit.

DEUM offensum cogitare.

Quartum est cogitare quid sit DEUS, quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis DEO, ut propriis, cum oppositis meis vitiis atque defectibus: summam scilicet eius potentiam, sapientiam, bo-

nitatem et iustitiam cum extrema mea infirmitate, ignorantia, malitia et iniquitate conferendo.

Exclamare ex affectu vehementi.

Quintum, in exclamationem prorumpere ex commotione affectus vehementi; admirando valde, quomodo creaturae omnes (discursu facto per singulas) me sustinuerint tamdiu, et hucusque vivum servaverint; quomodo Angeli, divinae iustitiae gladium ferentes, aequo me animo tulerint, custodierint, suisque etiam iuverint suffragiis; quomodo pro me intercesserint Sancti; quomodo coelum, sol, luna et alia sidera, elementa cunctaque animantium genera et terrae germina, debitae vindictae loco, mihi servierint; quo denique modo non absorbuerit me dehiscens tellus, et mille infernos reserans, in quibus perpetuas poenas daturus essem.

Colloquium.

Terminanda demum erit haec meditatio per colloquium, extollendo infinitam Dei misericordiam, gratias pro viribus agendo, quod vitam ad hunc usque diem prorogaverit: unde, proposita in futurum mei emendatione, recitabo semel *Pater noster.*

III EXERCITIUM

non erit aliud, quam repetitio primi et secundi una cum tribus colloquiis.

Repetitio duorum exercitiorum quomodo facienda.

Post praeparatoriam orationem et duplex praeludium, repetenda erunt praecedentia duo exercitia, notatis punctis seu locis in quibus maiorem senserimus consolationem, desolationem aut aliam quamcumque spiritualem affectionem; ac illis diutius diligentiusque immorandum erit. Deinde, occurrente nobis spirituali motu, ad colloquia, quae sequuntur, tria veniemus.

1. Colloquium ad B. Virginem.

Colloquium primum fit ad Dominam nostram, Christi Matrem, flagitando intercessionem eius apud Filium, et gratiae impetrationem nobis tripliciter necessariae: primo, ut internam criminum nostrorum cognitionem ac detestationem sentiamus; secundo, ut operum nostrorum agnoscentes abhorrentesque ordinem perversum, correcto eo, nosmetipsos secundum Deum recte ordinemus; tertio, ut, perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus. His expletis, semel recitetur *Ave Maria.*

2. Colloquium ad Christum Dominum.

Secundum colloquium fiat similiter ad Christum Dominum et mediatorem nostrum, ut illa eadem nobis impetret ab aeterno Patre. Subdetur in fine oratio, quae incipit: *Anima Christi.*

3. Ad Deum Patrem.

Tertium eodem processu faciendum est ad Deum Patrem, ut triplicem illam gratiam nobis largiatur, et in fine semel recitandum *Pater noster.*

IV EXERCITIUM

conficitur ex tertii repetitione.

Repetitio tertii Exercitii.

Ponitur repetitio eiusmodi, veluti quaedam eorum ruminatio, quae meditatus sum in exercitiis prioribus, ut, ea continue reminiscendo, discurrat facilius intellectus sine divagatione. Adiicienda quoque erunt tria eadem colloquia.

V EXERCITIUM

EST CONTEMPLATIO DE INFERNO,

continetque, ultra orationem praeparatoriam et duo praeludia, puncta quinque et unum colloquium.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria non differt a superiore.

1. Praeludium. Prius praeludium hic habet compositionem loci, subiecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine ac profunditate.

2. Praeludium. Posterius vero consistit in poscenda intima poenarum, quas damnati luunt, apprehensione, ut, si quando me ceperit divini amoris oblivio, saltem a peccatis supplicii timor coerceat.

Ignem inferni spectare. Punctum primum est spectare per imaginationem vasta inferorum incendia, et * animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis, inclusas.

Audire planctus. Secundum, audire imaginarie planctus, eiulatus, vociferationes atque blasphemias in Christum et Sanctos eius illinc erumpentes.

Res graveolentes olfacere. Tertium, imaginario etiam olfactu fumum, sulphur et sentinae cuiusdam seu faecis atque putredinis graveolentiam persentire.

Res amaras gustare. Quartum, gustare similiter res amarissimas, ut lacrimas, rancorem, conscientiaeque vermem.

Tangere ignem. Quintum, tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animae ipsae amburuntur.

Colloquium. Colloquendo interim cum Christo, in memoriam adducendae erunt illorum animae, qui ad inferni poenas damnati sunt, vel quia credere noluerunt adventum Christi, vel, licet crederent, non tamen conformem praeceptis eius vitam exegerunt; idque vel ante adventum Christi, vel eodem tempore, quo vixit Christus in hoc mundo, vel post illud deinceps. Gratiae postremo agendae sunt eidem Christo quam maximae, quod in tale quodpiam exitium non permiserit me corruere, sed potius ad hunc usque diem summa pietate et misericordia me prosecutus sit. Finis imponetur, dicto *Pater noster*.

Quando his adiungendae aliae meditationes. Si visum erit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de morte ac aliis peccati poenis, de iudicio etc., non se putet prohiberi, licet hic non adscribantur.

Temporis distributio. Exercitiorum vero tempus ita distribuendum est, ut primum eorum fiat in media nocte; secundum, mane simul ac surrexerimus; tertium, ante vel post Missae Sacrum, nondum sumpto cibo; quartum, circiter horam Vesperarum; quintum, hora ante coenam. Quae temporis distributio singulis quatuor hebdomadis communis est; variari tamen potest, atque augeri vel minui, prout unicuique ad peragenda dicta quinque exercitia aetas, animi corporisque dispositio, sive naturae ipsius complexio subservit.

ADDITIONES

AD EXERCITIA MELIUS AGENDA, ET AD EA, QUAE OPTANTUR, INVENIENDA PERUTILES.

Quaenam post cubitum cogitanda. PRIMA est, ut ego post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel Angelica Salutatio, ** cogitem de hora, qua surgendum mihi erit, et de exercitio faciendo.

---

* *In primo puncto:* Et animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis, inclusas; *dicatur:* Et animas velut igneis quibusdam corporibus, tamquam ergastulis, inclusas.

** *In prima additione, ubi dicitur:* Cogitem de hora, qua surgendum mihi erit, et de exercitio faciendo; *ex autographo dicatur:* Cogitem de hora, qua surgendum mihi erit, exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.

Quid, postquam expergefactus fuerit.

SECUNDA, ut, expergefactus, statim, exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediae noctis exercitio contemplaturus sum; utque, maioris verecundiae et confusionis gratia, exemplum mihi huiusmodi proponam: quomodo miles aliquis staret coram rege suo et coetu aulico erubescens, anxius et confusus, qui in regem ipsum, acceptis ab eo prius beneficiis donisque plurimis ac magnis, graviter deliquisse convictus esset. In secundo itidem exercitio, reputans quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum coram summo Iudice, sicut mortis reus quispiam, ferreis ligatus compedibus, duci ad tribunal solet. His igitur vel aliis, pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, vestitu meo me induam.

Stet paululum ante orationem.

TERTIA, ut a loco futurae meditationis, uno vel gemino adhuc passu distans, per tantillum tempus, quo percurri Oratio Dominica posset, animo sursum elevato, considerem Dominum meum IESUM, ut praesentem, et spectantem quidnam acturus sum, cui reverentiam cum humili gestu exhibere debeam.

Quo situ corporis orandum.

QUARTA est, ut ipsam aggrediar contemplationem, nunc prostratus humi, et pronus, aut supinus iacens, nunc sedens aut stans, et eo me componens modo, quo sperem facilius id consequi, quod opto. Ubi adverti haec duo debent: primum, quod si flexis genibus, vel in alio quovis situ voti compos fiam, nil requiram ultra; secundum, quod in puncto, in quo assecutus fuero quaesitam devotionem, conquiescere debeo sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero.

Completo exercitio, dispiciat ut successerit.

QUINTA, ut, completo exercitio, sedens vel deambulans, per quartam circiter horae partem mecum dispiciam quonam modo meditatio seu contemplatio mihi successerit. Et si quidem male, inquiram causas cum poenitudine ac emendationis proposito; sin vero bene, gratias DEO agam, eumdem postea modum observaturus.

Cogitationes laetas vitet.

SEXTA, ut cogitationes, quae gaudium afferunt, qualis est de gloriosa Christi resurrectione, subterfugiam: quoniam talis quaelibet cogitatio impedit fletum et dolorem de peccatis meis, qui tunc quaerendus est, adscita potius mortis vel iudicii recordatione.

Lucis claritate se privet.

SEPTIMA, ut eamdem ob causam omni me privem lucis claritate, ianuis ac fenestris clausis tantisper, dum illic moror, nisi quamdiu legendum aut vescendum erit.

A risu abstineat.

OCTAVA, ut a risu verbisque risum provocantibus maxime abstineam.

Neminem aspiciat.

NONA, ut in neminem oculos intendam, nisi salutandi aut valedicendi poscat occasio.

Poenitentiae faciendae.

DECIMA, ut aliquam addam satisfactionem seu poenitentiam. Quae quidem in interiorem et exteriorem dividitur. Interior est dolor de propriis peccatis cum firmo proposito cavendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis, quae tribus potissimum modis assumi potest.

Circa victum.

Primo, circa victum, subtractis quibusdam, non superfluis solum (quod temperantiae est, non poenitentiae), sed etiam convenientibus alimentis. Et eo fit melius, quo plus subtrahitur, vitata interim naturae corruptione, aut debilitate gravi seu infirmitate.

Circa somnum. Secundo, circa somni et strati modum, sublatis, non mollibus tantum aut deliciosis rebus, sed aliis etiam opportunis, quantum licet citra vitae aut valetudinis grave periculum. Quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consuetudinem (si cui est nimii somni) moderandam.

Circa corpus. Tertio, circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis gestatisque ciliciis, funibus aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis. In quibus tamen omnibus magis expedire videtur ut doloris sensus in carne tantum sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimum utemur ex funiculis minutis, quae exteriores affligunt partes, non autem adeo interiores, ut valetudinem adversam causare possint.

Notanda sunt insuper quatuor haec circa poenitentiam.

Exterioris poenitentiae usus triplex. Primum, quod poenitentiae exterioris triplex est usus seu effectus, nimirum: ut pro delictis praeteritis nonnihil satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quae sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magis subiiciens; ut postremo quaeramus atque impetremus aliquod gratiae divinae donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem de peccatis, et abundantiam lacrimarum, vel propter illa, vel propter poenas et dolores passionis Christi, aut dubii alicuius, quod nos angit, resolutionem.

Usus aliquarum additionum. Secundum, quod additiones primae duae solis conveniunt exercitiis, quae media nocte et sub auroram fiunt. Quarta vero in templo vel coram aliis numquam, sed domi tantum et clanculum exsequenda est.

Quando quis exercitii finem non assequitur, poenitentiae rationem mutet. Tertium, quod, quando is, qui exercitatur, affectum quaesitum non consequitur, ut dolorem vel consolationem; mutare subinde expedit rationem victus somnique, et alia genera poenitentiae; ita ut poenitentiam unam per triduum sectemur, et proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diversis plus aut minus poenitentiae est sumendum.

Quando etiam poenitentiae mutandae. Praeterea, cum poenitentias huiusmodi saepe omittamus ob affectum carnis, aut erroneum iudicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit citra ingens valetudinis detrimentum; et e contrario iustum nonnumquam poenitentiae modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, ut dictum est, poenitentiae generibus, ac per vices sumptis et relictis, evenit plerumque, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissime cognoscit, unicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.

Examinis particularis materia. Quartum, quod particulare examen fiat ad tollendas culpas et negligentias, quae circa exercitia et additiones solent obrepere; id quod etiam per tres alias sequentes hebdomadas observandum venit.

HEBDOMADA SECUNDA.

CONTEMPLATIO REGNI IESU CHRISTI,

EX SIMILITUDINE REGIS TERRENI, SUBDITOS SUOS EVOCANTIS AD BELLUM.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria fiet more supra dicto.

1. Praeludium.

Praeludium primum ad constructionem loci nunc erit, ut spectare nos imaginemur synagogas, villas et oppida, quae praedicans Christus pertransibat; et sic de locis aliis.

2. Praeludium.

Secundum, ad gratiam poscendam pertinens, in hac parte erit petere a DEO, ne obsurdescamus vocante nos Christo; sed ad sequendum ac obtemperandum prompti simus.

PARS PRIMA.

Regem electum sibi proponere.

Punctum primum esto: proponere mihi ob oculos humanum regem divinitus electum, cui Principes et populi omnes christiani reverentiam et obsequium praestare debeant.

Audire loquentem.

Secundum est imaginari quod audiam illum regem loquentem ad omnes subditos: In animo est mihi regiones infidelium universas ditioni meae subiicere. Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio uti victu, vestitu rebusque aliis, quam me utentem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis et casibus caeteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoriae et felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socius exstiterit.

Considerare quid illi respondendum sit.

Tertium est considerare quidnam respondere debeant regi amantissimo et liberalissimo fideles subditi, et quam prompte ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos. Contra vero, si quis non obaudiret, quanto apud homines universos vituperio dignus esset, atque quam ignavus miles aestimandus.

PARS SECUNDA.

Pars secunda huius exercitii consistit in collatione similitudinis inter dictum regem et Dominum IESUM Christum circa triplex illud punctum.

Exempli primi applicatio.

Primo sic applicabimus exemplum. Si terrenus ille rex, cum bellica sua evocatione, dignus est cui attentio et obsequium praestetur; quanto magis Christus, Rex aeternus mundoque toti conspicuus, qui singulos ad se his invitat verbis: Mea haec est iustissima voluntas, totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde, quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est; labori enim praemium respondebit.

Quis se Christi servitio non addicet?

Secundum ratiocinabimur neminem fore sanae mentis, qui non cupidissime Christi servitio se totum offerat et addicat.

Strenuorum responsum.

Tertio, iudicandum erit, quod ii, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos, non se ipsos tantum ad laborum tolerantiam; verum etiam maiora et praeclariora quaedam munera oblaturi sunt, expugnata carnis, sensuum amorisque proprii et mundani rebellione. Unde respondebit quisque in hunc fere modum:

En, o Rex supreme ac Domine universorum, tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuae sub-

iicio voluntati; attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosae Virginis Matris tuae, totiusque Curiae coelestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum: ut (dummodo in maiorem laudis tuae et obsequii mei proventum cedat) quam possim proxime te sequar, et imiter in ferendis iniuriis et adversis omnibus cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate; si (inquam) sanctissimae tuae Maiestati placeat ad tale me vitae institutum eligere atque recipere.

Bis fiet hoc exercitium.

Fiet bis interdiu hoc exercitium: mane cum primum surreximus, et in hora prandium vel coenam praecedente.

Lectio pia.

In hac hebdomada secunda et subsequentibus utile fuerit aliquid subinde legere ex Evangelio, vel pio alio codice, ut de imitatione Christi, Sanctorum vita etc.

PRIMAE DIEI
MEDITATIO PRIMA

ERIT DE INCARNATIONE IESU CHRISTI,

complectens orationem praeparatoriam, tria praeludia et puncta tria cum uno colloquio.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria nihil a superioribus variatur.

1. Praeludium.

Praeludium primum est proferre in medium contemplandae rei historiam, quae hoc loco erit: quomodo Personae tres divinae, universam terrae superficiem speculantes hominibus refertam, qui ad infernum descendebant, in deitatis suae aeternitate decernunt, ut secunda Persona pro salute humani generis naturam hominis assumat. Unde, adveniente tempore praestituto, Archangelus Gabriel ad beatam Virginem MARIAM nuntius destinatur, ut dicetur infra, in mysteriis vitae Christi.

2. Praeludium.

Secundum pertinet ad loci compositionem, quae erit visio imaginaria, perinde ac si oculis pateret terrae universae ambitus, quam habitant tot diversae gentes. Deinde ad certam mundi partem domuncula spectetur beatae Virginis, apud Nazareth in provincia Galilaeae sita.

3. Praeludium.

Tertium continet gratiae postulationem, ut intime cognoscam quo pacto DEI Filius mei causa sit homo factus, ut ardentius ipsum amem, et abhinc sequar studiosius.

Oratio praeparatoria et tria praeludia deinceps adhibenda.

NOTANDUM hic est, tam orationem praeparatoriam, quam tria praeludia, per totam hanc hebdomadam et reliquas sequentes itidem fieri, praeludiis dumtaxat pro diversitate rerum variatis.

Contemplari personas.

Punctum primum est, ut speculer personas omnes, de quibus agitur. Et primo quidem homines super faciem terrae degentes, adeo moribus, gestibus et actionibus diversos: quosdam albos, et nigros alios; nonnullos fruentes pace, et reliquos bellis agitatos; hunc plorantem, et ridentem illum; sanum unum, alterum aegrotum; nascentes multos, et multos vicissim morientes; caeterasque varietates prope innumeras.

Deinde contemplandae erunt Personae tres divinae, e solio regali suo intuentes omnia hominum genera, in superficie terrae caecorum more viventium, passimque morientium, et descendentium ad infernum. Postea Virginem MARIAM cum Angelo eam

salutante considerabimus, aliquid inde semper ad nos reflectendo, ut ex consideratione tali fructum aliquem referamus.

Audire eas loquentes.

Secundum punctum est auditu interno excipere quid loquantur personae omnes: ut homines in terris confabulantes, blasphemantes, sibique invicem conviciantes; divinae vero Personae in coelo de redimendo humano genere colloquentes; Virgo et Angelus in cellula de incarnationis mysterio tractantes. Quorum omnium reflexione seu applicatione quadam ad meipsum facta, studebo ex singulis nonnihil fructus decerpere.

Earum actiones attendere.

Tertium consequenter erit actiones quoque personarum simul attendere, ut puta: quomodo sese invicem mortales infestent, concutiant, trucident, et omnes ruant ad inferos; quomodo Sanctissima Trinitas Incarnationis opus exsequatur; quomodo item sua Angelus fungatur legatione, et beata Virgo, humillime se gerens, divinae gratias agat Maiestati. Ex quibus ad nos ipsos, ut dictum est, reflexis, fructus obiter est legendus.

Colloquium.

Colloquium postremo subiiciam, disquisitis studiose verbis, quibus divinam quamlibet Personam, Verbum incarnatum, et ipsius Matrem digne valeam compellare; petendo etiam pro affectu, quem in me sensero, quidquid ad maiorem iuvet imitationem Domini mei Iesu Christi, velut nunc recens incarnati. Recitabitur in fine *Pater noster*.

II CONTEMPLATIO.

DE NATIVITATE.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria sicut supra.

1. Praeludium.

Praeludium primum ex historia dependet, quae recensenda est ab egressu beatae Virginis ex oppido Nazareth; quo scilicet modo, iam nono mense gravida, et insidens asinae (ut pie meditari licet), ac Ioseph comes cum ancillula et bove profecti sunt Bethlehem, tributum a Caesare exactum pro se soluturi.

2. Praeludium.

Secundum vero deducendum erit ex consideratione itineris, aestimata eius longitudine, obliquitate, lenitate vel asperitate passim occurrente. Deinceps etiam nativitatis locum rimabimur, speluncae similem, latum vel angustum, planum vel erectum, commode vel incommode paratum.

3. Praeludium.

Tertium a superiore nihil mutabitur.

Contemplari personas.

Punctum primum est aspectus personarum, ut Virginis Deiparae, et Ioseph coniugis cum famula, et Christi Domini, ut infantis nunc primum nati: * inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, eorum utcumque necessitatibus cum reverentia maxima famulantem. Ac inde, quid ad me redire emolumenti ex tali spectaculo possit, dispiciam.

Audire eas loquentes.

Secundum conficitur ex verborum, quae ibidem fiunt, apprehensione fructuosa.

Earum actione attendere.

Tertium ex negotiorum, quae illic geruntur, inspectione, puta itineris, laborum, et causarum, ob quas sum-

---

* *In primo puncto:* Inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, eorum utcumque necessitatibus, etc.; *addatur ex autographo:* Inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, et servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, et eorum necessitatibus cum reverentia maxima famulantem.

mus omnium Dominus in summa natus sit egestate, laturus quoque in hac vita cum perpetua paupertate labores, famem, sitim, aestum, frigus, opprobria, verbera, et crucem tandem subiturus, idque mei causa; unde per singulas studebo proventum aliquem spiritualem colligere. Haec demum concludenda erunt inito colloquio, et finito cum *Pater noster*.

III CONTEMPLATIO

est repetitio praecedentium duarum.

Pro tertio exercitio repetuntur duo praecedentia.

Pro tertio exercitio seu contemplatione repetuntur duae praecedentes cum oratione praeparatoria et iisdem tribus praeludiis, notando ubique et fixius tractando illas partes, in quarum priore transcursu aliquid illustrationis, consolationis vel desolationis acceperim. Subdetur etiam colloquium cum Oratione Dominica, ut prius.

Idem est in hac hebdomada et in sequentibus repetendi modus.

NOTANDUM eumdem esse repetendi exercitii modum et ordinem in hac hebdomada et in sequentibus, qui fuit in prima; nisi quod mutatur materia, eadem forma permanente.

IV CONTEMPLATIO

est primae ac secundae iterata repetitio, proximae praecedenti penitus conformis.

V CONTEMPLATIO

est applicatio sensuum ad praedictas.

Quinque sensuum applicatio.

Post orationem praeparatoriam cum tribus iam dictis praeludiis, apprime conducit quinque imaginarios sensus circa primam et secundam contemplationem eo, qui sequitur, modo exercere, prout res subiecta feret.

Visus.

Punctum primum erit, secundum imaginationem respicere personas omnes, et, notatis, quae circa eas occurrent, circumstantiis, utilitatem nostram elicere.

Auditus.

Secundum, velut audiendo quid loquantur aut loqui eas deceat, omnia in usum nostrum attrahere.

Gustus et olfactus.

Tertium, interiore quodam gustu et olfactu sentire quanta sit suavitas * et dulcedo animae divinis donis ac virtutibus imbutae, iuxta rationem personae, quam consideramus, adaptando nobis ea, quae fructum aliquem afferre possint.

Tactus.

Quartum, per internum tactum attrectare ac deosculari vestimenta, loca, vestigia, caeteraque personis talibus coniuncta, unde fiat nobis devotionis vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio.

Per colloquium finiendum.

Huic erit contemplationi per colloquium imponendus finis, sicut prioribus, adiecto itidem *Pater noster*.

NOTANDA INSUPER SUNT HAEC QUINQUE.

Tantummodo legendum aut meditandum mysterium praesens.

PRIMUM, quod tam in hac, quam in qualibet sequente hebdomada nullum debeo legere vel cogitare aliud mysterium, nisi quod eadem hora aut die considerandum sit, cum alioquin unum alteri obturbet.

Exercitiorum distributio.

SECUNDUM, quod primum de Incarnatione Christi exercitium fit media nocte, proximum diluculo, tertium circa horam Missae, quartum sub Vesperas, quintum paulo ante coenam; et eorum cuilibet spatium impende-

---

* *In quinta contemplatione. In tertio puncto:* Dulcedo animae divinis donis etc.; *legatur:* Dulcedo divinitatis, animae, eiusque virtutum, ac caeterorum omnium, iuxta rationem etc.

tur unius horae. Id quod abhinc deinceps ubique venit observandum.

Quid cum senibus vel valetudinariis agendum.

Tertium, quod si is, qui exercitatur, sit senex, vel valetudinarius, vel per hebdomadam primam viribus attritus, praestat eum aliquoties non surgere de nocte, sed tres tantum contemplationes peragere; in aurora, circa Missae tempus, et ante prandium; * superaddita circa Vesperas una repetitione, et sensuum applicatione ante coenam.

Quaenam additiones in secunda hebdomada variandae.

Quartum, quod in hac hebdomada secunda, ex decem additionibus in prima traditis, variari debent secunda, sexta et septima, cum decima ex parte.

In secunda quidem hoc mutatur; quod, simul atque excitor a somno, meditationem proxime instantem debeo menti obiicere, ac desiderium provocare cognoscendi clarius incarnati aeterni Verbi, ut ipsi serviam et adhaerescam tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem eius perspexero.

In sexta vero, ut frequenti versem memoria vitam Christi a tempore Incarnationis ad locum usque sive mysterium, de quo in praesenti die vel hora sum meditaturus.

In septima, ut luce vel obscuritate, sereno coelo vel turbido delecter, quatenus ad scopum refert desideratae rei pertingendum.

In decima, ut ita me geram, sicut exigere videtur mysterii contemplandi genus; cum nonnulla ex mysteriis poenitentiam requirant, alia non item. Decem igitur additionibus utendum erit circumspecte.

Adnotandum circa secundam et tertiam additionem.

Quintum est ultimo notandum, quod in omnibus aliarum horarum (praeterquam noctis mediae et aurorae) exercitiis, assumendum erit aliquid, quod secundae et tertiae additioni aequivaleat, hunc in modum: ubi primum in mentem veniet adesse meditandi horam, prius quam accedam, prospiciam eminus quo ferar, et coram quo sim appariturus, ac, transcursa obiter exercitii oblati parte, contemplationem statim auspicabor.

IN II DIE

ARGUMENTUM PRIMAE ET SECUNDAE CONTEMPLATIONIS ERIT CHRISTI PRAESENTATIO IN TEMPLO, DE QUA INFRA, ET ** FUGA IN AEGYPTUM, DE QUA ETIAM INFRA, IN MYSTERIIS VITAE CHRISTI.

Fiet repetitio et sensuum applicatio.

Super duabus his contemplationibus fiet repetitio duplex, et sensuum applicatio, ut supra.

Interdum remittendum in Exercitiis.

Notandum, quod expedit nonnunquam eum, qui exercitatur, quamvis et vigore animi et corporis robore sit praeditus, nonnihil tamen remittere de praescriptis exercitiis secundae huius hebdomadae et subsequentium duarum, ut assequi, quod cupit, commodius valeat, accepta solummodo contemplatione una in crepusculo matutino, et altera circa Missae tempus; quarum repetitionem faciat hora Vesperarum; et sub coenam quinque imaginationis sensus super iisdem exerceat.

---

* *In quinque notandis. In tertio:* Superaddita circa Vesperas una repetitione, et sensuum applicatione ante coenam; *ex autographo:* Superaddita circa Vesperas una repetitione, et postea sensuum applicatione ante coenam.

** *In secunda die:* Et fuga in Aegyptum; *additur ex autographo:* Et fuga eiusdem veluti exulantis in Aegyptum.

DIE VERO TERTIA

Aliae meditationes de vita Christi.

MEDITANDUM OCCURRET, QUO PACTO PUER IESUS APUD NAZARETH SUBDITUS ERAT PARENTIBUS. DEINDE, QUOMODO AB EIS REPERTUS FUERIT IN TEMPLO, UT INFRA, IN MYSTERIIS VITAE CHRISTI.

Fient item duae repetitiones cum sensuum applicatione.

PRAELUDIUM QUODDAM,

CIRCA CONSIDERATIONEM STATUUM, SEU GENERUM VITAE DIVERSORUM.

Praeludium de diversis vitae generibus.

Cum * supra propositum fuerit exemplum Christi, de vitae genere, quod in mandatorum DEI observatione consistit, et primus seu communis status appellatur; nunc ipse Dominus, dum parentibus suis fuisse subditus memoratur, formam videtur exhibere alterius seu secundi status, pendentis ab obedientia, et perfectionem evangelicam afferentis, quando videlicet in templum se contulit, patre adscititio et naturali matre derelictis, ut aeterni Patris obsequio vacaret. Quare opportunum hic erit nos quoque, illius vitam contemplantes, vestigare et efflagitare proprium vitae genus, in quo Maiestati suae nos servire malit.

Ad hoc igitur inquirendum, possumus introduci per sequens proxime exercitium, ad Christi mentem attendentes collatam cum opposita inimici. Discemus etiam exinde, qua sit nobis opus dispositione, ut perfecti in eo evadamus statu, quemcumque Bonitas divina eligendum nobis suggesserit.

QUARTA DIE

FIET MEDITATIO DE DUOBUS VEXILLIS,

uno quidem IESU Christi, optimi nostri Imperatoris; altero vero Luciferi, hostis hominum capitalissimi.

Oratio praeparatoria fit secundum morem. Oratio praeparatoria.

Praeludium primum erit historica quaedam consideratio Christi ex una parte, et ex altera Luciferi, quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos. 1. Praeludium.

Secundum est ad constructionem loci, ut repraesentetur nobis campus amplissimus circa Hierosolymam, in quo Dominus IESUS Christus, tamquam bonorum hominum omnium summus dux, assistat. Rursum alter campus in Babylonia, ubi se Lucifer malorum et adversariorum ducem exhibeat. 2. Praeludium.

Tertium ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas; veri autem optimique Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse. 3. Praeludium.

PARS PRIMA.

Imaginari ducem impiorum.

Punctum primum est imaginari coram oculis meis apud campum babylonicum ducem impiorum in cathedra ignea et fumosa sedere, horribilem figura vultuque terribilem.

Ut convocat et spargit

Secundum est advertere quomodo convocatos daemones innumeros per

---

* *In praeludio post contemplationem tertiae diei. Quod ibi dicitur de distinctione duplicis status, clarius ita ponetur ex autographo:* Cum supra propositum fuerit exemplum Christi de vitae genere, quod in mandatorum DEI observatione consistit, dum parentibus suis fuisse subditus memoratur, et primus seu communis status appellatur; nunc idem ipse Dominus formam videtur exhibere alterius seu secundi status perfectionem evangelicam afferentis, quando videlicet in templum se contulit, etc.

per orbem daemones.

totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus et locis, nullis personarum generibus immunibus relictis.

Eius concio ad suos.

Tertium attendere cuiusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, ut, correptis iniectisque laqueis et catenis, homines primum trahant (quod fere contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiae barathrum deturbari queant.

Tres gradus tentationum.

Atque ita tres sunt praecipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus et superbia fundati; ex quibus in alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus.

PARS SECUNDA.

Similiter ex opposito, considerandus est summus optimusque noster dux et Imperator Christus.

Imaginari Christum.

Punctum primum erit conspicari Christum in amoeno campo iuxta Hierosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem.

Ut suos per orbem Discipulos mittat.

Secundum autem est speculari quo pacto ipse mundi Dominus universi electos Apostolos, Discipulos et ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui et conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impartiant.

Christi concio.

Tertium, auscultare concionem Christi exhortatoriam ad servos et amicos suos omnes, in opus tale destinatos, qua eis praecipit, ut iuvare studeant quemlibet, ac primo inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis; et insuper (si divini obsequii ratio et electio coelestis eo ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem; deinde ut ad opprobrii contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur.

Tres gradus perfectionis.

Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet: paupertas, abiectio sui, atque humilitas, quae ex diametro divitiis, honori et superbiae opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.

1. Colloquium ad B. Virginem.

Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam a Filio gratia, ut recipi possim et manere sub vexillo eius: idque, primum, per spiritualem tantum paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam (si quidem ad eam me vocare atque admittere dignabitur); deinde per abiectionem quoque seu ignominiam, ut ipsum imiter vicinius, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei tam in alicuius detrimentum, quam in offensam DEI cedat. Terminabitur primum hoc colloquium per *Ave Maria.*

2. Ad Christum.

Secundum colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi a Patre impetret illud idem, subdeturque in fine oratio *Anima Christi.*

3. Ad DEUM Patrem.

Tertium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum *Pater noster.*

Fiet in media nocte et sub auroram.

Transigetur hoc exercitium semel in media nocte, et altera vice sub auroram.

Duae repetitiones quando fient.

Repetitiones vero duae circa matutini Sacri atque Vesperarum tempus erunt faciendae, additis in fine tribus colloquiis. Sequens vero exercitium fiet ante coenam.

MEDITATIO

EODEM QUARTO DIE FACIENDA,
DE TRIBUS HOMINUM CLASSIBUS,

seu differentiis, ut potissimam partem amplectamur.

1. Praeludium.

Praeludium primum fiat, propositis vice historiae tribus hominum

classibus distinctis, quarum unaquaeque decem millia ducatorum, alio quam divini cultus et amoris studio, sibi paraverit; nunc autem placatum habere DEUM et salva fieri exoptet, sublato * utcumque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento.

2. Praeludium. Secundum est loci cuiusdam imaginaria constructio, in quo videam me ipsum coram DEO Sanctisque omnibus cum desiderio adstantem atque perseverantem, quonam pacto ipsi DEO placere queam potissimum.

3. Praeludium. Tertium est optatae rei petitio, nimirum gratiae, per quam id eligam, quod et DEO acceptissimum, et mihi saluberrimum futurum sit.

Primae classis affectus. Prima igitur classis optat quidem acquisitae rei exuere affectum, ut conciliari DEO possit; sed media ** debitaque adminicula toto vitae tempore non admovet.

Secundae classis affectus. Secunda itidem affectum male ordinatum auferre cupit; sed rem interim mordicus tenere, ac DEUM potius trahere ad votum proprium, quam, relicto impedimento, per conducibiliorem statum ad illum tendere.

Tertiae classis affectus. Tertia, postremo, affectum insincerum volens abiicere, rem ipsam vel tollere vel tenere aeque parata est, prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino instinctu vel ex rationis dictamine, animadverterit; *** ac, interim omnia relinquens integra, illud tantum versat et inquirit, nec aliam admittit relinquendae aut retinendae rei acquisitae causam, praeter rationem ac desiderium divinae gloriae, ut quam maxima sit.

Colloquium. Colloquia tria subsequentur, ut nuper facta sunt de vexillis.

De affectu perfectae paupertatis. NOTANDUM ad haec, quod, ubi affectum sentimus paupertati perfectae, quae tum in spiritu tum in rerum abdicatione subsistit, adversantem, et ad divitias magis inclinantem; multum confert ad eum elidendum petere ex DEO, licet renitente carne, ut ad paupertatem eiusmodi sectandam nos eligat: **** servabimus tamen interea desiderii nostri libertatem, qua liceat convenientiorem servitio divino viam invadere.

QUINTA DIE

SEQUETUR CONTEMPLATIO DE DOMINI TRANSITU A NAZARETH AD IORDANEM FLUVIUM, DEQUE EIUS BAPTISMO,

ut infra, in Mysteriis vitae Christi.

Fiet circa mediam noctem: bis repetetur. Fiet tam media nocte, quam primo mane. Bis praeterea repetetur circa Missae ac Vesperarum horam. Ante coenam applicabuntur quinque

---

* *In meditatione quartae diei, de tribus hominum classibus, in fine primi praeludii:* Sublato utcumque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento; *legatur:* Sublato utcumque noxio affectu rei partae, utpote etc.

** *In prima classe:* Debitaque adminicula toto vitae tempore non admovet; *ex autographo:* Debitaque adminicula usque ad horam mortis non admovet.

*** *In tertia:* Ac, interim omnia relinquens integra, etc. *usque ad finem; ita ex autographo verti potest clarius:* Ac interim ita se gerit, ut qui omnia in affectu reliquerit, enitendo scilicet, neque hoc neque aliud quippiam expetere, nisi quantum divini obsequii intuitus moveret: ita ut non aliam admittat relinquendae aut retinendae rei acquisitae causam, praeter rationem ac desiderium melius DEO Domino nostro serviendi.

**** *In Notando:* Servabimus tamen interea, etc. *usque ad finem; in autographo sic habetur:* Atque hoc ipsum optare, petere et flagitare, spectato solum obsequio et gloria divinae ipsius Bonitatis.

sensus. Ad haec, quodlibet horum quinque exercitiorum praecedet oratio praeparatoria cum tribus praeludiis, ut in superioribus de Incarnatione et Nativitate traditum est. Nec non adiectis tribus colloquiis, ut circa classes, vel iuxta id, quod ibi fuit subnotatum.

Examen particulare de qua re faciendum.

Examen autem particulare, a prandio et coena usitatum, fiet hic et in sequentibus de erratis ac negligentiis, quae circa proprias eius diei meditationes et additiones contigerunt.

Sexta die quid meditandum.

SEXTA DEINCEPS DIE,

contemplandum se offert, quomodo Christus IESUS a flumine Iordanis petierit desertum, ibique versatus sit, servata omnino exercitii diei quintae forma.

7. *Die.*

SEPTIMA,

quomodo beatus Andreas et alii successive Christum secuti sunt, ut dicetur in Mysteriis vitae Christi.

8. *Die.*

OCTAVA,

quomodo sermonem fecit Dominus in monte, octo beatitudinis modos edisserens, *ibid.*

9. *Die.*

NONA,

quomodo navigantibus discipulis se ostendit, ambulans super aquas maris, *ibid.*

10. *Die.*

DECIMA,

quomodo in templo docuit, *ibid.*

11. *Die.*

UNDECIMA,

de Lazari suscitatione, *ibid.*

12. *Die.*

DUODECIMA,

de gestis in die Palmarum, in Mysteriis vitae Christi.

NOTANDA HOC LOCO SUNT HAEC TRIA.

In 2. hebdomada possunt adiici meditationes.

PRIMO, quod in hac secunda hebdomada, iuxta temporis facultatem et utilitatem personae sese exercentis, possunt aliquot meditationes vel adiici, ut de mysteriis Visitationis, Pastorum, Circumcisionis et trium Regum; vel subtrahi ex supra positis, quippe quae introductione tantum delineantur, ad formandam melius contemplationem.

Quando inchoanda electionum discussio.

SECUNDO, * quod inchoanda est electionum discussio a contemplatione discessus Christi ex Nazareth Iordanem versus usque ad eam, quae fit quinto die, simul comprehendendam.

Quid ante materiam electionum considerandum.

TERTIO, quod, antequam electionum materiam aggrediamur, ut ad capessendam germanam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, apprime iuvat considerare, ac per diem totum revolvere identidem

TRES SEQUENTES MODOS HUMILITATIS,

nec non colloquia dicenda crebro agitare.

Primus humilitatis modus.

PRIMUS HUMILITATIS MODUS hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam divinae legi observandae, utque, ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitae discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Secundus.

SECUNDUS maioris est perfectionis,

* *In secundo Notando post duodecimam meditationem. Secundo:* Quod inchoanda est, etc. *usque ad finem. Omnis dubitandi ratio tollitur, si ita vertatur ex autographo:* Secundo, quod inchoanda est electionum discussio a contemplatione discessus Christi ex Nazareth Iordanem versus inclusive, quae fit quinto die, ut in sequentibus declaratur.

ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitae ac longitudinem aeque sim propensus, ubi aequalis est divinae laudis et salutis meae occasio; utque nulla, vel humanae quantaecumque felicitatis, vel propriae mortis conditione proposita, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernam admittere.

Tertius.

Tertius est modus humilitatis absolutissimae, ut, priores duos iam adeptus, etiamsi, nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem, eligam potius cum eo paupere, spreto et illuso pauperiem, contemptum et insipientiae titulum amplecti, quam opes, honores et sapientiae aestimationem. Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum magnum afferet compendium triplicis colloquii praecedentis de vexillis usus, per quod suppliciter poscamus (si divinae placeat benignitati) ad talem perduci electionem, sive maior sive aequalis obsequii mei erga Deum et gloriae divinae proventus subsit.

PRAELUDIUM

AD ELECTIONEM FACIENDAM.

Requisita ad electionem.

Ad bene quidpiam eligendum, nostrae sunt partes, ut oculo puro ac simplici spectemus quorsum fuerimus creati, nimirum ad laudem Dei et salutem nostram. Quapropter eligenda sunt ea tantum, quae conducunt ad dictum finem; cum ubique fini medium, non medio finis habeat subordinari. Unde errant qui uxorem ducere primitus, aut ecclesiasticum munus seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum Deo postea inservire, utentes praepostere fine ac medio, nec ad Deum tendentes recta, sed oblique ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes. Atqui e contrario plane agendum est, proposito primum divino cultu, tamquam fine nostro, et electo deinceps coniugio vel sacerdotio, caeterisque rebus omnibus, quatenus expedit, ad praefixum finem ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet ad mediis quibusvis utendum, aut supersedendum, nisi habita in primis, tam divinae laudis, quam nostrae salutis certa ratione.

Introductio ad eligendarum rerum notitiam, complectens quatuor puncta et annotatiunculam unam.

Res electionis quales.

Primum punctum est, quod res omnes, quae sub electionem cadunt, necessario bonae esse debent ex seipsis, aut certe non malae, nec nisi consonae institutis orthodoxae Matris Ecclesiae.

Quot genera rerum.

Secundum, quod genera duo rerum electioni quadrant. Nam quarumdam electio immutabilis est, ut ordinis sacerdotalis et matrimonii; aliarum vero mutari potest, sicut redituum ecclesiasticorum vel saecularium, quos recipi et relinqui ex causa fas est.

Quando nil superest eligendum.

Tertium, quod circa ea, de quibus facta iam sit electio immutabilis, nihil superest eligendum. Sed advertendum est, quod, si quis improvide nec sine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum est, ubi eum coeperit poenitere facti, electionis damnum probitate vitae et operum solertia pensare; resilire autem nullo pacto decet, quamvis electio istiusmodi non videatur vocatio divina esse, utpote obliqua atque inconsulta. Qua in re non pauci errant, electionem malam et obliquam pro divina vocatione reputantes, cum haec semper pura et

clara sit, non carnali ullo affectu vel studio perverso mixta.

Quando non est violanda electio.

Quartum, quod, si quis debito modo et ordine absque carnali mundanoque affectu quidpiam elegit, quod mutari possit, non est cur violet electionem talem, sed potius, ut in ea magis ac magis proficiat, adniti debet.

Quando corrigenda.

NOTANDUM autem est, quod, si electio rerum huiusmodi mutabilium non ita recte atque sincere processerit, eam expedit corrigere, ut fructus uberior et DEO gratior produci possit.

DE TEMPORE TRIPLICI AD ELECTIONES RECTE FACIENDAS MAGIS OPPORTUNO.

Primum tempus, cum nulla subest dubitatio.

TEMPUS PRIMUM erit, quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, immo etiam dubitandi facultas animae sublata sit, quo minus sequatur impulsionem talem; sicut legimus beato Paulo et Matthaeo et aliis nonnullis, vocante Christo, accidisse.

Secundum, cum constat de DEI beneplacito.

SECUNDUM est, quoties satis clarum compertumque fit beneplacitum divinum, docente id aliquo consolationum vel diversorum spirituum praevio experimento.

Tertium, quando animi est tranquillitas.

TERTIUM est, quando per animi tranquillitatem aliquis, considerato fine ad quem conditus est (ad DEI gloriam scilicet et salutem suam), eligit certum vitae genus intra Ecclesiae catholicae limites constitutum, per quod, ceu medium, commodius securiusque ad suum finem tendat.

Porro tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quotiescumque anima, nullis agitata variis spiritibus, vires naturales suas libere exercet.

Itaque, nisi primi vel secundi temporis beneficio electio contingat, superest ad tertium recursus, duobus modis sequentibus distinctum.

Modus prior sanae bonaeque electionis faciendae, sex constans punctis.

Rem deliberandam proferre.

PUNCTUM PRIMUM erit proferre in medium rem deliberandam, ut de officio vel beneficio, acceptandumne, an potius reiiciendum sit; et ita de caeteris rebus, quae ad mutabilem electionem spectant.

In neutram partem declinare.

SECUNDUM est, adducto ante oculos creationis meae fine, in hoc consistente, ut cum DEI laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectendae vel repudiandae rei controversae; quin potius velut in medio quodam interstitio et aequilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam novero divinae gloriae et saluti meae fore aptiorem.

A DEO lucem petere.

TERTIUM, obsecrare DEI clementiam, ut dignetur mentem instruere, et impellere voluntatem, quocumque potius mihi tendendum sit, adhibito nihilo secius pio fidelique intellectus mei ratiocinio, per quod, apprehensa et probata DEI voluntate, ad electionem ferar.

Commoda vel incommoda perpendere.

QUARTUM, perpendere quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio vel beneficio suscepto; quot rursum ex eodem incommoda et pericula impendent. Praeterea, quot per oppositum, omisso illo, tam commoda et adminicula, quam discrimina et damna possim exspectare.

Tum ratiocinari in utramque partem.

QUINTUM, his praemissis, ratiocinari in utramque partem, et iuxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.

Electionem

SEXTUM, electione facta, ad oran-

factam Deo offerre.

dum cito prosilire, et illam offerre Deo, perfecte demum, si ei placeat, recipiendam et stabiliendam.

Modus posterior bene eligendi, in regulas quatuor et annotationem unam distributus.

Puritas affectus.

Regula prima, quod, cum oporteat per affectum ex Dei amore coelitus infusum fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in seipso, quod, quidquid affectionis (sive multum sive modicum sit) erga rem electam tenet, ex solius Dei amore et intuitu proficiscatur.

Quod consilium darem ignoto.

Secunda * est considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret dubius super electione huiusmodi, quidnam ego illi decernendum maxime essem consulturus. Quo animadverso, agendum et mihi ducam, ut suaderem alteri.

Quid eligerem, morte ingruente.

Tertia, mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in praesenti deliberatione. Iuxta hunc igitur eligendum nunc esse facile intelligam.

Quid, cum tribunali Dei sistar.

Quarta, prospicere non minus, quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem. Quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.

Quando et quomodo facienda electio.

Adnotandum est postremo, quod, hisce regulis quatuor propter salutem meam et animi quietem accurate servatis, debeo iuxta ultimum punctum modi praecedentis electionem ipsam definire, et offerre Deo comprobandam.

DE EMENDATIONE SEU REFORMATIONE CIRCA VITAE STATUM CUIVIS FACIENDA.

Quid faciendum matrimonio vel dignitate ecclesiastica adstricto.

In primis illud est advertendum, quod, si quis vel matrimonio vel officio dignitatis ecclesiasticae sit adstrictus (de temporalium vero bonorum quantitate, magna an parva sit, non refert), unde ipsi non vacet aut parum libeat circa mutabilium rerum electiones versari; operae pretium est earum loco methodum ei tradi, seu formulam aliquam, ex qua vitam suam et statum proprium possit emendare.

Singula status perpendat.

Debet igitur, quisquis eiusmodi conditionem sortitus est, ut finem creationis et vitae suae recte statuat ac sequatur, per exercitia supra dicta et electionum modos attendere, atque ruminando sedulo colligere, quam amplam domum et familiam aequum sit se habere; quibus eam modis tractare et administrare conveniat; quibus instruere verbis et exemplis; quantum praeterea de possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios sive domesticos; quid rursum pauperibus erogare vel impendere piis operibus deceat, nihil affectando aliud nec quaerendo, nisi quod honorem Dei et salutem suam praestet. Hoc enim unusquisque persuasum habeat: tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius et commodi proprii affectione sese abstraxerit.

---

* *In modo secundo bene eligendi. In secunda regula:* Secunda est considerare, etc.; *usque ad finem. Clarius ita verti potest ex autographo:* Secunda est considerare, si quis mihi vir antea ignotus et numquam plane visus, cui tamen nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret dubius super electione huiusmodi, quidnam ego illi faciendum et eligendum ad maiorem Dei gloriam et maiorem animae illius perfectionem essem consulturus; quo animadverso, id mihi agendum ducam, quod alteri suaderem.

TERTIA HEBDOMADA.

PRIMA CONTEMPLATIO

* FIT IN MEDIA NOCTE, ET CONTINET ORATIONEM PRAEPARATORIAM, TRIA PRAELUDIA, SEX PUNCTA, CUM UNO COLLOQUIO.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria eadem, quae semper.

1. Praeludium.

Praeludium primum sumitur ex historia: quomodo Christus a Bethania misit Hierosolymam Discipulos duos ad parandam coenam, quo et ipse cum reliquis deinde profectus est, ibique post agni paschalis esum et peractam coenam pedes lavit omnibus, et sacrosanctum corpus ac sanguinem suum largitus est. Postremo sermonem ad eos habuit post discessum Iudae ipsum vendituri.

2. Praeludium.

Secundum, ex compositione loci, considerando dictum iter asperum aut lene, breve aut longum, cum caeteris, quae inesse poterant, circumstantiis. Deinceps conspicando locum coenae amplum vel angustum, vilem vel ornatum, et consimilia.

3. Praeludium.

Tertium, ex optatae rei petitione, scilicet doloris, indignationis et confusionis, eo quod ob peccata mea summus omnium Dominus tantis se tormentis ita obiiciat.

Respicere coenantes.

Punctum primum erit respicere coenantes, et aliquid in usum meum adducere.

Eos audire loquentes.

Secundum, eosdem audire, quid loquantur, et fructum inde decerpere.

Attendere quid agant.

Tertium, attendere quid agant, et per omnia proficere.

Quid Christus pati appetat.

Quartum, ** advertere quid iam inde Christus pati appetat, et incipiat, iuxta historiam: unde incipiam et ipse dolorem, moestitiam et fletum mihi excitare, meque affligam similiter in subsequentibus.

Quo se pacto absconditur divinitas.

Quintum, meditari quo se pacto abscondens Christi divinitas adversarios suos, cum valeat, non perdat, sed poenas adeo crudeles pati sinat humanitatem.

Quid mihi agendum aut patiendum.

Sextum, cogitare, cum talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam aut pati eius causa.

Colloquium.

Colloquium ad Christum fiet, terminandum cum *Pater noster*.

Notandum circa colloquia.

In colloquiis est NOTANDUM (ut supra ex parte iam exposuimus), quod agere convenit et aliquid petere iuxta praesentis rei rationem, videlicet: prout sentio in me consolationem vel perturbationem, prout virtutem unam vel alteram expeto, prout in hanc vel illam partem de

---

* *In tertia hebdomada. In titulo primae contemplationis:* Prima contemplatio fit in media nocte; etc. *addatur ex autographo:* Prima contemplatio de Christi Domini nostri profectione a Bethania in Hierusalem, et de gestis usque ad ultimam coenam inclusive, fit media nocte, et continet orationem praeparatoriam.

** *In quarto puncto:* Quartum, advertere quid iam inde, etc.; *ita vertendum ex autographo:* Quartum, advertere quid Christus Dominus noster in humanitate patiatur aut pati appetat, iuxta punctum, quod meditandum suscipitur: unde incipiam ét ipse maximo conatu dolorem, moestitiam et fletum mihi excitare; idemque curabo in subsequentibus punctis.

me statuere intendo, prout etiam de re, quam contemplor, tristari volo vel laetari. Denique postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maxime desidero: et unum dumtaxat colloquium poterit confici ad Christum Dominum, vel triplex, si devotio instiget, nempe ad Matrem, Filium et Patrem, sicut traditum est in contemplatione secundae hebdomadae de tribus classibus, cum sequente illic annotatione.

II CONTEMPLATIO,

IN AURORA, DE REBUS A CHRISTO POST COENAM ET IN HORTO GESTIS.

Oratio praeparatoria. Oratio praeparatoria consueta semper.

1. Praeludium. Praeludium primum est iuxta historiam: quomodo IESUS Christus una cum undecim suis Apostolis descendit ex monte Sion, ubi fuerant coenati, et, transiens per vallem Iosaphat, relictis ibi ex illis octo, aliis vero tribus in horti parte, seorsum ipse digrediens oravit ad sudorem usque sanguineum, iterata iam ter eadem ad Patrem suum oratione. Postea, excitis Discipulis a somno, prostratis ad solam vocem cum Iuda, per osculum prodente, adversariis; restituta deinceps, quam amputaverat Petrus, Malchi auricula; comprehensus tandem est, quasi nefarius aut latro quispiam, et per vallem illam ad Annae domum primo tractus.

2. Praeludium. Secundum est, pro construendo loco, viam intueri declivem, planam et arduam; item hortum certa magnitudine, figura et habitudine depingendum.

3. Praeludium. Tertium, pro voti consecutione, poscere moerorem, planctum anxietatem et caeteras id genus poenas interiores, ut Christo patienti pro me compatiar.

NOTANDA SIMUL HAEC QUATUOR.

Quid post orationem praeparatoriam et praeludia peragendum. PRIMUM, quod, post praeparatoriam orationem cum tribus praeludiis secundi huius exercitii, eodem modo et ordine procedendum est per puncta et per colloquium, ut in praecedente de coena peractum est. Exercitiorum distributio. Adiiciendae quoque erunt circa Missae et Vesperarum tempus duae repetitiones super una et altera dicta contemplatione. Ante coenam vero applicabuntur quinque sensus, praemissa ubique oratione praeparatoria cum tribus praeludiis oblatae materiae congruentibus, quemadmodum in hebdomada secunda satis descriptum est.

Exercitia danda pro qualitate personae. SECUNDUM, quod habita aetatis, complexionis corporalis, ac dispositionis totius ratione, vel quinque vel pauciora exercitia diebus singulis implebuntur.

Quid in hac tertia hebdomada mutandum. TERTIUM, quod in hac tertia hebdomada mutandae sunt ex parte additio secunda et sexta, siquidem (quod ad secundam spectat), ubi fuero experrectus, praecogitans quo tendam, et instantem contemplationem paululum delibans, interim dum surgo et accingor, adnitar simul ad tristitiam et dolorem de tot ac tantis Christi poenis meipsum acriter incitare. Quoad sextam vero, suffugiam, potius quam quaeram aut admittam, iucundas cogitationes, licet alioqui utiles et sanctas, ut sunt de Resurrectione Christi et gloria. Pro quibus in meditanda eius passione angores ac poenas hauriam ex frequenti eorum recordatione, quae ab hora suae Nativitatis ad exitum usque vitae huius ipse perpessus est.

Examen particulare.

Quartum, quod examen particulare, circa tam exercitiorum quam additionum functionem, fiet ad eumdem modum, ut in hebdomada praecedente.

IN SECUNDA AUTEM DIE

2. Die, quomodo in domo Annae.

contemplatio alia succedet noctu transigenda de gestis in domo Annae, ut narratur in Mysteriis vitae Christi. Sub auroram vero de secutis rebus in domo Caiphae, *ibidem*.

Deinde repetitiones et usus sensuum, velut prius.

IN TERTIA DIE

3. Die, quomodo ductus ad Pilatum.

contemplabimur per noctem mediam quomodo ductus est ad Pilatum Christus, et quid ibi actum, ut dicetur in Mysteriis vitae Christi. Diluculo vero, de iis, quae gesta sunt, transmisso Christo ad Herodem, *ibidem*.

Subdetur repetitionum et sensuum consuetus usus.

DIE QUARTA

4. Die, de reditu ab Herode.

meditatio nocturna percurret historiam de reditu ab Herode, *ibidem*, usque ad mediam partem mysteriorum, quae apud Pilatum secuta sunt; reliquam vero partem circa lucem primam prosequemur.

De repetitionibus quoque et sensibus, pro consuetudine sit agendum.

DIE QUINTA

5. Die, a sententia Pilati usque ad crucifixionem.

sub noctis medium de progressu ipso passionis contemplabimur, a sententia Pilati usque ad crucifixionem, *ibidem*. Sub auroram deinceps ab elevatione crucis ad Christi usque exspirationem, de quibus *ibidem*.

Repetitiones et sensuum exercitatio, ut supra.

DIE SEXTA

6. Die, de crucis depositione.

noctu quomodo mortuus Dominus sublatus de cruce et ad monumentum delatus est, *ibidem*. Primo mane, ex quo sepultus fuit, *ibidem*, donec B. Virgo in domum aliquam se recepit.

DIE SEPTIMA

7. Die, tota passio revolvenda.

inter noctu et mane passionem totam revolvemus. Postea, repetitionum et sensuum vice, per diem totum considerabimus, quam licebit frequentissime, quo pacto sanctissimum Iesu Christi corpus remanserit ab anima seiunctum, et ubinam aut quomodo sepultum; item quae fuerit B. Mariae Matris solitudo, desolatio qualis, et quanta afflictio. Quam acerbus quoque Discipulorum moeror exstiterit.

Quid, si diutius immorandum in passione.

Subnotandum est, quod, si cui libeat meditandae Christi passionis diutius instare, contemplationes singulas debet absolvere cum paucioribus mysteriis, ita ut prima solum comprehendat coenam; secunda, lotionem pedum; tertia, Eucharistiae sanctae institutionem; quarta, sermonem ibi subsecutum; et sic in caeteris agendum.

Iteratio passionis.

Ad haec, traiecta tota passione, licebit proximo post die iterare eius dimidium, atque reliquum postridie; perendie rursus totam simul.

Quid, si tempus succidendum.

E contrario vero, si quis malit tempus succidere, contempletur de coena Domini, per noctem; de horto, in aurora; de Annae domo, circa Missam; sub Vesperas, de domo Caiphae; de praetorio Pilati, ante coenam, et ita pergendo per dies singulos diversa exercitia quinque implebuntur, utpote repetitionum ac sensuum usu praetermisso. Transcursa vero

passione, operae pretium fuerit eamdem simul totam die unico revolvere, sive in unum tantum exercitium congestam, sive distributam in plura, prout sibi fore conducibilius ille censuerit.

REGULAE ALIQUOT

AD VICTUM RECTE TEMPERANDUM.

A pane minus abstinendum.

Prima est, quod a pane minus abstinendum sit, quam a reliquis alimentis; cum neque gulam adeo irritet, nec tentationi aeque obnoxios nos reddat.

Magis a potu temperandum.

Secunda, quod circa potum attendenda sit magis abstinentia, quam circa panem: caute observando quae prosit mensura potus, ut sumatur semper; quae rursum noceat, ut tollatur.

Potissimum a pulmentis et eduliis temperandum.

Tertia, quod circa pulmenta et edulia potissimum abstinentiae ratio versetur, cum per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum maior subministretur occasio. Temperanda sunt igitur vitandi excessus causa, quod fit dupliciter: dum vel cibis grossioribus vescimur atque assuescimus, vel dum parce delicatis utimur.

Ut reperienda iusta cibi mensura.

Quarta est, quod, quanto plus de conveniente victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversae gravi periculo), tanto celerius mensuram cibi ac potus iustam reperiet: tum quia hoc modo, melius se disponens et obnixius tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cognitionis internae radios et consolatorios motus sibi coelitus immissos, ex quibus facile poterit rationem victus commodiorem discernere; tum quoniam, si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quam ut Exercitia ipsa Spiritualia peragere commode valeat, sic facile advertet quam mensuram victus naturae necessitas requirat.

Inter comedendum, aliquid pium imaginari.

Quinta, quod expedit inter comedendum imaginari quasi videamus Iesum Christum Dominum nostrum vescentem cum suis Discipulis, observando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi et loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo. Usuveniet enim, ut, occupato magis intellectu circa meditationem talem, quam circa corporalem cibum, discamus facilius victum moderari.

Aliae meditationes intermiscendae.

Sexta, quod, gratia varietatis, aliae adhiberi possunt meditationes inter vescendum, ut sunt de Sanctorum vita, de pia quapiam doctrina, vel de aliquo spirituali negotio agendo; unde, sic abstracta mente, cibus ipse et vescendi delectatio parum sentiatur.

Cavenda aviditas cibi.

Septima, quod cavendum sit praecipue, ne super sumendos cibos animus quodammodo totus effundatur, et ne avide vescamur aut festine; sed, appetitui semper dominantes, tum mensuram victus, tum sumendi modum una temperemus.

Quid, pro tollenda cibi immoderantia.

Octava est, quod plurimum conducit ad tollendam cibi potusque immoderantiam, si ante prandium aut coenam, et quacumque hora nulla esuries sentitur, praevia deliberatione victum proxime sumendum definiamus ad mensuram certam, quam deinde, nulla vel propria aviditate vel instigatione inimici, umquam excedamus; sed potius, vincendae utriusque causa, de illa nonnihil etiam subducamus.

QUARTA HEBDOMADA.

CONTEMPLATIO I.

QUOMODO IESUS DOMINUS POST RESURRECTIONEM APPARUIT SANCTAE MATRI SUAE,

ut habetur infra, in Mysteriis vitae Christi.

Oratio praeparatoria. Oratio praeparatoria iuxta morem.

1. Praeludium. Praeludium primum accipitur ab historia: quomodo, postquam exspiravit Dominus in cruce, sepulto * corpore sed divinitate semper sociato, ipse in anima, divinitati quoque continue unita, descendit ad inferos; ereptisque inde iustorum animabus, rediens ad sepulcrum, corpus cum anima denuo univit, ac resurgens demum apparuit beatae Virgini Matri suae vivus, ut pie ac verisimiliter credendum est.

2. Praeludium. Secundum, pro constructione loci speculandum accipiet sepulcri situm et beatae Virginis domicilium, cuius formam, partes et reliquam dispositionem, ut cellulam et oratorium, singillatim perscrutabimur.

3. Praeludium. Tertium, continebit gratiam petendam, ut scilicet immensum Christi ac Matris gaudium participemus.

Eadem quae in contemplatione coenae. Punctum primum, secundum ac tertium eadem hic erunt, quae supra, in contemplatione coenae fuerunt exposita, id est considerare personas, verba, opera.

Ut divinitas in resurrectione elucescit. Quartum vero erit animadvertere ** quomodo Christi divinitas, passionis et mortis tempore abscondita, palam se faciat in Resurrectione, ac tot miraculis deinceps elucescat.

Christi benignitas suos consolandi. Quintum, aestimare quam prompto copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibita consolationis, quae ab amicissimo quopiam praestari potest, similitudine.

Colloquium. Colloquio uno vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio cum *Pater noster.*

Recensenda ordine mysteria Resurrectionis et Ascensionis. Notandum porro, quod in sequentibus contemplationibus seu exercitiis recensenda erunt per ordinem mysteria omnia Resurrectionis Ascensionisque, et quae sunt intermedia, servatis ubique iisdem formulis et modis, sicuti per totam illam hebdomadam factum est, in qua Passionis mysteria contemplati sumus; et iuxta modum ac exemplum primae huius de Resurrectione Domini meditationis formandae sunt sequentes omnes atque regulandae, tam in praeludiis (nisi quod haec rebus sunt accommodanda), quam in punctis quinque et additionibus singulis. Pari etiam ratione circa repetitiones et sensuum operationes, nec non in augendo minuendove exercitiorum secundum mysteria numero, dirigi poterimus, sicut in praedicta meditandae Chri-

* *In prima contemplatione quartae hebdomadae. In primo praeludio:* Sepulto corpore; *ex autographo habetur;* Corpore ab anima separato; *vox enim illa* (sepulto) *non est, neque cohaeret cum aliis.*

** *In quarto: puncto* Quomodo christi divinitas, passionis et mortis tempore abscondita; *in autographo habetur:* Quomodo Christi divinitas, quae passionis tempore videbatur abscondita, etc.

cti Passionis hebdomada fuimus edocti.

Quartae hebdomadae magis conveniunt quatuor exercitia.

Secundo, notandum est convenire magis quartae huic hebdomadae quam praecedentibus, ut quatuor dumtaxat fiant exercitia. Primum, postquam mane surreximus. Secundum, circa Missae tempus, vel paulo ante prandium, prioris repetitionis loco. Tertium, hora Vesperarum, pro secunda repetitione. Quartum, ante coenam, admotis sensuum officiis ad imprimendas fortius animae contemplationes tres eo die factas, signatis obiter et penitius tractatis partibus seu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, maioremque gustum spiritualem senserimus.

Puncta meditationis plura, vel pauciora.

Tertio, quod, quamvis ei, qui exercitatur, certus praescribatur numerus punctorum, puta ternarius aut quinarius, liberum tamen ipsi erit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit. Qua in re magnopere iuvabit, ante ingressum exercitii, tractanda puncta comminisci et numero certo praefinire.

Hac quarta hebdomada variandae aliquae additiones.

Quarto, denique, notandum est, quod per quartam hanc hebdomadam variari debent secunda, sexta, septima et decima additiones. In secunda quidem, ut, dum evigilo, repente mihi ponam ob oculos statutam contemplationem, et de gaudio Domini cum suis studeam et ipse exhilarescere. In sexta vero, ut memoriae meae obiiciam ea, quae laetitiam spiritualem cient, ut cogitatio de gloria. In septima, ut lucis et coeli utar commoditate, quae sese offeret, puta per tempus vernum herbarum virentium et florum aspectu, aut aprici loci amoenitate; per hiemem vero solis vel ignis opportuno calore; et ita de caeteris corporis atque animi oblectationibus congruis, per quas Creatori et Redemptori meo congaudere queam. In decima, ut loco poenitentiae temperantia et mediocritate victus contentus sim, nisi quo tempore ieiunium vel abstinentiam Ecclesia indixit, cuius praeceptis semper obtemperandum est, nisi iustum adsit impedimentum.

CONTEMPLATIO

AD AMOREM SPIRITUALEM IN NOBIS EXCITANDUM.

De natura amoris.

In primis duo notanda sunt.

Primum, quod amor ipse ab operibus, magis quam a verbis, pendet.

Secundum, quod consistit amor in mutua facultatum, rerum et operum communicatione, puta scientiae, divitiarum, honoris et boni cuiuscumque.

Oratio praemittitur ex more.

1. Praeludium.

Praeludium primum est, ut coram Domino, Angelis Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.

2. Praeludium.

Secundum, ut gratiam Dei efflagitem, per quam, beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum et servitium ipsius totum me impendam.

Beneficiorum recordatio.

Punctum primum sit revocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis; dona itidem particularia seu privata enumerare; et cum intimo affectu perpendere quantum mea causa benignissimus Dominus egerit atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque iuxta divinum suum decretum et beneplacitum seipsum mihi, quantum potest, donare velit. Quibus optime inspectis, vertar ad meipsum et disquiram mecum, quae meae sint partes, et quid aequum iustumque sit,

ut divinae offeram et exhibeam Maiestati; haud sane dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum cum summo affectu, et verbis huiuscemodi vel similibus :

Oblatio sui.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Speculandus DEUS in rebus omnibus.

Secundum erit speculari DEUM in singulis exsistentem creaturis suis: et elementis quidem dantem ut sint; plantis vero, ut per vegetationem quoque vivant; animalibus insuper, ut sentiant; hominibus postremo, ut simul etiam intelligant. Inter quos accepi et ipse universa haec beneficia, esse, vivere, sentire ac intelligere; meque templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam et similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam ut in primo puncto, vel melius si quid occurrerit; id quod in punctis etiam sequentibus erit factitandum.

DEUS operans in creaturis propter me.

Tertium est considerare eumdem DEUM ac Dominum propter me in creaturis suis operantem et laborantem quodammodo, * quatenus dat ipsis conservatque id, quod sunt, habent, possunt atque agunt. Quae omnia, ut supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

Considerare ut bona a DEO procedunt.

Quartum, prospicere quo pacto munera et bona omnia coelitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia et alia quaelibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta; quae ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen a sole et ex fonte aqua, derivantur. Addenda super est reflexio praedicta in mei circumspectionem.

Colloquium.

Colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum *Pater noster*.

MODI TRES ORANDI.

Primus orandi modus.

PRIMUS ORANDI MODUS deducendus est ex mandatis, ex peccatis septem mortalibus, ex tribus animae potentiis, et ex quinque sensibus consideratis; unde, non tam habet orationis formam, quam exercitii cuiusdam spiritualis, per quod et anima iuvatur et oratio DEO redditur acceptior.

Prius itaque quam hoc orem modo, iuxta illud, quod tertiae additioni aequipollet, sedebo vel deambulabo paulisper (prout ad animae quietem facere videro) pensitans apud me quo mihi accedendum sit et quid faciendum. Hoc idem additionis genus ad omnem orandi modum praemitti debet.

Oratio praeparatoria gratiae postulationem continet.

Oratio praeparatoria gratiae contineat postulationem, ut mihi detur agnoscere quidquid deliquero adversus decalogi praecepta, meque in posterum emendare, intellectis illis exactius, et, ut par est, ad DEI gloriam et salutem meam solito cautius observatis.

Mandati cuiusque discussio.

Primo ergo, mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens quo pacto servaverim illud aut violaverim,

---

* *In contemplatione ad acquirendum amorem. In tertio puncto, post illa verba;* Laborantem quodammodo, *addantur haec ex autographo*: Ut in coelis, elementis, plantis, frugibus et animantibus, quatenus dat, etc.

deque succurrentibus in memoriam delictis veniam precabor, recitando semel *Pater noster*. Porro in excutiendis singulis praeceptis satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter posset Oratio Dominica percurri. Notandum tamen, quod circa praeceptum, cuius praevaricatio rarior nobis accideret, minus immorandum esset; at eo amplius, quo lapsus fuerit ex assuetudine frequentior, idque similiter circa mortalia peccata sit praestandum.

Colloquium ad DEUM.

Completo de praeceptis singulis discursu, post mei accusationem et gratiae implorationem, ut ea vigilantius deinceps custodiam, colloquium dirigam ad DEUM iuxta rei occasionem.

Idem orandi modus circa mortalia.

Secundo, similem orationis modum prosequemur circa mortalia peccata, post additionem et praeparatoriam orationem, sicut fecimus in praeceptis. Nihil enim utrobique varium occurrit, nisi quod ad materiam attinet, cum praecepta quidem servanda sint, peccata vero devitanda. Caetera eadem sunt, fietque itidem colloquium.

Peccatorum notitiam quid iuvet.

Sciendum est peccatorum vitiorumque notitiam iuvari per contrariorum actuum et habituum considerationem. Quapropter per gratiam divinam et piam quamlibet exercitationem laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret mortalibus peccatis septem oppositas.

Circa tres animae potentias.

Tertio, circa tres animae potentias idem sequitur progressus per additionem, orationem et discussionem singularum, cum colloquio ad finem, faciendus.

Circa sensus quinque corporis.

Quarto, circa quinque sensus corporis, nulla re mutata, praeter materiam. Ubi subnotandum est, quod, si quis optet in sensuum suorum usu Christum imitari, debet in oratione praeparatoria seipsum super hoc DEO commendare, factaeque sensuum singulorum examinationi Dominicam Orationem subiicere; si vero similem affectet B. Virginis MARIAE imitationem, ei se commendet, tamquam a Filio id impetraturae, et Salutationem Angelicam, dum sensus excutit, identidem recitet.

SECUNDUS ORANDI MODUS,

ex vocum orationis singularum perpensa significatione.

Additio eadem, quae superius, it praevia.

Oratio praeparatoria.

Oratio praeparatoria personae congruet, ad quam dirigitur.

Secundus orandi modus qualis.

Secundus orandi modus est, ut flexis genibus vel sedendo (pro habitudine corporis et animi devotione), oculis vel clausis vel defixis in partem unam, neque huc et illuc motis, Precationem Dominicam a principio recitemus, et in prima voce, quae est *Pater*, meditationis figamus pedem, quamdiu circa eam variae nobis significationes, similitudines, spirituales gustus et aliae commotiones devotae incident, et ita deinceps per singula eiusdem vel alterius orationis verba factitabimus.

Regulae tres circa haec servandae.

1. Regula in secundo modo orandi.

Prima, ut in tali precationis cuiuslibet ruminatione horae spatium insumamus, quo expleto *Ave MARIA*, *Credo*, *Anima Christi*, et *Salve Regina* semel iuxta communem morem, vel mente sola, vel etiam voce percurrantur.

2. Regula.

Secunda est, quod, si, orantibus hoc modo nobis, in una voce vel duabus meditatio affluat et interna simul delectatio, postponenda erit

transcurrendi cura, licet hora tota praetereat, qua elapsa, reliquum orationis cursim recitetur.

3. Regula. Tertia, ut, quando ita contigerit, meditandae voci uni aut pauculis horam impendisse, postridie recitato breviter eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergamus.

Quid in fine orationis. Post excussam vero ad hunc modum Dominicam Precationem totam, succedet Salutatio Angelica; deinde alia oratio, ut sine interruptione haec orandi exercitatio procedat.

Colloquium. Ad haec, oratione qualibet sic completa, personam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus, virtutem aliquam aut gratiam petentes, qua maxime indigere nos senserimus.

TERTIUS ORANDI MODUS

per quamdam vocum et temporum commensurationem.

Additio ab utraque superiore nihil differt.

Oratio praeparatoria. Oratio praeparatoria fiet sicut in secundo modo.

Tertius orandi modus. Tertius hic orandi modus in eo consistit, ut inter singulas respirandi vices singula Dominicae alteriusve orationis verba transmittamus, expensa interim, vel significatione prolatae vocis, vel personae ad quam oratio spectat dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel utriusque postremo differentia. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendae quoque orationes supra memoratae, *Ave, Credo* etc.

Regulae duae huc spectantes.

Regula prior pro tertio modo orandi. Prior, ut, finita iuxta hunc orandi modum Precatione Dominica, sumatur aliis diebus vel horis Angelica Salutatio, simili respirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus usitato more recitandis.

Posterior. Posterior, ut, qui hunc orandi modum exercere cupit diutius, ad eum applicet precationes omnes supra dictas aut earum partes, et paria anhelituum ac votum interstitia observet.

VITAE D. N. IESU CHRISTI

MYSTERIA.

Notandum. Notandum est primitus omnia sequentium mysteriorum verba, quae includuntur parenthesi, ex ipsis Evangeliis deprompta esse, non item caetera. Ad haec, in unoquoque mysterio semper aut fere poni puncta tria, ut expeditior sit contemplatio, quo est distinctior.

De annuntiata B. Mariae Virgini Christi incarnatione, de qua Lucae 1.

Angelus, salutans Virginem, Verbi conceptionem nuntiat. Primo, quomodo Angelus Gabriel, beatam Virginem salutans, divini Verbi conceptionem ei nuntiavit. (*Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena,* etc. *Ecce concipies in utero, et paries filium* etc.)

Confirmat exemplo Ioannis Baptistae.

Secundo, confirmat Angelus id, quod praedixerat, adducto exemplo de S. Ioannis Baptistae conceptione admiranda. (*Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua* etc.)

MARIA respondet Angelo.

Tertio, respondit Angelo Virgo sancta: (*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*)

De MARIA Elisabeth, cognatam suam, visitante, ut habetur Luc. 1.

MARIA invisit Elisabeth.

Primo, quomodo invisit MARIA Elisabeth, ac S. Ioannes, in utero exsistens, sensit MARIAE salutationem, et gestiit. (*Ut audivit salutationem MARIAE Elisabeth, exsultavit infans in utero eius; et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*)

Virgo in canticum prorumpit.

Secundo, beata Virgo in hoc canticum prae laetitia prorupit: (*Magnificat anima mea Dominum* etc.)

Quamdiu apud Elisabeth mansit.

Tertio, (*Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.*)

De Christi nativitate, Luc. 2.

E Nazareth Bethlehem proficiscitur.

Primo, beata MARIA cum Ioseph, sponso suo, e Nazareth proficiscitur Bethlehem. (*Ascendit autem et Ioseph a Galilaea* etc., *in Bethlehem* etc., *ut profiteretur cum MARIA, desponsata sibi uxore, praegnante.*)

Filium parit.

Secundo, (*Peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio.*)

Angeli laetantur.

Tertio, eo tempore, (*Facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis, laudantium DEUM et dicentium: Gloria in altissimis DEO* etc.)

De pastoribus, Luc. 2.

Nuntiatur pastoribus.

Primo, pastoribus revelatur Christi nativitas per Angelum. (*Evangelizo vobis gaudium magnum* etc., *quia natus est vobis hodie Salvator* etc.)

Pastorum adoratio.

Secundo, pastores properant in Bethlehem. (*Et venerunt festinantes; et invenerunt MARIAM, et Ioseph, et infantem positum in praesepio.*)

Pastores DEUM glorificant.

Tertio, (*Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes DEUM* etc.)

De circumcisione, Luc. 2.

Circumciditur.

Primo, circumcisus est puer.

Vocatur IESUS.

Secundo, (*Vocatum est nomen eius IESUS, quod vocatum est ab Angelo, prius quam in utero conciperetur.*)

Redditur Puer Matri.

Tertio, redditus est Matri suae puer, quae illi compatiebatur de sanguinis visa effusione.

De tribus Magis regibus, Matth. 2.

Magorum adventus.

Primo, tres Magi reges ad puerum IESUM adorandum venerunt, stella duce, ita attestantes: (*Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.*)

Eorumdem adoratio.

Secundo, (*Procidentes adoraverunt eum, et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham.*)

Per aliam viam revertuntur.

Tertio, (*Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*)

De purificatione B. Virginis, et pueri IESU praesentatione, Luc. 2.

IESU pueri praesentatio.

Primo, detulerunt puerum in templum, ut praesentarent eum DEO, tamquam primogenitum, offerentes pro eo consuetum munus, (*Par turturum, aut duos pullos columbarum.*)

Simeonis prophetia.

Secundo, Simeon, veniens eadem hora in templum, (*Accepit eum in ulnas suas, et benedixit DEUM, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine* etc.)

Annae prophetia.

Tertio, Anna *(Superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.)*

De fuga in Aegyptum, Matth. 2.

Innocentium occisio.

Primo, volens Herodes puerulum IESUM interficere, occidi fecit innocentes, praemonito Ioseph per Angelum, ut in Aegyptum profugeret. *(Surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum.)*

Iesu fuga in Aegyptum.

Secundo, iter corripuit Ioseph Aegyptum versus. *(Qui consurgens nocte* etc. *secessit in Aegyptum.)*

Quamdiu ibi fuit.

Tertio, *(Et erat ibi usque ad obitum Herodis.)*

De reditu ab Aegypto. Matth. 2.

Ab Aegypto revertitur.

Primo, admonetur Ioseph ab Angelo, ut in terram Israel revertatur. *(Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel.)*

Eius iter.

Secundo, *(Qui consurgens* etc. *venit in terram Israel.)*

Archelai tempore.

Tertio, eo quod regnabat Archelaus, filius Herodis, in Iudaea, recessit in Nazareth.

De vita Domini ab anno aetatis suae duodecimo usque ad trigesimum, Luc. 2.

Christi obedientia.

Primo, quomodo subditus erat et obediens parentibus.

Eius profectus.

Secundo, *(Proficiebat sapientia, et aetate, et gratia* etc.*)*

Artem fabrilem exercuit.

Tertio, videtur fabrilem artem exercuisse, cum dicat S. Marcus c. 6. *(Nonne hic est faber?)*

De ascensu in templum anno duodecimo, Luc. 2.

Hierosolymam proficiscitur.

Primo, natus IESUS annos duodecim e Nazareth profectus est Hierosolymam.

Remansit inscii parentibus.

Secundo, remansit illic, nesciis parentibus.

Post triduum in templo repertus.

Tertio, post triduum invenerunt eum in templo sedentem inter doctores, et ipse illis, causam morae percontantibus, respondit: *(Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?)*

De baptismo eius, Matth. 3.

Ad Iordanem proficiscitur.

Primo, matri valedicens, e Nazareth ad Iordanis flumen se contulit, ubi tunc Ioannes baptizabat.

A Ioanne baptizatur.

Secundo, baptizatus est a Ioanne, excusante se primum de indignitate, sed compulso his verbis: *(Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.)*

Spiritus Sancti descensus.

Tertio, descendit Spiritus Sanctus super eum, et vox de coelo sic attestans: *(Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.)*

De tentatione Christi, Luc. 4, Matth. 4.

Secedit in desertum.

Primo, post baptismum secessit in desertum Christus, et ibi per dies quadraginta et totidem noctes ieiunavit.

Ter tentatur

Secundo, ter ab inimico tentatus est. *(Accedens tentator dixit ei: Si filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.)*

Angelorum ministerium.

Tertio, *(Angeli accesserunt, et ministrabant ei.)*

De Apostolorum vocatione.

Qui ter vocati ad apostolatum.

Primo, videntur SS. Petrus et Andreas fuisse ter vocati. Primum, ad solam quamdam Christi notitiam, Ioan. 1. Deinde, ad sequelam solum temporaneam cum animo revertendi ad piscationem, Luc. 5. Ultimo, ad perpetuam sequelam, Matth. 4 et Marc. 1.

Quinam postea. Secundo, vocavit filios Zebedaei, Matth. 4. Et Philippum, Ioan. 1. Et Matthaeum, Matth. 9.

Demum reliqui. Tertio, vocati sunt reliqui, licet de quorumdam vocatione et de ordine vocationum expresse mentio non fiat in Evangelio.

Tria expendenda hic. Tria hic expendenda sunt. Primum, quomodo erant Apostoli abiectae conditionis.

Secundo, ad quantam fuerint dignitatem et quam suaviter vocati.

Tertio, quibus gratiae donis, supra omnes veteris testamenti Patres novique Sanctos, evecti sint.

De primo Christi miraculo facto in nuptiis, Ioan. 2.

Invitatur ad nuptias. Primo, invitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias.

De vini defectu monetur a matre. Secundo, deficere vinum mater commonuit: *(Vinum non habent.)* Et ministris dixit: *(Quodcumque dixerit vobis, facite.)*

Vini miraculum. Tertio, aquam in vinum Dominus convertit. *(Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.)*

De fugatis e templo negotiatoribus prima vice, Ioan. 2.

Vendentes eiiciuntur. Primo, eiecit de templo vendentes illic et ementes, facto ex funiculis flagello.

Mensae evertuntur. Secundo, *(Nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit.)*

Columbae auferuntur. Tertio, vendentibus columbas mansuete inquit: *(Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.)*

De sermone Christi habito in monte, Matth. 5.

Sermo octo beatitudinum. Primo, ad dilectos suos discipulos, octo Christus beatitudinis genera exposuit. Beati pauperes spiritu; mites; qui lugent; qui esuriunt et sitiunt iustitiam: misericordes; mundo corde; pacifici; qui persecutionem patiuntur.

Sermo de talentorum usu. Secundo, eos exhortatur, ut acceptis donis seu talentis utantur recte. *(Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.)*

Sermo de praeceptis. Tertio, ostendit non solvere se legem, sed implere, explicatis praeceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, periurio. Et de diligendis quoque inimicis. *(Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Benefacite iis, qui oderunt vos.)*

De sedata maris tempestate, Matth. 8.

Oritur tempestas. Primo, dormiente Christo, coorta est in mari vehemens tempestas.

De fidei levitate arguuntur discipuli. Secundo, excitarunt a somno eum territi discipuli, quos de fidei levitate arguit: *(Quid timidi estis, modicae fidei?)*

Fit eius imperio maris tranquillitas. Tertio, ventis et mari praecepit ut conquiescerent, et facta est statim tranquillitas; unde obstupentes homines dicebant: *(Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?)*

De ambulatione super aquas, Matth. 14.

Orat in monte solus. Primo, cum in monte adhuc esset Christus, discipulis in naviculam abire iussis, et *(Dimissa turba, ascendit in montem solus orare.)*

Phantasma noctu putatur. Secundo, cum agitaretur noctu navicula, eo ipse venit ambulans super aquas, unde perterrefacti discipuli phantasma esse iudicabant.

Petrus mergi coepit. Tertio, postquam dixerat ad eos: *(Ego sum, nolite timere,)* S. Petrus accedendi petiit facultatem, et, gradiendo super aquas, ob subortum metum mergi coepit, quem increpans Domi-

nus de modica fide, naviculam intravit, et cessavit ventus.

De missis ad praedicandum Apostolis, Matth. 10.

Dat potestatem daemonia eiiciendi.

Primo, discipulis IESUS convocatis dedit potestatem eiiciendi daemonia ex hominibus, et omne morborum genus sanandi.

Prudentiam et patientiam docet.

Secundo, prudentiam eos docuit et patientiam. *(Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.)*

Profectionis modus.

Tertio, profectionis exponit modum. *(Gratis accepistis, gratis date; nolite possidere aurum neque argentum.)* Ad haec materiam praedicationis expressit: *(Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum.)*

De conversione Magdalenae, Luc. 7.

Magdalena accedit ad IESUM.

Primo, Christo accumbente mensae in pharisaei domo, ingressa est mulier, quae fuerat in civitate peccatrix, (sive * Maria Magdalena, soror Marthae, fuerit, sive alia) deferens alabastrinum vas unguento plenum.

Ungit et abstergit.

Secundo, stans retro coepit pedes eius rigare lacrimis, et capillis suis abstergere, deosculari et ungere.

Defenditur a Christo.

Tertio, criminatam eam a pharisaeo defendit Christus, et ad ipsum ait: *(Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et ad ipsam deinceps: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.)*

De quinque millium hominum refectione, Matth. 14.

Rogant IESUM ut dimittat turbas.

Primo, rogabant IESUM discipuli, ut dimitteret adstantes turbas.

Multiplicatio panis.

Secundo, ipse afferri iussit, quos habebant, panes, eosque praemissa benedictione frangens, discipulis porrexit, turbis hominum discumbere iussis apponendos.

Turbae saturatae.

Tertio, comederunt, et saturati sunt, et superaverunt cophini duodecim.

De trasfiguratione Christi, Matth. 17.

Transfiguratio IESU Christi.

Primo, assumptis IESUS charissimis tribus discipulis, Petro, Ioanne et Iacobo, *(Transfiguratus est ante eos; resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.)*

Coram Moyse et Helia.

Secundo, loquebatur cum Moyse et Helia.

Patris vox e coelo delapsa.

Tertio, rogante Petro ut fierent ibi tria tabernacula, insonuit vox de coelo: *(Hic est filius meus dilectus etc. ipsum audite.)* Unde consternati discipuli, proni collapsi sunt; quos tangendo Christus, dixit: *(Surgite et nolite timere* etc.; *nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.)*

De Lazari suscitatione, Ioan. 11.

Biduum exspectat.

Primo, audito Christus nuntio de Lazari aegrotatione, per biduum subsistit, ut evidentius foret miraculum.

Sororum fides.

Secundo, antequam suscitet mortuum, utriusque sororis fidem exstimulat: *(Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.)*

Lazari suscitatio.

Tertio, collacrimatus ac precatus prius, suscitavit illum; fuit autem, quo usus est, suscitandi modus per mandatum: *(Lazare, veni foras.)*

---

* *De conversione Magdalenae. In autographo non habentur verba illa:* Sive Maria Magdalena, soror Marthae, fuerit, sive alia.

De coena apud Bethaniam, Matth. 26.

Coena apud Simonem.

Primo, coenabat Christus in domo Simonis leprosi, et pariter Lazarus.

Unguenti effusio.

Secundo, effudit Maria unguentum super caput eius.

Iudae obmurmuratio.

Tertio, obmurmurat Iudas: *(Ut quid perditio haec?)* Denuo vero excusat Christus Magdalenam: *(Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.)*

De die palmarum, Matth. 21.

Asinae et pulli adductio.

Primo, praecepit Dominus adduci asinam et pullum: *(Solvite et adducite mihi, et, si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.)*

Asinam conscendit.

Secundo, asinam conscendit, Apostolorum vestibus instratam.

Populus occurrit venienti.

Tertio, excepturus eum populus cum veniret obviam, vestimentis suis et ramis arborum sternebat viam et canebat: *(Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini; Hosanna in altissimis.)*

De praedicatione in templo, Luc. 19.

Docet in templo.

Primo, docebat quotidie in templo.

Redit in Bethaniam.

Secundo, finita praedicatione, in Bethaniam redibat, nemine apud Hierosolymam ipsum excipiente.

De coena ultima, Matth. 26 et Ioan. 13.

Agnus paschalis.

Primo, comedit cum discipulis paschalem agnum, eosque de imminente sua morte praemonuit. *(Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.)*

Pedum lotio.

Secundo, lavit eorum, Iudae quoque ipsius, pedes, incipiens a Petro, qui, ad maiestatem Christi et indignitatem suam respiciens, sese opponebat: *(Domine, tu mihi lavas pedes?)* ignarus scilicet praeberi a Domino exemplum humilitatis, ita postea declarante: *(Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.)*

Eucharistiae institutio.

Tertio Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instituit in signum summae dilectionis, his verbis utens: *(Accipite et comedite)* etc. Expleta autem coena, Iudas ad vendendum illum egressus est.

De Mysteriis post coenam et in horto gestis, Matth. 26 et Marc. 14.

Ad Oliveti montem pergit cum suis.

Primo, peracta coena et hymno dicto, profectus est Christus ad Oliveti montem cum discipulis suis undecim, metu plenis; et octo remanere iussit Gethsemani: *(Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.)*

Ter orat.

Secundo, ductis secum tribus, Petro, Iacobo et Ioanne, oravit ter dicens: *(Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.)* Et in agonia exsistens prolixius orabat.

Sanguinem sudat.

Tertio, cum eo timoris redigi se passus fuisset, ut diceret: *(Tristis est anima mea usque ad mortem;)* etiam sanguinem sudavit copiosum, teste Luca: *(Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.)* Cap. 22.
Unde coniicere licet vestimenta eius iam tum fuisse madefacta cruore.

De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum, Matth. 26, Luc. 22, Marc. 14 et Ioan. 18.

Osculum Iudae.

Primo permisit se Dominus osculo a Iuda tradi, et quasi latronem comprehendi: *(Tamquam ad latronem existis cum gladiis ac fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.)* Ipsoque interrogante: *(Quem quaeri-*

tis?) corruerunt in terram inimici omnes.

Servi auriculae abscissio.

Secundo, servum Pontificis percutienti Petro, ait: *(Mitte gladium tuum in vaginam;)* et sanavit servum.

Christus capitur et trahitur ad Annam et deseritur.

Tertio, captus et a discipulis relictus, ad Annae domum pertrahitur, ubi a Petro, paulo post secuto, semel negatus est, et alapam accepit a ministro quodam, obiiciente: *(Sic respondes Pontifici?)*

De gestis postea in domo Caiphae, Matth. 26.

Ab Anna ad Caipham ductus, a Petro negatur.

Primo, abducitur ligatus Christus ab Anna in domum Caiphae, ubi Petrus rursum eum bis negavit, atque respiciente ipsum Domino, *(Egressus foras flevit amare.)*

Nocte manet ligatus.

Secundo, permansit ligatus tota illa nocte.

Illuditur et vexatur a satellitibus.

Tertio, circumstantes eum satellites illudebant, vexabant et, velata facie, colaphis caedebant, interrogantes: *(Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?)* ac modis aliis blasphemabant.

De Christi apud Pilatum accusatione, Matth. 27, Luc. 23, Marc. 15 et Ioan. 18.

Coram Pilato accusatur.

Primo, traducitur deinceps ad Pilatum Christus, et coram eo a Iudaeis calumniose accusatur: *(Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari).*

Pilatus causam non invenit.

Secundo, eo semel atque iterum examinato, retulit Pilatus: *(Ego nullam invenio in eo causam.)*

Christus Barabbae postponitur.

Tertio, Barabbae latronis, quam Christi IESU liberationem, malle se Iudaei proclamarunt: *(Non hunc, sed Barabbam.)*

De transmisso Christo ad Herodem, Luc. 23.

Ad Herodem mittitur.

Primo, transmisit Pilatus Christum ad Herodem, aestimans quod esset galilaeus.

Herodi non respondit.

Secundo, Herodi poscenti curiosa nihil penitus respondit, licet a Iudaeis valde accusaretur.

Alba veste spernitur.

Tertio, ab Herode cum suo exercitu spretus fuit, atque veste alba indutus.

De reversione ab Herode ad Pilatum, Matth. 27, Luc. 23, Marc. 15 et Ioan. 19.

Remittitur ad Pilatum.

Primo, Christum remisit ad Pilatum Herodes, et ambo ea ipsa die, cum prius inimici essent, invicem reconciliati sunt.

Flagellatur, coronatur, et purpura illuditur.

Secundo, IESUM flagellis caedi iussit Pilatus; milites eumdem spinis coronarunt, atque purpura induerunt, deinde irridentes dicebant: *(Ave, rex Iudaeorum.)* Et colaphos simul impingebant.

Pontifices conclamant: crucifige.

Tertio, *(Exivit ergo IESUS portans coronam spineam et purpureum vestimentum;)* et Pilatus dicit illis: *(Ecce homo.)* Pontifices vero conclamabant: *(Crucifige, crucifige eum.)*

De condemnatione et crucifixione IESU Christi, Ioan. 19.

Morte damnatur.

Primo, sedens pro tribunali Pilatus Christum iudicavit, et tradidit crucifigendum, posteaquam, negantes eum Iudaei suum regem esse, dixerunt: *(Non habemus regem, nisi Caesarem.)*

Crucem baiulat.

Secundo, baiulavit Christus crucem suam, donec ob virium defectum Simon quidam cyrenaeus illam post eum ferre compulsus est.

Inter latrones crucifigitur.

Tertio, inter duos latrones cruci-

fixus fuit, adscripto titulo: *(Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.)*

De mysteriis in cruce factis, Matth. 27, Luc. 23 et Ioan. 19.

In cruce blasphematur. Primo, blasphemias pertulit in cruce. *(Vah! qui destruis templum Dei)* etc. *(Descende de cruce.)* Et divisa sunt vestimenta eius.

Septem Christi verba. Secundo, effatus est Dominus in cruce verba septem: orans videlicet pro crucifigentibus; latroni parcens; Matrem et Ioannem sibi mutuo commendans; exclamans: *(Sitio,)* quando aceto eum potaverunt; et deinde se a Patre dicens derelictum; postea: *(Consummatum est.)* Ac postremo: *(Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.)*

Natura Christo morienti compatitur. Tertio, sol obscuratus est, ipso exspirante, et petrae scissae sunt; aperta quoque monumenta, et velum templi a summo ad infimam usque partem scissum; et latus, lancea confossum, aquam et sanguinem effudit.

De mysterio sepulturae, ibid.

De cruce deponitur. Primo, de cruce sublatus est mortuus Dominus per Ioseph atque Nicodemum in conspectu ipso Matris afflictissimae.

Ungitur, includitur. Secundo, delatum est ad sepulcrum corpus unctum et inclusum.

Custodes adhibentur. Tertio, adhibiti sunt inibi custodes.

De Christi resurrectione, et apparitione prima.

Matri apparet. Primum, apparuit Dominus Matri suae, postquam resurrexit; cum dicat Scriptura quod apparuit multis. Licet enim nominatim illam non exprimat, id nobis tamen relinquit pro certo, tamquam intellectum habentibus; ne alioqui iure audiamus illud: *(Adhuc et vos sine intellectu estis?)*

De secunda apparitione, Marc. 16.

Mulieres ad monumentum. Primo, summo mane ad monumentum profectae sunt Maria Magdalene, Iacobi, et Salome, inter se dicentes: *(Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?)*

Angeli responsum. Secundo, viderunt lapidem revolutum, et Angeli dictum audierunt: *(Iesum quaeritis nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic.)*

Magdalenae apparuit. Tertio, apparuit Mariae Magdalenae, quae, aliis digressis, iuxta sepulcrum restiterat.

De apparitione tertia, Matth. ultimo.

Mulierum reditus a monumento. Primo, redibant a monumento mulieres cum timore simul et gaudio ingenti, ut narrarent discipulis quidquid de Domini resurrectione intellexerant.

Eis apparet. Secundo, apparens eis in via Christus ait: *(Avete.)* Et illae accedentes, ac prostratae ad pedes eius, ipsum adorarunt.

Eas affatur. Tertio affatus est illas Dominus: *(Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam; ibi me videbunt.)*

De apparitione quarta, Luc. ultimo.

Petrus currit ad monumentum. Primo, audita Petrus ex mulieribus Christi resurrectione, cucurrit ad monumentum.

Videt linteamina. Secundo, introgressus, sola vidit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

Petro apparet Christus. Tertio, cogitanti super his Petro Christus se ostendit: unde dicebant Apostoli: *(Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.)*

De apparitione quinta, ibid.

Euntibus in Emmaus apparet. Primo, duobus discipulis deinceps apparuit cum irent in Emmaus, et de ipso colloquerentur.

Incredulitatem redarguit.

Secundo, redarguit eorum incredulitatem, et mysteria passionis atque resurrectionis ipsis exposuit: *(O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae. Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?)*

Rogatus cum eis mansit.

Tertio, rogatus, cum eis mansit; fractoque ipsis pane, disparuit: qui, subito in Hierusalem reversi, nuntiaverunt Apostolis quomodo vidissent eum et in fractione panis agnovissent.

De apparitione sexta, Ioan. 20.

Discipuli congregati.

Primo, discipuli omnes, praeter Thomam, domi congregati erant propter Iudaeorum metum.

Ianuis clausis ingreditur.

Secundo, ingressus ianuis clausis Christus, *(Stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis.)*

Dat eis Spiritum Sanctum.

Tertio, Spiritum Sanctum eis dedit, et ait: *(Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis)* etc.

De apparitione septima, ibid.

Thomae incredulitas.

Primo, S. Thomas, cum apparitioni praedictae non interfuisset, protestatus erat: *(Nisi videro* etc. *non credam.)*

Apparet eidem Christus.

Secundo, post dies octo iterum clausis ianuis obtulit se videndum Christus, et Thomae dixit: *(Infer digitum tuum huc, et vide* etc. *et noli esse incredulus, sed fidelis.)*

Thomae exclamatio.

Tertio exclamavit Thomas: *(Dominus meus et DEUS meus;)* cui subintulit Christus: *(Beati qui non viderunt, et crediderunt.)*

De apparitione octava, Ioan. ultimo.

Septem discipulis apparet.

Primo, palam se denuo fecit Christus piscantibus septem discipulis, qui, cum tota nocte nil cepissent, iactum ad mandatum eius rete, *(Iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.)*

Christus a discipulis agnoscitur.

Secundo, per id miraculum agnoscens eum Ioannes, ait Petro: *(Dominus est;)* qui, confestim desiliens in mare, ad Christum accessit.

Suas oves commendat.

Tertio, dedit eis ut comederent panem et piscem. Postea Petro, an se diligeret, ter interrogato, suum ovile commendavit: *(Pasce oves meas.)*

De apparitione nona, Matth. ultimo.

Ad Thabor montem abeunt.

Primo, ex Domini mandato abeunt discipuli ad montem Thabor.

Eis apparet.

Secundo, iis apparens ille inquit: *(Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.)*

Mittit ad praedicandum.

Tertio, mittens eos ad praedicandum per universum orbem, sic mandavit: *(Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.)*

De apparitione decima, 1 Cor. 15.

Apparet plusquam 500.

(Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul.)

De apparitione undecima, Ibidem.

Apparuit deinde Iacobo.

De apparitione duodecima.

Apparuisse Iosepho ab Arimathaea legitur.

Apparuisse Christum etiam Iosepho ab Arimathaea legitur in hagiographis quibusdam; et verisimile est, atque meditatu pium.

De apparitione decima tertia, 1 Cor. 15.

Apparuit et Paulo.

Apparuit et beato Paulo post ascensionem. *(Novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est et mihi)* inquit ipse. Apparuit etiam Patribus in limbo, quoad animam, et postquam inde educti sunt.

Passim discipulis apparebat.

Denique, resumpto corpore, apparebat passim discipulis, et cum eis crebro versabatur.

De ascensione Christi, Act. 1.

Post dies quadraginta eos mittit Hierosolymam.

Primo, postquam iam per dies quadraginta multoties se Christus discipulis suis vivum exhibuisset, *(In multis argumentis* etc. *loquens eis de regno* DEI *;)* misit eos Hierosolymam, ut promissum sibi Spiritum Sanctum illic exspectarent.

Educit ad montem Oliveti.

Secundo, eduxit eos ad Oliveti montem. *(Et videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.)*

Eisdem suspicientibus in coelum Angeli apparent.

Tertio, iisdem in coelum suspicientibus, dictum est per duos illos viros in vestibus albis assistentes, quos Angelos fuisse credimus: *(Viri galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic* IESUS, *qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.)*

REGULAE ALIQUOT,

AD MOTUS ANIMAE, QUOS DIVERSI EXCITANT SPIRITUS, DISCERNENDOS, UT BONI SOLUM ADMITTANTUR, ET PELLANTUR MALI.

Conveniunt praecipuae 1. hebdomadae.

Advertendum est quod potissimum conveniunt exercitiis primae hebdomadae.

De his, qui facile peccant mortaliter.

PRIMA REGULA est, quod illis, qui facile peccant lethaliter et peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis et sensuum delectationes obiicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus vero bonus e contrario conscientiam illorum pungit assidue, et per synderesis rationisque officium a peccando deterret.

De his, qui se peccatis abstinent.

SECUNDA, quod aliis hominibus, qui se a vitiis et peccatis purgandos curant sollicite, et in obsequii divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas et alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono ex opposito proprium consuetumque est recte agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lacrimas ciere, illustrare mentem, et tranquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius alacriusque per opera bona semper ultra tendant.

Spiritualis consolatio quando dignoscitur.

TERTIA, quod spiritualis proprie consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec iam creaturam ullam, nisi propter ipsum, potest diligere. Quando etiam lacrimae funduntur amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione passionis Christi, sive alia ex causa qualibet in DEI cultum et honorem recte ordinata. Postremo, consolatio quoque dici potest fidei, spei et charitatis quodlibet augmentum. Item laetitia omnis, quae animam ad coelestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam solet incitare.

Quando spiritualis desolatio.

QUARTA, quod spiritualis e contra desolatio vocari debet quaevis animae obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas seu terrenas; omnis denique inquietudo et agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute, et spem charitatemque expellens. Unde se anima tristari, tepescere ac torpere sentit, et de ipsius DEI Creatoris sui clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam, quae ab utraque oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositae.

Tempore desolationis nihil deliberandum.

QUINTA, quod tempore desolationis nihil deliberandum aut innovandum est circa propositum animi aut vitae

statum, sed in eis perseverandum, quae fuerant prius constituta, puta praecedente die vel hora consolationis. * Quemadmodum enim, dum fruitur quis consolatione illa, quam diximus, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur; ita, obversante sibi desolatione, agitur a malo spiritu, cuius instigatione nihil umquam recte conficitur.

Remedia contra desolationem.

SEXTA, quod, tametsi desolatione affectus homo priora sua consilia minime debet immutare; expediet tamen provideri et augeri ea, quae contra desolationis impulsum tendunt, qualia sunt: insistere orationi et meditationi cum discussione sui, ac poenitentiae aliquid assumere.

Quid cogitandum tempore desolationis.

SEPTIMA, quod, quamdiu premimur desolatione, cogitandum est nos interim relinqui a Domino nobis ipsis, probationis causa, ut per naturales quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus. Id quod possumus haud dubie, ** assistente nobis iugiter praesidio divino, quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur, eo quod fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, quae ad bene operandum et ad consequendam salutem satis esse queat.

Iuvat maxime patientia.

OCTAVA, quod hominem tentatione pulsatum mire iuvat patientiae servandae studium, ut quae vexationibus huiusmodi proprie opponitur et e diametro resistit. Accersenda etiam spes est et cogitatio adfuturae brevi consolationis; si praesertim per sanctos conatus, in sexta regula signatos, desolationis impetus frangatur.

Tres desolationis causae.

NONA, quod causae desolationis tres sunt praecipuae. Prima, quia propter nostram in spiritualibus studiis seu exercitiis tepiditatem atque acediam consolatione divina merito privamur. Secunda, ut probemur quinam sumus, et quomodo in DEI servitium et honorem absque praesente quodam consolationum donorumque spiritualium stipendio nosmet impendimus. Tertia, ut certi plane simus nostrarum virium non esse vel acquirere vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrimarum, aut aliam quamlibet internam consolationem; sed omnia haec gratuita esse DEI dona, quae si vendicemus nobis ut propria, superbiae et vanae gloriae crimen non sine salutis gravi periculo incursuri sumus.

Tempore consolationis quid prospiciendum.

DECIMA, quod fruenti homini consolatione prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit desolatione deinceps occurrente; ut iam inde acrimoniam et robur animi mature comparet ad impetum eius reprimendum.

Consolatione affluente se deprimat.

UNDECIMA, ut ille idem affluente consolatione seipsum deprimat ac vilifaciat quantum potest, reputando secum quam imbellis quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugnante, nisi per gratiae et consolationis divinae opem cito subleve-tur. Contra vero ille, quem desolatio molestat, aestimare debet cum DEI gratia se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes devicturum

In desolatione spem excitet.

---

* *In quinta regula de discretione spirituum, verba illa:* Quemadmodum enim dum fruitur quis *usque ad finem, ita commodius verti possunt ex autographo:* Quemadmodum enim in consolatione bonus spiritus nos magis regit ac dirigit, ita in desolatione malus, cuius instigatione et consiliis nihil rectum decernere possumus.

** *In septima regula de discretione spirituum, circa medium:* Assistente nobis iugiter praesidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur. *In autographo sic habetur:* Assistente nobis praesidio divino, quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur.

esse, dummodo in DEI virtute collocet spem suam, et animum suum corroboret.

Quomodo cum hoste nostro confligendum.

Exemplum mulieris rixantis.

DUODECIMA, quod hostis noster naturam et morem muliebrem refert quoad imbecillitatem virium et animi pervicaciam. Nam, sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit erecto et constanti vultu sibi obsistere, abiicit illico animum, ac terga vertit; sin vero timidum fugacemque esse animadverterit, in extremam surgit audaciam et in illum ferociter invadit. Itidem consuevit daemon animo et robore plane destitui, quoties spiritualem athletam corde imperterrito ac fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet ad primos impetus sustinendos et quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior et pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra malignae obstinataeque mentis suae desiderium adimpleat.

Exemplum nequam amatoris.

DECIMA TERTIA, quod idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicuius probi volens seducere, summopere procurat ut verba et consilia sua occulta sint, nilque reformidat magis ac aegre fert, quam si puella patri suo, vel uxor marito illa patefaciat, cum sciat hoc pacto de votis et conatibus suis actum esse. Ad eumdem modum obnixe satagit diabolus ut anima, quam circumvenire cupit ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur vero maxime et gravissime cruciatur, si cui vel confessionem audienti vel spirituali homini molimina sua detegantur, a quibus ita excidere se funditus intelligit.

Exemplum belli ducis.

DECIMA QUARTA, quod solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui, obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, explorata prius natura et munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum et ille circuit animam, et callide inquirit quarumnam virtutum praesidiis, moralium scilicet aut theologicarum, ipsa vel munita vel destituta sit; eaque potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus caeteris firmatam custoditamque esse praeviderit.

REGULAE ALIAE,

UTILES AD PLENIOREM SPIRITUUM DISCRETIONEM, ET SECUNDAE HEBDOMADAE POTISSIMUM CONVENIENTES.

Vera spiritualis laetitia a quo.

PRIMA est, quod proprium est DEI et Angeli cuiusque boni veram infundere spiritualem laetitiam animae, quam movent, sublata tristitia et perturbatione omni, quam ingessit daemon; cum hic e contrario sophisticis argumentis quibusdam, veri speciem prae se ferentibus, laetitiam illam in anima repertam oppugnare soleat.

Animae consolatio, nulla praecedente causa, solius DEI est propria.

SECUNDA: solius est DEI consolari animam, nulla praecedente consolationis causa, cum sit hoc proprium Creatoris suam ingredi creaturam, et illam in amorem sui totam convertere, trahere et mutare. Causam vero praecedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostrae quidquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.

Quando praecessit consolationis causa, quis auctor.

TERTIA: quoties praecessit consolationis causa, auctor eius potest exsistere tam malus Angelus, quam bonus, sed ad fines tendunt contrarios: bo-

nus quidem, ut anima in boni cognitione et operatione magis proficiat; malus autem, ut male agat illa et pereat.

Mos daemonis qualis.

Quarta: id moris est spiritui maligno, ut, in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis piis animae votis primum obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas sanctasque hominis cogitationes sequi et fovere; at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

Sedulo cogitationes excutiendae.

Quinta: sedulo et accurate excutiendae sunt cogitationes nostrae circa principium, medium et finem suum; quae tria si recte se habeant, Angeli boni argumentum est cogitationes illas suggerentis; sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quaerendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublata, quae prius aderat, quiete, pace et tranquillitate, evidens tunc erit indicium auctorem esse cogitationis eiusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostrae semper adversantem.

Quando deprehenditur hostis, quid faciendum.

Sexta: quoties contingit in aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina, id est, fine malo, quem semper nobis insinuare studet; tunc plurimum iuvat revolvere discursum totum, et notare quid ab initio praetexuerit bonae cogitationis, et quomodo praecedentem spiritualis gustus suavitatem animi serenitatem sensim amovere, ac venenum suum infundere tentarit, ut per huiusmodi experimentum cognitae illius fraudes facilius deinceps caveantur.

Diversitas utriusque spiritus.

Septima: eorum, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque spiritus diverso modo: bonus quidem leniter, placide ac suaviter, sicut aquae stilla in spongiam illabens; malus vero duriter, implacide et violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram; illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppositum prorsus usuvenit. Cuius sane diversitatis ratio est, quatenus Angelo utrilibet similis est vel dissimilis animae ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu et pulsu, qui facile adverti queat, ei se coniungit. Si conformem vero, tamquam in propriam et apertam domum subit cum quiete.

Quando est consolatio sine praevia causa, quid faciendum.

Octava: quoties sine praevia ulla causa consolatio nobis adest, quamvis ei, tamquam divinitus immissae, ut supra dictum est, nihil fallaciae subesse possit; debemus tamen attente ac sollicite distinguere praesens consolationis tempus a proximo sequente, in quo anima fervet adhuc, et favoris divini nuper accepti sentit reliquias. Nam posteriore hoc tempore frequenter accidit, ut vel ex habitu, discursu et iudicio proprio, vel ex boni aut mali spiritus instinctu aliqua sentiamus vel deliberemus, quae, cum ab ipso Deo citra medium non emanent, solerti indigent discussione, priusquam recipiant assensum vel in opus veniant.

REGULAE NONNULLAE

IN DISTRIBUENDIS ELEEMOSYNIS SERVANDAE.

Quando erogatur in coniunctos, quae servanda.

Prima: si quid erogare libeat in homines genere vel amicitia coniunctos, erga quos sentitur proclivior affectus, attendendae erunt regulae

quatuor, quas ex parte circa electiones commemoravimus. Earum itaque prima haec est, ut affectus erga tales meus recta proveniat ex amore DEI, quem certe amorem debeo sentire in me, ut radicem esse et causam cuiuscumque meae affectionis erga cognatos et amicos omnes, ac operam dare ut in hoc praesenti negotio praecipua ea ratio elucescat.

Quid, si quis alter me consuleret, faciendum.

SECUNDA: * ut considerem, si quis alter, cui parem mecum statum seu perfectionis gradum optem, me consulat super negotio istiusmodi, quam ego illi erogationis faciendae dictaturus sim rationem. Hac igitur et me uti par est.

Quid, si vitae exitus instaret.

TERTIA: ut cogitem, si mihi vitae nunc exitus instaret, quid in hac re egisse vellem potissimum. Ita ergo agendum in praesentia decernam.

Quid mallem in die iudicii.

QUARTA: ut prospiciam similiter, quid mallem in die iudicii a me fuisse super his transactum. Id quod et nunc citra dubium praeeligam.

Quid, quando ad coniunctos inclinatur.

QUINTA: ut, quoties ad personas mihi humano vinculo coniunctas affectum meum sentio magis inclinare, regulas quatuor praedictas sedulo expendam, et iuxta eas examinem affectum; nihil de eleemosyna seu distributione facienda cogitans, donec ab animo, si quid non rectum inest, removero.

Quid servandum pro rebus ecclesiasticis.

SEXTA: quamvis facultates, divino cultui et usui ecclesiastico dicatae, citra culpam assumi possint distribuendae ab eo, qui ad hoc ministerium sit vocatus; cum tamen plurimis in determinanda propriis suis sumptibus iusta portione soleat de excessu scrupulus incidere, operae pretium est iuxta regulas superiores vitae suae statum recte disponere.

Optima ratio distribuendi.

SEPTIMA: propter rationes dictas et alias plerasque, in administrandis iis, quae ad propriam personam, conditionem, domum aut familiam pertinent, optimum ac securissimum est unicuique, distributionis curam subeunti, ut suae subtrahat commoditati quantum potest, ac seipsum proxime conformet ad exemplar Domini nostri IESU Christi, summi Pontificis; quandoquidem in tertio etiam carthaginensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus, decretum fuit supellectilem Episcopi vilem ac pauperem debere esse. Hoc idem in quolibet statu seu vitae genere provideri convenit, habita interim ratione personarum, et statuum ipsorum: sicut in matrimonio exemplum praebent S. Ioachimus et S. Anna, qui, divisis per annos singulos facultatibus suis in tres partes, pauperibus unam erogabant, alteram dicabant in templi et divini cultus ministerium, et tertiam postremo necessitati suae reservabant.

QUAEDAM NOTATU DIGNA DE SCRUPULIS,

QUOS ANIMAE DAEMON INIICIT, DIGNOSCENDIS.

Scrupulus improprie.

PRIMUM: vulgo scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrii motu et iudicio aliquid concludimus peccatum esse, cum peccatum non sit; veluti si quis, animadvertens se crucem ex paleis humi figuratam in

* *In secunda regula pro distribuendis eleemosynis.* Secunda: ut considerem, etc. *usque ad finem: Haec regula in Autographo sic habetur:* Secunda: ut considerem, si quis alter esset mihi plane ignotus, cui tamen pro hoc ministerio et ipsius statu omnem perfectionis gradum exoptem, quam ego illum in hac distributione rationem sequi vellem ad maiorem DEI gloriam et animae suae perfectionem, hac ipsa eadem mihi utendum esse.

transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus proprie, sed iudicium potius erroneum vocari debet.

Scrupulus proprie qualis.

SECUNDUM: scrupulus proprie dicendus est, quoties, post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam aut operationem aliquam oboritur nobis extrinsecus peccati admissi suspicio. Et quamvis altera ex parte veniat in mentem nos minime peccasse; ambiguitatem tamen quamdam atque animi perturbationem sentimus, a daemone videlicet obtrusam.

Prior species scrupuli, improprie dicti, fugienda.

TERTIUM: prior scrupuli species, improprie sic dicti, prorsus abhorrenda est, ut erroris plena. Posterior vero per tempus aliquod (dum praesertim recens est vitae melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem non parum iuvat, cum eam mirum in modum purget atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud divi Gregorii: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

Daemonis calliditas in conscientia observanda.

QUARTUM: callide observare solet inimicus qualisnam sit animae cuiusvis conscientia, crassiorne an delicatior. Et, si quam invenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, et in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut sic misere turbatam a profectu spirituali tandem deiiciat.

Puta, si animam noverit, quae peccato nulli consentiat mortali sive veniali, immo ne umbram quidem (ut sic dicamus) voluntarii peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obiicere, eo satagit adducere, ut peccatum ibi esse credat, quod revera non est: cuiusmodi est, de verbo aliquo vel cogitatiuncula repentina. Crassam e diverso animam seu conscientiam reddere crassiorem studet, ut, quae negligebat prius venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minus respiciat.

Ut nitendum contra scrupulos.

QUINTUM: ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem, aut relaxet contra, si daemon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremae utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto et securo statu iugiter manere.

Cum vana gloria pulsatur.

SEXTA: quotiescumque homini, dicere aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiae usu vel maiorum nostrorum sensu non dissonat, quodque tendit in DEI gloriam, obviat extrinsecus suggestio dissuadens ne dicat aut agat illud propositum, adducta vel vanae gloriae vel mali alterius cuiusvis fucata quadam ratione, tunc ad DEUM elevanda mens est; sique appareat ad eius gloriam spectare dictum aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum recta erit adversus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum divo Bernardo: *Nec propter te coepi, nec propter te finiam.*

REGULAE ALIQUOT SERVANDAE

UT CUM ORTHODOXA ECCLESIA VERE SENTIAMUS.

Animi promptitudo.

PRIMA: sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus ad obediendum verae Christi sponsae, ac sanctae ma-

tri nostrae, quae est orthodoxa, catholica et hierarchica Ecclesia.

Laus frequentiae sacramentorum.

Secunda: laudare convenit solitam fieri Sacerdoti confessionem peccatorum, et Eucharistiae sacrae sumptionem annuam, ut minimum, cum sit laudabilius octavo quoque die, aut semel saltem in mense quolibet, servatis interim conditionibus debitis, sacramentum ipsum suscipere.

Commendatio sacrorum, et cantus ecclesiastici.

Tertia: commendare Christi fidelibus ut frequenter ac devote Missae sacrum seu sacrificium audiant. Item cantus ecclesiasticos, psalmos, et prolixas preces in templis vel extra templa recitandas; tempora etiam probare determinata officiis divinis et precationibus quibuscumque, ut sunt quas vocamus horas canonicas.

Commendatio religiosi status.

Quarta: laudare plurimum Religionum status, atque caelibatum seu virginitatem matrimonio praeferre.

Commendatio votorum, et perfectionis religiosae.

Quinta: comprobare vota Religiosorum de servanda castitate, paupertate, obedientiaque perpetua, cum aliis perfectionis et supererogationis operibus. Ubi obiter notandum est, quod, cum voti ratio ad ea pertineat, quae ad perfectionem ducunt vitae christianae, de aliis, quae ab ipsa perfectione potius avertunt, ut de negotiatione vel matrimonio, votum numquam emittendum sit.

Commendatio reliquiarum, stationum etc.

Sexta: laudare praeterea reliquias, venerationem et invocationem Sanctorum. Item stationes, peregrinationesque pias, indulgentias, iubilaea, candelas in templis accendi solitas, et reliqua huiusmodi pietatis ac devotionis nostrae adminicula.

Commendatio ieiuniorum, et poenitentiarum.

Septima: extollere abstinentiae ac ieiuniorum usum, ut quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, sextae feriae, sabbati, aliorumque pro devotione susceptorum. Item spontaneas afflictiones sui, quas poenitentias dicimus, non internas solum, sed etiam externas.

Commendatio templorum et imaginum.

Octava: laudare insuper templorum exstructiones atque ornamenta, nec non imagines, tamquam propter id, quod repraesentant, iure optimo venerandas.

Commendatio praeceptorum ecclesiasticorum.

Nona: confirmare maxime omnia Ecclesiae praecepta; nec impugnare ullo modo, sed contra impugnantes quaesitis undique rationibus prompte defendere.

Approbatio Patrum decretorum, etc.

Decima: Patrum etiam seu Superiorum decreta, mandata, traditiones, ritus et mores studiose probare. Licet autem non reperiatur ubique ea, quae deberet esse, morum integritas; si quis tamen vel in publica concione vel in populari commercio ipsis obloquitur, generat potius damna et scandala, quam aliquid afferat remedii aut utilitatis; cum nihil aliud sequatur, nisi exasperatio et obtrectatio populi adversus Principes ac Pastores suos. Temperandum est igitur ab isto invectivarum genere. Verumtamen, sicut damnosum est Primates ipsos absentes apud populum allatrare atque proscindere; ita rursus privatim admonere eos, qui, si velint, mederi huic malo possunt, operae pretium videtur fore.

Doctrinae sacrae, tum positivae tum scholasticae, commendatio.

Undecima: doctrinam sacram plurimi facere, tum eam, quae positiva dici solet, tum quae scholastica. Sicut enim sanctis Doctoribus antiquis, Hieronymo, Augustino, Gregorio et consimilibus scopus fuit ad amorem et cultum Dei amplectendum animos movere; ita peculiare est B. Thomae, Bonaventurae, Magistro sententiarum, et aliis recentioribus theologis dogmata ad salutem necessaria exactius tradere atque definire, prout convenit

suis temporibus et posteris ad errores haeresum confutandos. Siquidem Doctores huiusmodi, ut sunt tempore posteriores, non solum Scripturae Sacrae intelligentia praediti sunt, et veterum auctorum iuvantur scriptis; sed etiam, cum influxu divini luminis, Conciliorum sanctionibus, decretis, et variis Ecclesiae sanctae constitutionibus ad salutis nostrae subsidium feliciter utuntur.

Vitanda cum Sanctis comparatio.

DUODECIMA: culpabilis est ac vitanda hominum, qui adhuc in terris vivunt, (quantumvis laudabilium) comparatio cum Sanctis et Beatis, dicendo: iste est doctior S. Augustino; ille est alter S. Franciscus; aequalis est Paulo sanctitate, aut aliqua virtute non est inferior etc.

Ecclesiae definitioni prompta submissio.

DECIMA TERTIA: denique, ut ipsi Ecclesiae catholicae omnino unanimes conformesque simus, si quid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definierit, debemus itidem quod nigrum sit pronuntiare. Indubitate namque credendum est eumdem esse Domini nostri IESU Christi et Ecclesiae orthodoxae, sponsae eius, spiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad salutem; neque alium esse DEUM, qui olim tradidit decalogi praecepta, et qui nunc temporis Ecclesiam hierarchicam instruit atque regit.

Ut de praedestinatione loquendum.

DECIMA QUARTA: advertendum quoque est, quamquam verissimum sit nemini contingere salutem nisi praedestinato; circumspecte tamen super hoc loquendum esse, ne forte, gratiam seu praedestinationem DEI nimis extendentes, liberi arbitrii vires et operum bonorum merita excludere velle videamur; vel e converso, ne, plus aequo hisce tribuentes, illis interim derogemus.

Vitandus de praedestinatione sermo frequens.

DECIMA QUINTA: similem ob causam frequens de praedestinatione sermo habendus non est; sique incidat nonnumquam, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occasio erroris, ac dicendi: Si de salute mea vel damnatione iam definitum est, sive male sive bene agam, aliter evenire non potest; unde solent multi opera bona negligere et alia subsidia salutis.

Caute de fide dicendum.

DECIMA SEXTA: accidit etiam non raro, ut ex immodica fidei praedicatione et laude, adiecta distinctione aut explicatione nulla, ansam arripiat populus torpescendi circa bona quaelibet opera, quae fidem praeeunt aut sequuntur, charitatis nexu efformatam.

Ut de gratia loquendum.

DECIMA SEPTIMA: neque itidem praedicandae et inculcandae gratiae DEI usque adeo insistendum fuerit, ut serpere inde possit auditorum animis lethalis error, negata liberi arbitrii nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est, DEO aspirante, sed quatenus in gloriam eius uberiorem redundat, idque iuxta modum convenientem, nostris praesertim temporibus tam periculosis; ne et liberi arbitrii usus et operum bonorum efficacia tollatur.

Timores laudabiles.

DECIMA OCTAVA: quamvis summe laudabile sit atque utile ex dilectione pura inservire DEO; nihilominus tamen valde commendandus est Maiestatis divinae timor. Neque porro is timor solum, quem filialem appellamus, qui pius est ac sanctus maxime; verum etiam alter, servilis dictus, quippe qui homini utilis est admodum, et saepenumero necessarius ut a mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere prompte studeamus; a quo dum erimus immunes atque alieni,

facilius patebit ascensus ad timorem illum filialem, Deo penitus acceptum, qui nobis cum ipso Deo unionem amoris praestat et conservat.

NOTA.

Quae ab aliis impressis Exercitiorum exemplis variant, ex utroque nostro exemplari manu scripto; in Mysteriis autem vitae Christi etiam ex editione vulgata emendata sunt.

DIRECTORIUM

IN EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. N. IGNATII.

DIRECTORIUM Exercitiorum Spiritualium, ante aliquot annos typis excusum, eo consilio ad Provincias missum fuit, ut, antequam suprema manus operi imponeretur, usus atque experientia docerent an aliquid addi aut detrahi, vel etiam commodius dici posse videretur; atque in hunc finem omnes monuimus, ut, si alicui tale quidpiam occurreret, per suos Superiores ad R. P. N. Generalem Romam mitteret. Cum autem quaedam a nonnullis observata ac Romam transmissa fuissent; iis omnibus in quinta Congregatione generali a Deputatis Patribus ad Directorium recognoscendum diligenter atque exacte discussis, iterumque a R. P. N. Patribusque Assistentibus accurate perpensis, ad hunc tandem modum Directorium accommodari posse visum est; speramusque laborem hunc non solum probatum iri, sed etiam iis, qui Spiritualia Exercitia traditури sunt, valde utilem fore. Reliquum est, ut hac occasione Nostri (ut plenius ad Provinciales communibus litteris scriptum est) in posterum ad Exercitia Spiritualia frequentanda studiosius incumbant, et aliis etiam maiori cum utilitate tradere studeant.

Datum Romae, kalendis Octobris MDXCIX.

Mandato R. P. N. Generalis,
IACOBUS DOMINICUS, *Secretarius.*

PROOEMIUM.

DE DIGNITATE ET UTILITATE EXERCITIORUM
ET DE NECESSITATE DIRECTORII.

Instrumenta salutis. *P. 4 c. 8 n. 5. P. 7 c. 4 n. 8.*

1. INTER alia instrumenta, quae DEUS pro sua bonitate ac clementia Societati nostrae, tum ad propriam tum ad proximorum salutem perfectionemque procurandam, largiri dignatus est, non postremum locum habent Spiritualia Exercitia.

Documenta ex unctione Spiritus Sancti.

2. Haec enim sunt spiritualia quaedam documenta, quae, ut in huius libri praefatione dicitur, non tam ex libris, quam ex unctione Spiritus Sancti et ex interna experientia et usu, noster in Christo B. P. Ignatius composuit. Haec sunt lumina, quae ei Dominus in ipso primo conversionis fervore inspiravit, ac deinde in omni progressu eius virtutis et sanctitatis semper confirmavit.

Necessaria ad bene orandum directio.

3. Quemadmodum igitur Dominus DEUS ideam totam Societatis nostrae tum exteriorem, tum etiam quae ad interiorem virtutum formam pertineret, ei tamquam Capiti et Fundatori communicavit: ita etiam, cum oratio et communicatio cum DEO sit tanti momenti, ut magna ex parte religiosa observantia ac spiritualis profectus ex ea pendeat; plurimum referebat habere hanc methodum et directionem ad orationem faciendam ab eodem Capite nostro, quam nos quoque omnes sequeremur, et prae oculis semper habere conaremur.

Usus Exercitiorum magnopere a S. P. N. commendatus.

4. Atque haec causa est, cur ipse Beatus P. Noster Ignatius in omni sermone, ut accepimus, et vero praxi ipsa tantopere Nostris commendare soleret usum horum Exercitiorum; ac in Constitutionibus quoque tam crebro eorum mentionem faciat, et praesertim parte 4, capite 8, § 5, ubi dicitur: omnes operam dare debere, ut in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod tantopere conferre cernitur ad DEI obsequium, dexteritatem habeant. Exstat etiam eius epistola ad Sacerdotem quemdam, Mionam nomine, qui Parisiis fuerat eius Confessarius, in qua satis manifeste ostendit quid ille sentiret de his Exercitiis. Monet enim eum, atque etiam instanter rogat, ut ea faciat diligenter; et, si fecerit, promittit ei magnam utilitatem spiritualem, tum in se ipso tum ad alios quam plurimos iuvandos; idque verbis valde gravibus et significantibus.

Ab aliis eorum commendatio.

5. Idem vero testimonium dederunt alii, et plurimi, et quidem insignes viri et doctrina, et virtute, et rerum humanarum experientia, ac praecipue etiam spiritualium peritia;

qui, cum haec Exercitia re ipsa experti essent, ita ea probarunt, ut illorum usu maiorem, quam sperare ausi essent, suarum animarum fructum se consecutos esse, tum verbo tum scripto libenter praedicarent.

Auctoritate Pontificia approbata.

6. Sed prae omnibus est auctoritas Sedis Apostolicae, quae, diligenti examine doctorum virorum praemisso, haec Exercitia approbavit anno MDXLVIII, *ut pietate et sanctitate plena* (haec enim sunt eius verba), *et ad aedificationem spiritualemque fidelium profectum valde utilia.*

Utilitas eorum maxima, multorum experientia comprobata.

7. Postremo est etiam ipsa experientia ingentis ac prope incredibilis utilitatis, quae ex his Exercitiis faciendis subsequi solet. Primum enim plurimi ex Nostris, praesertim primis temporibus, hoc modo spiritum vocationis acceperunt, ut vere dici possit Societatem nostram hoc maxime medio et initio coaluisse, et postea incrementum accepisse. Deinde plurimi etiam alii, relicto mundo, alios Religiosos Ordines ingressi sunt; multi, iam ingressi, egregie reformati sunt: nec singuli tantum, sed saepe integra coenobia. Complures etiam in saeculo ipso, cum ita vitiis addicti essent, ut nullo modo neque cohortationibus neque concionibus avelli possent, hoc uno sese converterunt, et ad meliorem vitam constanter ducendam revocarunt. Denique negari non potest quin valde magnus fructus in omni hominum genere et statu et conditione effectus sit; et, ubi eorum usus magis viget, ibi etiam multo maior morum reformatio cernitur.

Exercitiorum praecipui fructus.

8. Nec debet aliquis mirari quod tanti effectus consequantur et quidem non admodum longo tempore, addo etiam, non adeo magno labore. Nam cum Dei voluntas sit sanctificatio nostra, ut ait Apostolus, et ideo bonitas illa immensa semper parata sit sua dona effundere super creaturam suam; sine dubio, si ipsamet non poneret impedimentum, sed potius se ipsam disponeret, facile ac brevi magnas a Deo gratias consequeretur. Hoc igitur faciunt haec Exercitia, et sane valde efficaciter, ut animam disponant ad haec dona accipienda. Primum enim removent eam ab omni aliarum rerum ac negotiorum occupatione, et quasi ad solitudinem quamdam ducunt, ut et Deus ad eius cor loquatur, et ipsa faciat, quod dicitur in Psalmo: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Deinde vero, posito statim ante oculos ultimo hominis fine, nempe aeterna beatitudine, ostendunt primum, quantum hactenus aberraverit, et ita peccatorum dolorem et odium ingenerant; deinde virtutum pulchritudinem aperiunt, et Christi Domini exemplo ad eius imitationem accendunt. Denique etiam modum tradunt totius vitae ex Dei regula ac voluntate reformandae, sive status ipse mutandus sit, sive non mutandus, verum in melius corrigendus.

1 Thess. IV, 3.

Psal. XLV, 11.

Nostris eorum usus commendatur.

9. Cum ergo horum Exercitiorum tantae sint utilitates tantusque fructus, facile apparet quam eorum usus Nostris omnibus commendatus esse debeat; si praesertim illud addamus, quod cum humilitate cognoscere possumus, et certe etiam debemus, hoc totum, quodcumque est, nempe peculiarem hanc instructionem, ac modum meditandi, et peculiaria haec documenta, tam utilia tamque solida, esse praeclarum quoddam donum ac munus a Deo datum Societati nostrae. Quare, cum id Deus nobis donarit, et ideo donarit ut uteremur, non

est dubium quin hoc ipsum excitare omnes debeat, ut avidius utamur, nec talem thesaurum absconditum et quasi defossum inutiliter teneamus.

Methodus necessaria in Exercitiis tradendis.

10. Verum quam utilis est hic Exercitiorum usus, quem dicimus, tam etiam est necessarium aliquam methodum habere in iis tradendis; tum quia non omnes eamdem peritiam aut dexteritatem habere possunt, tum quia non omnia hoc Exercitiorum Spiritualium libro comprehendi potuerunt, (et ideo sunt in eo aliqua paulo obscuriora, quod ad praxim attinet) tum denique etiam, ut servetur a Nostris omnibus uniformitas, et non suo quisque ingenio et placito Exercitia interpretetur, ex qua re novi ac varii subinde modi introducerentur.

Congregationis primae generalis auctoritate Directorium confectum.

11. Has igitur ob causas Congregatio prima generalis inter alia, quae necessaria iudicavit ad proximos iuvandos et nostros operarios dirigendos, hoc etiam constituit Titulo 6, decreto 28, ut conficeretur Directorium tradendorum Exercitiorum, eiusque rei curam Generali Praeposito commendavit.

Hic. 107.

Antiquioribus Patribus discutiendum datur.

12. In quo cum aliqui Patres diligenter laborassent, vel pro sua devotione vel Superiorum iussu, visum est Patri nostro Claudio Aquavivae tum hunc eorum laborem, tum etiam quae nonnulli alii adumbraverant, quibusdam antiquioribus Patribus in Societate mittere, ut ea viderent, et iudicium de iis ferrent, et praeterea, si quid occurreret, quod addi posset, id scriptis mandarent. Ex quorum omnium sententiis ac iudiciis ea, quae ad nostrum propositum accommodatiora visa sunt, in hoc Directorium selecta, et suis locis digesta sunt ad Dei Domini gloriam, et Societatis nostrae proximorumque spiritualem profectum.

Caput I. — Quomodo inducendi sint homines ad Exercitia.

In aliis excitandum desiderium. *P. 4 c. 8, E.*

1. Dicitur in nostris Constitutionibus, cum Exercitiorum ratio redditur, non solum id agi debere ut aliis satisfiat; sed etiam ut in aliis desiderium excitetur, ut eisdem iuvari velint. Ex quo apparet oportere hoc esse Nostris propositum, ut quotquot possunt ad agenda Exercitia suaviter inducant. Quoniam, cum charitas et zelus animarum nos movere debeat ad desiderandam et procurandam earum salutem et perfectionem, eadem etiam impellere debet ad eam rem, quae adeo apta et adeo efficax est ad illud utrumque in eis operandum.

Discrete et modeste fiat.

2. Est tamen opus prudentia, ut id discrete et modeste fiat, nempe tempore et loco convenienti, sine molestia aut offensione, et nominatim cavendo, ne suspicio praebeatur, quod ad religiosum statum trahere velimus. Hunc autem modum prudentem et cautum invitandi ad Exercitia suggeret sua cuique prudentia et Spiritus Sancti unctio, quae, ut in aliis, ita in hoc diriget et iuvabit suos operarios.

Quinam modus tenendus.

3. Beatus P. Noster Ignatius ita sentiebat et monebat: optimum modum esse in confessione, non importune atque ex abrupto, sed aliqua commoda occasione vel e re nata vel dextere accersita; aut etiam extra confessionem, cum cernitur aliquis non adeo contentus statu suo, sive propter aliquem scrupulum intrinsecum, sive propter molestiam extrinsecam, ut si non bene ei succedant negotia, vel si non bene a suis tractetur, vel

ob aliam similem causam. Interdum etiam optima est commoditas ex ipsis vitiis aut lapsibus alicuius, cum praesertim aliquo Dei lumine afflatus ea cognoscit et dolet, et cupit emendationem. Tunc enim saepe opportunum est proponere ei hoc quasi remedium eius infirmitatis.

Exercitiorum fructus indicandi.

4. Quaecumque vero occasio accipiatur, indicandi sunt magni fructus, qui ex his Exercitiis consequi solent: pax et quies animae, lumen interius et cognitio ad bonam gubernationem totius vitae quocumque in statu.

Exempla eorum, qui fecerunt, proponenda.

5. Iuvat etiam proponere aliqua exempla aliquorum, qui ea fecerint cum fructu, ita ut postea valde contenti fuerint, ipsaque morum mutatione testati sint quantum in eis profecerint; et ad hoc etiam confert indicare consolationes spirituales et gustus, quos habuerunt, nimirum ne labore deterreantur. Verum in his exemplis commemorandis abstinendum esset ab iis, qui Religionem ingressi sunt (vel certe hoc postremum tacendum) et ii potius narrandi, qui, in melius mutati, in saeculo manserunt, quoniam facile fieri potest, ut, quem hortari volumus, idem sibi timeat, et ideo refugiat Exercitia.

Omnibus necessaria.

6. Immo vero haec ipsa opinio eripienda esset hominibus, ut putent solis Religiosis aut iis, qui Religiosi fieri volunt, convenire Exercitia. Nam, cum omnes egeant gratia Dei, non solum Religiosi, sed etiam saeculares propter pericula, in quibus assidue vivunt, ideo ipsi quoque debent ea adiumenta quaerere, ex quibus ad hanc gratiam hauriendam quam maxime disponantur.

Qualis mens S. P. N. et quibus danda Exercitia.

7. Notandum est tamen, si loquamur de integris et plenis Exercitiis, eam fuisse Beati P. Ignatii sententiam, ut non omnibus passim darentur, sed selectis tantum, et qui habiles ad maiora viderentur. Quod ita esse aperte videmus ex quadam instructione, quae conscripta dicitur ipso dictante, quae sic habet: *Non mihi videtur expedire quemquam hortari ad facienda Exercitia, nisi has conditiones, vel saltem praecipuas, habeat. Primo, nt eiusmodi sit, qui sperari possit valde utilis futurus domui Dei, si ad eius obsequium vocatus fuerit. Secundo, si nondum habeat eiusmodi talenta iam acquisita artium ac scientiarum, quae hoc prae se ferunt, saltem ut eius aetatis atque ingenii sit, ut ad ea aliquando pervenire posse videatur. Tertio, ut liberum sit ei de se ipso statuere, etiam quoad statum perfectionis amplectendum, si Deo placeret eum vocare. Quarto, ut ad spiritualia affectus videatur, habitumque corporis honestum ac decentem habeat. Quinto, ut non ita alicui rei sit addictus, ut ab ea difficulter videatur posse dimoveri, et ad eam aequalitatem perduci, quae requiritur ad hoc negotium animae cum Deo recte tractandum; ac quanto magis quisque dubius est de vitae suae rationibus et cupidus sciendi quid facere debeat de sua persona; denique quanto aptior ad Ecclesiam iuvandam, tanto etiam magis, simpliciter loquendo, idoneus erit ad Exercitia facienda. Qui vero has conditiones non haberent, vel qui matrimonio iuncti fuerint, aut alioquin inhabiles, non debent iis tradi Exercitia omnia, maxime si alii aptiores ea peterent, vel Nostri aliis occupationibus distinerentur. Possent tamen dari eis aliquae meditationes primae hebdomadae, idque, si fieri possit, in ipsis eorum domibus, hortando eos ut in aliqua remotiori domus parte se colligant, unde non nisi ad Missam et ve-*

speras egrediantur, aut quando ad meditationes accipiendas veniunt. Hisque addi poterunt, si ita videatur, aliqua Exercitia, ut triplex modus orandi, et similia. Haec Beatus P. Ignatius; quae eadem, licet paulo brevius, habentur etiam in Constitutionibus, parte 7, capite 4, littera F.

Caput II. — Quomodo dispositus esse debeat, qui ad Exercitia facienda accedit.

Exercitia aggressurus eorum necessitatem intelligat.

1. Qui ad Exercitia agenda aggreditur, primo eniti debet ut intelligat quanta sit res, quam aggrediatur; nempe quae non solum ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut, si modo ea diligenter praestet, quae debet, iacturus sit fundamenta spiritualis sui profectus, quae deinde tota eius vita usui futura sint. Ex quo intelligat, quantam * alacritatem, et diligentiam, et fortitudinem etiam, ad tantum opus tantumque negotium afferre debeat. Itaque statuat ipse secum, viriliter agere et omnia impedimenta divinae gratiae reiicere, et omnes animi sui vires intendere, ut huic gratiae cooperetur, et se ad eam recipiendam quam poterit optime disponat.

*Annot. 5 ex 20.

A curis et negotiis segregatio.

*Annot. 20.

2. * Hanc ob causam ab omnibus aliis negotiis domesticis prius se expediat, vel certe ea aliis interim committat, ac toto tempore omne sibi amicorum ac familiarium, immo etiam nuntiorum aut litterarum commercium interdicat. Haec enim mentem implere solent variis cogitationibus, quae deinde magnopere distrahunt, et conceptum, si quis est, fervorem restingunt. Immo vero omnem etiam aliam cogitationem de quavis alia re excludere curet, perinde ac si nullum aliud negotium in hoc mundo haberet.

Cum spe aggrediatur.

3. Habeat deinde magnam spem in Domini bonitate et liberalitate, qui, cum etiam errantes requirat et fugientes sequatur, multo magis, qui ad se bono animo accedunt, recipiet et complectetur. Quare confidat in illa infinita clementia, quae, cum pium illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam ac vires exsequendi bene ac fructuose; siquidem eius voluntas est sanctificatio nostra.

Qualis finis.

4. Inter caetera vero, ita etiam animo constitutus esse debet, ut libenter et avide Exercitia haec aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine fruatur, quam ut Dei voluntatem de se intelligat, suumque affectum a terrenis omnibus avellat, et eum in suo Creatore collocet. Illud vero maxime necessarium, ut, praeter hoc desiderium proficiendi in spiritu, sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei in iis, in quibus adhuc liber est; itaque animo paratus sit, ut, quidquid a Deo cognoverit faciendum esse, omnimo exsequi decreverit.

Quomodo aggrediatur Exercitia.

5. Quare non debet quisquam deliberationem aliquam secum afferre, a qua dimoveri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipse ponere Dei donis, ita ut usque ad quosdam limites se illuminari ac iuvari velit, non autem amplius. Nam, praeterquam quod valde indecens est, ut creatura hoc modo agat cum suo Creatore, valde etiam sibi ipsi nocet: primum, quia seipsum privat illis maioribus donis, quae Deus fortasse daturus erat; deinde, quia illa ipsa illiberalitas, et restrictio, et ingratitudo in Deum meretur, ut ne ea quidem accipiat, quae vellet accipere. Quare debet potius animi sinum dila-

tare, ut quam maxime possit sese cum Deo coniungere, et quam maxime ab eo ditari et locupletari thesauris istis coelestibus desideret. Atque haec quidem observanda sunt ei erga Deum.

Qualiter se gerat circa dantem Exercitia.

6. Erga eum vero, qui daturus est Exercitia, ita se gerere debet, ut eum accipiat ut magistrum et ducem huius itineris dubii et periculosi; et ideo, etiamsi alioqui prudens sit vel doctus et in rebus agendis exercitatus, tamen pro hoc tempore non confidat suae prudentiae vel doctrinae, sed totum sese committat huic suo duci, ac, quemadmodum ait Apostolus: *Stultus fiat, ut sit sapiens;* illudque Beati Petri monitum exsequatur: *Sicut modo geniti infantes, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Itaque instructorem suum ita intueatur, tamquam Dei instrumentum ad hoc sibi missum, ut eum dirigat et perducat per eam viam, quae ad vitam ducit. Quam ob causam cum omni reverentia et alacritate et confidentia excipere debebit quae ei proponet.

1 Cor. III, 18.

1 Pet. II, 2.

Nihil celandum.

7. Praeterea nihil eum celet, nihil dissimulet, sed sincere totum cor suum ei patefaciat, et candide referat quomodo singulae meditationes successerint, quas in eis vel extra eas reliquo tempore consolationes, desolationes, lumina, vel bona desideria senserit. Denique obediat ei in omnibus perfecte, neque alias meditationes aut alium ordinem teneat, quam ille praescripserit; idemque in poenitentiis et corporis castigationibus; et in summa, hoc sibi persuadeat, quo diligentius et exactius illius ductum sequetur, eo aptiorem fore ad Dei gratiam largius accipiendam; quia illa humilitas et illa simplicitas valde Deo placet, et cum talibus est eius sermocinatio. Haec igitur necessaria quidem sunt, ut plenior fructus eliciatur.

Quae proponenda facienti Exercitia.

8. Sed tamen, si is, qui tradet Exercitia, timeret ne, si omnia proponat Exercitia facturo, fortasse eum deterrerent ac retraherent; melius esset, vel aliqua tantum horum proponere ab initio, vel non admodum exaggerare; sed, si postea cum gustu spirituali eum affici viderit, magisque capacem ad haec portanda, tunc eum paullatim excitare ad Exercitia peragenda cum omni perfectione.

Caput III. — *De quibus monendus sit Exercitia ingrediens, et de tempore meditandi.*

Exacta observatio.

1. Sunt etiam alia, de quibus monendus est qui facit Exercitia; sed quia haec continentur in annotationibus vel regulis scriptis in libro Exercitiorum, non est quod hic repetantur. Hoc tamen de iis addendum, debere eum omnem diligentiam ponere in eis observandis; quoniam, quo diligentior in hoc fuerit, eo citius et uberius inveniet fructum spiritualem, qui quaeritur.

Quos libros habeat et legat.

2. Illud etiam in particulari attingi potest, non debere eum legere nisi scripta, quae ei traduntur, nec libros habere in cubiculo, ut occasio legendi praecidatur, praeter Breviarum, si Sacerdos sit, aut Officium B. Virginis. Si tamen instructori videbitur, posset in prima hebdomada legere librum Gersonis de Imitatione Christi, in secunda aliquid ex Evangeliis et Sanctorum vita, ut dicitur in annotationibus post primam meditationem secundae hebdomadae. Sed has vitas Sanctorum oporteret esse selectas et valde accommodatas ei, qui facit Exercitia; ut, si esset

uxoratus, oporteret ei tradere vitam alicuius, qui sancte vixisset in saeculo; similiter in Religiosis, et in aliis similibus. Quare is labor et diligentia esse deberet instructoris in idoneis seligendis.

Quae mysteria legenda.

3. Porro in Evangeliis non debet legere nisi illud mysterium, quod eadem hora vel die est meditaturus, ut habetur in primo notando post quintam contemplationem secundae hebdomadae.

Qui libri, si taedium subrepat.

4. Tamen si post factam meditationem taedio affici videretur, ac potius tempus perdere; posset etiam, ut dictum est, addi aliquis alius liber, ut prima hebdomada Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis, Confessiones S. Augustini, aut similes; hoc advertendo, ut non solum boni et utiles sint, verum etiam apti et opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in Exercitiis quaeritur, ut contritionem, vel timorem, vel Dei amorem. Quin etiam monendus est et docendus, ut ipsam lectionem dirigat ad meditationem, nimirum non legendo cursim aviditate sciendi et videndi nova, sed immorando, et perpendendo accurate ea quae legit, et intrando in eosdem affectus.

Quae scribenda.

5. Quod de legendo dicitur, idem de scribendo dicendum. Nihil enim aliud scribi debet praeter ea, quae pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quae Dominus communicaverit in meditatione, vel etiam extra meditationem; quae tamen brevissime notanda sunt, non diffuse per modum sermonis. Haec autem puncta possunt esse duplicis generis: vel practica, quae pertinent ad agendum, ut sunt desideria quaedam, aut firmae deliberationes faciendi aliquid; vel quae pertinent ad cognoscendum, ut sunt quaedam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, ut alicuius virtutis, v. g. humilitatis, contemptus mundi, patientiae etc.; vel etiam in aliqua materia meditationis, ut incarnationis vel passionis Domini, et similia; eiusmodi praesertim, quae sint quasi axiomata quaedam, et viam aperiant ad bene percipiendas meditandas illas materias.

Lectionis et scriptionis moderatio.

6. Sed illud cavendum, ne vel legendi vel scribendi dulcedine ita se quispiam distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi, aut etiam praeparationi ad meditationem. Semper enim aliquanto ante meditationem debet omnia relinquere, et omnino suam cogitationem convertere ad puncta illius Exercitii, quod iam instat. Addo etiam, cavendum hoc quoque, ne nimis legendo aut scribendo defatigetur animus, et quasi vires eius exhauriantur: oportet enim salvam semper relinqui meditationem, et caetera omnia huic uni servire.

Quot horis orandum.

7. Qui Exercitia exacte facere volunt, viresque idoneas habent, iis * quinque horae meditandi quotidie praescribi solent: prima circa mediam noctem, quod tempus propter quietem ac profundum silentium valde aptum est meditationi; secunda sub auroram; tertia paulo ante prandium; quarta post meridiem; quinta sub vesperam; et post uniuscuiusque horae meditationem quadrans etiam ad examen praecedentis meditationis.

** Ex 2 hebd. notando 2 et 3 post Exercitia primae diei, pag. 467, 468, et ex 3 hebd. post 2 contempl. notando 2, pag. 477.*

Quibuscum dispensandi.

8. Cum aliis, qui debilioris sunt valetudinis vel tam exactum modum servare non possunt, dispensari poterit de hora mediae noctis, ita tamen ut quinque horae maneant, aut etiam pauciores, si instructor ita expedire iudicaverit. Ut vero plures sint quam

quinque, raro continget ut expediat. Nam cum nimis continuantur haec Exercitia mentis, ita retundi solet, ut obtusior etiam reddatur intellectus, et voluntas minus efficax.

CAPUT IV. — De loco Exercitiis idoneo, et de quibusdam particularibus.

Locus Exercitiorum.

1. Locus ad facienda Exercitia non est dubium quin debeat esse remotus ab hominum concursu et aspectu etiam, maxime familiarium. Ita enim monet beatus P. Noster Ignatius annotatione ultima, ubi etiam tres eius rei commemorat utilitates. Quare, si Exercitia suscepturus alibi tam commode et tam fructuose non potest, et Superiori ita videatur, poterit excipi domi nostrae, sed in aliquo cubiculo, quod sit quam maxime separatum ab aliis cubiculis et officinis domesticis, ut quam minime videat vel audiat quae a Nostris fiunt.

Expensae a quibus faciendae.

2. Quod vero ad expensas attinet, cum ille in Domum nostram venerit, consulatur Superior; ad cuius prudentiam pertinebit ita omnia moderari, ut neque Domus nimium gravetur, neque contra occasione Domus non gravandae minuatur numerus eorum, qui Exercitia facere possunt. Videntur autem communiter nec recusandae, si offerantur, praesertim a ditioribus; nec, si non offerantur, requirendae. Absit vero semper quidquid in eo genere sordidum aut indecorum videri possit.

Qualis is qui inserviat exercitanti.

3. In hoc loco praeter instructorem debet etiam esse qui ei inserviat, et necessaria ad victum deferat. Hunc autem oportet esse fidelem, discretum, taciturnum, quique sua modestia et humilitatis ac devotionis exemplo aedificet. Nihil autem loquetur, nisi de iis, quae ad victum, aut cubiculum et ministerium suum pertineant, idque paucissimis, omnia semper ad instructorem reiiciendo, quem etiam de singulis certiorem faciet, nec rem ullam ei deferet, etiam postulatus, nisi illo consulto.

Lectum componet etc.

4. Componet lectum, et cubiculum verret opportuno tempore, quod fere erit tempore Missae. Caetera etiam, quae opus erit, munda et apta afferet, prae se ferendo semper magnam charitatem et diligentiam; atque inter alia meminerit etiam pro ipso orare quotidie.

Interdum notus deputandus.

5. Aliquando etiam profuit huic ministerio eum deputare, qui notus aut familiaris esset exercitanti, idque iuvat non solum ad consolationem quamdam ipsius, sed etiam ad profectum spiritualem, quoniam aliqui interdum confidentius se aperiunt amicis huiusmodi, quam ipsi instructori, si eum numquam antea norant. Sed hoc totum pendere debet ex iudicio eius, qui tradit Exercitia, ut videat quatenus hic progredi debeat, quid loqui, et quomodo. Debet enim uti eo tamquam instrumento suo, iuxta id quod intelliget convenire ad maiorem utilitatem exercitantis.

De victu.

6. Quod ad victum attinet, quaerendum est ab eo, quid sibi parari velit, idque ei afferendum, quod ille petierit.

An et a quibus visitandus.

7. Praeter hunc qui ei ministrat, ut plurimum non debet ab aliis visitari. Nam de saecularibus quidem nulla est dubitatio, nisi aliqua necessitas urgeret. Ex Nostris autem aliquis mitti posset, cum vel qui facit Exercitia id peteret ab instructore, vel instructor, etiam illo non petente, ita iudicaret ad eius consolationem vel profectum.

Qui sermones miscendi.

8. Quicumque autem eat, cavere debet ut nullus nisi utilis sermo habeatur ac de rebus spiritualibus, nulla tamen significatione quod eum ad hunc vel illum vitae statum impellere velit, praesertim vero ad Societatem. Nam praeterquam quod vocatio debet esse libera et a Deo venire, ipsi etiam qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant aut suspicentur, eo magis retrahi solent; et contra, ut experientia saepe ostendit, eo magis incitari, cum in Nostris nullam talem cupiditatem animadvertunt.

Caput V. — Qualis esse et quid facere debeat qui Exercitia tradit.

Qualis sit Exercitiorum magister.

1. Quod ad illum attinet, qui Exercitia traditurus est, illud primum a Beato P. Nostro Ignatio 4 parte, capite 8, § 5 praecipitur, ut prius ea in se ipso sit expertus, ut rationem eorum reddere possit, et dexteritatem in iis tradendis habere. Quod ut facilius assequatur (ut ibidem dicitur in declaratione), prius quibusdam tradere deberet, in quibus minor esset iactura, si quid erretur, ut, verbi gratia, iunioribus aut iis, qui non ingressuri sunt electionem de vitae statu. Deinde etiam proderit conferre suum modum procedendi cum aliquo magis exercitato, bene adnotando quid magis vel minus convenire deprehenderit. Itaque hoc primum et praecipuum esse debet, ut sit bene versatus in rebus spiritualibus, et nominatim in his Exercitiis.

Eius partes.

2. Praeterea sit prudens et discretus, parcus et moderatus, consideratus in sermone. * Sit etiam suavis, potius quam austerus, maxime cum iis, qui tentationes, vel etiam desolationes aut ariditates et taedia patiuntur, quos consolari, animare et erigere debet opportunis consiliis, et precibus tum suis tum aliorum. Expedit etiam ut gratus ei sit, qui facit Exercitia, quoniam hoc modo magis ei confidet, seque magis aperiet.

* Annot. 7 ex 20.

Auctoritas cum maturitate servanda.

3. Porro in agendo cum ipso meminerit auctoritatem quamdam semper retinere, servata quadam maturitate et gravitate, eoque etiam magis, quo is, qui in Exercitiis versatur, maior ipse fuerit. Hoc enim valde expedit ad eius spiritualem profectum, ut locum et personam magistri, ut vere est, tueatur; etsi haec auctoritas temperata esse debet humilitate religiosa, quae eluceat in omnibus eius dictis et factis ita, ut ne vestigium quidem ullius vanitatis conspiciatur. Sed in hoc Christum imitari debet, qui, cum forma esset omnis modestiae, tamen, sicut scriptum est: *Erat docens tamquam potestatem habens.* Itaque cum omni libertate officium suum exsequi debebit tum docendo, tum monendo, tum dirigendo ubi quidpiam curvum aut distortum esse viderit.

Matt. vii, 29. Marc. i, 22.

Deo referendum si quid fructus.

4. Caveat, cum bonum aliquem effectum viderit in iis, qui se exercent, quidquam suae industriae aut peritiae tribuere, cum hi omnes effectus gratiae sint a solo Deo; et consilia extrinsecus adhibita (praeterquam quod, si bona sunt, ab eodem Deo sunt) tantam vim habeant, et tantum operentur, quantum concurrit et cooperatur Deus. Ex altera tamen parte multum confidat in Domino, et ab eo speret certum auxilium tum sibi, tum ei qui facit Exercitia.

Sinat Deum de sua creatura disponere.

5. Illud autem valde observandum, ut nihil de suo apponat, sed, cum eiusmodi consilia debeant ex divina inspiratione suscipi, caveat ne indi-

screto zelo conetur aliquid ei suadere; sed sinat Deum de sua creatura disponere iuxta placitum bonitatis suae.* Quod ut melius et facilius in opere praestet, servet se in animo plane indifferentem, et in nihil aliud eius voluntas feratur, nisi ut sanctissimum Dei beneplacitum in anima illa plene et perfecte compleatur, et ipse tantum in eo laboret, ut, qui se exercet, id investigare sciat, et sciat se a daemonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare solet.

Annot. 15 ex 20.

Perspecta sit conditio Exercitia facientis.

6. Curet etiam perspectum habere eum, qui facit Exercitia, non tantum quoad statum et conditionem, si nobilis sit vel plebeius, doctus vel indoctus etc., sed etiam quoad peculiares quasdam partes, ut si simplex vel prudens sit, provectus in rebus spiritualibus an adhuc rudis ac novus, si intelligens et capax an vero hebetior et tardior. Nam cum diversis diverso modo agendum est, ut rudioribus sunt res explicatius proponendae, aliis autem brevius etc.

Perspectum habeat librum Exercitiorum.

7. Illud autem in primis necessarium est, ut, qui Exercitia traditurus est, totum librum Exercitiorum perlegerit, eumque prae manibus habeat, et praesertim annotationes et regulas. Neque sufficit cursim ea videre, sed omnia accurate, immo singulas pene voces expendere oportet, quoniam quaedam sunt in iis brevissime dicta, quae magnum pondus habent, et ignorata aut praeterita damnum afferunt. Itaque tum antea accurate ea vidisse oportebit, tum vero in dandis Exercitiis relegenda erunt accuratius, praesertim quae pertinent ad illud tempus, in quo tum versatur ille, qui suscipit.

Prius ipse meditetur.

8. Iuvabit etiam ut singula Exercitia, antequam ea tradat, aliquantulum ipse meditetur, si fieri poterit, ut melius imprimat alteri.

Caput VI. — De visitando eo, qui exercetur.

Quoties visitandus.

1. Coeptis Exercitiis, sit diligens in visitando suis temporibus eo, qui exercetur. Videtur autem expedire ut quotidie semel eum adeat, neque tamen saepius, nisi aliqua occurreret necessitas, ut aliquando accidit prima hebdomada propter rei novitatem, aut secunda propter difficultatem electionis.

Quando non visitandus.

2. Immo cum aliquibus hominibus gravibus, et bene introductis in spiritu et devotione, posset etiam aliquando esse utilius, ut aliquis dies omitteretur. De tempore autem eum visitandi videat ipse quod sit commodius et aptius. Ex natura quidem sua videtur matutinum, quia tunc animus est magis dispositus ad res percipiendas et penetrandas. Quamquam sub vesperam solet esse maior necessitas, quia tunc interdum magis crescunt tentationes et desolationes, quia animus est minus aptus ad contemplandum, et ideo interdum incidit in morositatem quamdam, et magis est expositus tentationibus.

An quis pro recreatione designandus.

3. Videat etiam instructor an aliquando ex peculiari causa expediat, ut statim a prandio vel a coena ipse vel aliquis alius maturus et discretus, ab eo designandus, cum eo, qui est in Exercitiis, maneat ad honestam recreationem.

Caput VII. — De exigenda ratione meditationis.

Quomodo interrogandus.

1. Igitur quodcumque tempus elegerit ad eum invisendum, cum ad ipsum venerit, interrogabit quomodo se habuerit ab ea hora, qua illum

postremo vidit, et praesertim in meditatione, nimirum: quem modum tenuit in meditando, quos mentis discursus, quas voluntatis motiones habuerit, quas consolationes senserit, et in quibus punctis.

Quid, si consolationes abundent.

2. Si bene procedit et consolationibus abundat, non valde laudare oportet, ne sibi complaceat, sed primum doceat quomodo solidum fructum ex illis consolationibus elicere debeat. Nam, si nihil aliud fiat, abeunte illo suavi sensu, qui fere non diu durare solet, nullus fructus remaneret. Quare instruendus est ut eas consolationes dirigat ad morum emendationem vitaeque totius institutionem; quia, ut scriptum est: *Non auditores legis iusti sunt apud* DEUM, *sed factores legis iustificabuntur*. Atque hic etiam monendus est * ut breviter in scripto ponat notabiliores consolationes et lumina, desideria quoque et firmas deliberationes faciendi aliquid, quoniam proderunt multum alio tempore, cum ea non habebit.

Rom. II, *13.*

* *Annot. 20.*

Disponendus pro tempore desolationis.

3. Deinde vero praeparet illum ad tempus desolationis et ariditatis, quae solet frequenter contingere, ne deinde, cum contigerit, imparatus sit. Atque hoc tempore, cum res bene succedit, non oportet diu cum ipso remanere, sed sinendum ut Creator cum creatura sua, et haec vicissim cum illo transigat; nisi necessarium videretur ad eum vel dirigendum, vel etiam recreandum, si nimis absorptus esset cogitationibus illis.

Quid, cum abundat desolatio.
* *Annot. 6 ex 20.*

4. Contra vero, si exercitans aridus sit et desolatus, aut * distractus in meditando, percunctari debet quomodo se gesserit in meditatione, et nominatim quomodo observarit additiones, et, si in aliqua remissum invenerit, moneat et instruat.

Viam meditationis aperiat.

5. Aperiat etiam ei viam ad meditationem, attingendo et quasi indicando aliquos conceptus, quos deinde ipse cogitatione prosequatur.

Ad quae hortandus.

6. Hortetur ad patientiam et longanimitatem, ne se obrui sinat taedio, ac propter molestiam et laborem avertatur ab oratione; * quia, si fortiter cum spe ac fiducia perseveret pulsare ad ostium misericordiae divinae, non poterit non aperire, iuxta illud: *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.*

* *Annot. 13 ex 20.*

Habac. II, *3.*

Modus consequendi devotionem.
* *Annot. 7 ex 20. Reg. 8 ad motus animi discernendos.*

7. * Moneat etiam optimum remedium consequendi a DEO devotionem esse, ut humilietur sub potenti manu DEI, et se subiiciat ac resignet eius divinae voluntati: saepe enim illa displicentia et amaritudo, non tam venit ex fervore, quam ex tacita quadam superbia, qua homo confidit in sua diligentia, vel quia in eo etiam vellet excellere; aut ex amore proprio, quia amat consolationem. Quare hoc omnino observandum est, ut, cum fecerit quod in se est, caetera permittat divinae voluntati et charitati, et confidat quod illa ipsa ariditas ideo permittitur a DEO, quia sibi sic expedit. Et hic ipse affectus humilitatis et subiectionis erga DEUM saepe magis efficax est ut concedat gratiam bene orandi.

Nulla detur suspicandi occasio.

8. In primis autem caveat instructor ne umquam det ei occasionem suspicandi quod minus bonam opinionem de se habeat, etiamsi non ita se bene gesserit; sed ostendat illi semper se bene sperare, et sua spe etiam illi animum ac spem addat.

CAPUT VIII. — De proponenda meditatione.

Quomodo proponenda

1. In proponendis punctis meditationum non oportebit ea valde exag-

punota meditationis. *Annot. 2 ex 20.

gerare, aut etiam ita * enucleare, ut, qui meditatur, ipse nihil novi per se invenire possit, aut certe aegre. Experientia enim docet magis omnes delectari et moveri etiam iis, quae per se inveniunt. Et ideo satis erit quasi digito indicare venam, quam deinde sibi quisque effodiat. Si tamen essent aliqui parum capaces, iis possent paulo magis declarari.

Meditationes dentur scriptae.

2. Ipsae autem meditationes dari solent in scriptis, ne fatigetur memoria exercitantis, quod solet impedire devotionem, cum vires omnes sint integrae reservandae intellectui et voluntati.

Praecavenda capitis laesio.

3. Denique inter alia, quae instructor attendere debet, est etiam illud, ne, qui exercetur, caput laedat nimia attentione orandi; est enim magnum huius periculum tum tempore desolationis, quo anima magis conniti solet quasi adverso flumine, tum etiam consolationis, cum se totam dat propitiis ventis. Quare non sufficit monere de moderatione servanda; nam cum ii, qui Exercitia faciunt, ut plurimum sint rudes et novi in meditando, non ita possunt cognoscere quid sibi nociturum est; sed oportet interrogare quem modum servent in elevanda mente in Deum, et in ea retinenda in Deo, et nominatim in compositione loci: ac si appareat eo sibi vim facere, docendi sunt de modo ac ratione cogitandi suaviter de divinis; primo, quia alioquin durari non potest, et impeditur meditatio; deinde etiam, quia solidus fructus consistit in cognitione illarum veritatum et voluntatis motione, quae procedunt ex lumine intimo, non autem in hac attentione violenta, aut in coactitiis illis lacrimis, quas merito irridet Cassianus. Postremo, quia hoc negotium orationis, etiam si nostram quoque cooperationem exigat, maiori tamen ex parte pendet a Deo et est donum Dei. Quare ad hoc potius se anima disponere debet per humilitatem et puritatem, quam confidere in sua praeparatione et industria.

Collat. 9.

De quibus in universum monendus instructor.

4. Reliqua, quae in universum monendus esset instructor, fere continentur in libro Exercitiorum, partim in meditationibus ipsis, partim in annotationibus, partim etiam in regulis illis discernendi spiritus, quae sunt valde utiles, et quasi lucem praeferunt in omni hoc itinere spirituali, tum prima hebdomada, tum omnibus sequentibus. Et ideo iterum repetendum quod supra attigimus, debere hunc librum admodum familiarem esse instructori, eiusque memoriam renovandam eo tempore, quo Exercitia traduntur, quia, quoties eum leget, toties novum lumen et intelligentiam hauriet.

Quando mutare liceat ordinem ac methodum.

5. In quo etiam admonendus est, etiamsi ex una parte omnem eius ordinem, ac methodum, et particularia documenta exacte servare debeat, et quo exactius servabit, eo magis concurret Dominus; tamen ex altera parte multa permitti eius prudentiae, pro varietate vel personarum quae faciunt Exercitia, vel spirituum quibus agitantur, ut vel ista exercitia moderari, vel etiam aliqua alia praesenti earum necessitati opportuna praescribere possit, ut aperte dicitur annotatione 17 et 18 ex primis, et alibi.

Caput IX. — De variis hominum generibus, quibus dari possunt Exercitia.

Duae classes exercitantium.

1. Quibus Exercitia dari possunt, in universum in duas classes dividi

Prima.

posse videntur. Alii enim sunt qui omnes illas conditiones habent, quas capite primo diximus requiri, ut integra Exercitia peragant, et de his nihil hic in particulari dicendum est; ad eos enim pertinent omnia, quae toto hoc Directorio dicentur, maxime si de totius vitae statu deliberare velint.

Secunda.

2. Alii igitur sunt, quibus non sunt tradenda plena Exercitia, vel quia iam in statu sunt, ut matrimonio vincti, et alii, quibus ob alias causas non expedit dari electionem, vel quia propter negotia publica aliasve occupationes tempus aut locum non habent, ut sunt magistratus, et quidam aliquando nobiles aut patresfamilias et similes; vel quia non aliam utilitatem quaerunt ex Exercitiis, quam ut generalem confessionem faciant, et ad reliquam vitam bene dirigendam instruantur; vel quia non admodum capaces sunt, ut sunt rudes et illitterati, qui tamen iuvandi sunt iuxta eorum captum.

Quid, si sint Religiosi.

3. Igitur quod attinet ad Religiosos, (non agimus hic de Nostris, quia de his separatim agemus capite sequenti), si antea nullum mentalis orationis usum habuerunt, eadem est ratio, quod ad eos instruendos attinet, quae alterius cuiusvis saecularis, maxime si antea laxiorem et liberiorem vitam duxissent. Tunc enim diligenter exercendi essent prima hebdomada, ut habeant cognitionem et contritionem suorum peccatorum, tum quae in saeculo, tum quae in Religione commisissent, quia hoc est fundamentum ad reformationem et correctionem totius vitae. Si vero antea etiam dediti fuissent orationi mentali et devotioni, tunc prima hebdomada brevius percurri poterit, ut diligentius immorentur in meditatione vitae Christi.

Finis Religiosorum in Exercitiis.

4. Illud vero in prima hebdomada et deinceps praecipue curandum erit, ut in sua vocatione confirmentur, et sibi persuadeant hanc viam sibi constitutam esse ad beatitudinem consequendam, ut Regulas sui Ordinis plurimi faciant, et eas quam diligentissime observent, et ad suum institutum quam maxime afficiantur; ut causas intelligant, quare adhuc minus profecerint, et ad hunc finem meditationes et examina dirigant; quod ab initio explicandum erit, et deinde semper continuandum.

Zelus proximos iuvandi.

5. Denique etiam ut zelum concipiant iuvandi alios, sive proximos iuxta suum institutum, sive etiam fratres eiusdem instituti, et exemplo et opere.

Quid de electione.

6. Electio status non est eis danda, sed tamen iuvabit tradere regulas et instructiones eius, ut possint deinde alios iuvare, vel etiam de rebus occurrentibus deliberare eodem modo, quo infra dicetur de hominibus Societatis.

An liber communicandus.

7. Quin etiam, finitis Exercitiis, posset eis, magno tamen cum delectu et spe fructus, nec sine facultate Provincialis, communicari liber, si ipsi cuperent et eo bene usuri viderentur, et denique doceri etiam possent de modo tradendi aliis Exercitia.

Magna utilitas Exercitiorum in Religiosis.

8. Caeterum sciant Nostri vix fructuosius operam poni posse, quam cum Religiosis, quoniam non in ipsis tantum fructus ille residet, sed ordinarie manat ad alios; primum quidem ad eorum fratres, qui ipsorum exemplo iuvari possunt, deinde etiam ad saeculares, quorum animas illi tractant. Et ideo, licet omnibus Religiosis utilia semper sint Exercitia,

tamen iis maxime, a quibus vel ratione officii, vel alterius eiusmodi causae, utilitas in alios derivari potest, ut sunt Magistri Novitiorum, Superiores, Baccalaurei, Concionatores, et alii eiusmodi. Quo fiet saepe, ut, uno reformato, alii multi reformentur; idque commodius est, quam ut nos ipsi id per nos praestemus, ne videamur velle esse aliarum Religionum reformatores, quod solet esse odiosum.

Quid, si sint coniugati.

9. Si sint coniugati aut patresfamilias, dirigenda erunt Exercitia ad eum finem, ut iuxta divina praecepta familiam regant, liberos et servos instruant; praeterea ut reditibus et facultatibus iuxte ac pie et sobrie utantur, et eleemosynas faciant pro viribus suis, neque excedant in sumptibus, aliaque similia, de quibus agitur in libro Exercitiorum in fine secundae hebdomadae. Hi autem effectus, quos diximus, plerumque solent in anima consequi ex meditationibus ipsis, quamquam alterius materiae; quoniam, cum vere timor vel amor Dei ingeneratus fuerit, facile etiam reliqua vita tota reformatur. Sed tamen, si instructori videretur * propriam aliquam directionem de his dare, vel extra orationem, vel in ipsa oratione per aliquam meditationem, posset etiam hoc fieri. Quod idem intelligimus de aliis quoque hominum generibus, de quibus statim dicemus.

* *Annot. 17 ex 20.*

Quid, si sint ecclesiastici.

10. Si sint ecclesiastici, ita erunt instituendi in Exercitiis, ut cognoscant quantam virtutem exigat ille status, eamque acquirere cupiant, et doleant si non hactenus habuerint. Quare ita dirigendi sunt, ut vitia et pravos affectus exuere decernant, et contrariis se virtutibus ornare, quae ecclesiastico homini necessariae sunt; ut semper meminerint se divino cultui et Ecclesiae ministerio dicatos et consecratos esse, ideoque munus suum implere satagant; ut etiam beneficiorum proventus recte dispensare, et in eos usus, quos oportet, erogare studeant; denique ut etiam zelum Dei habeant, et pro animarum salute iuxta vires, et talentum, et officium elaborent.

Quid, si sint magnates viri.

11. Si sint magnates, aut magistratum aliquem gerant, iis quoque debebunt sua praecepta et documenta tradi, ut iustitiam administrent, ut avaritiam et superbiam fugiant, ut pauperes sublevent, ut se Dei ministros in illo opere esse sentiant, ut semper Dei timorem atque honorem omnibus rebus praeponant, et alia, quae instructor sua prudentia per se videre poterit, et ad ea dirigere eum, quem instruit.

Quid, de valde occupatis.
* *Annot. 19 ex 20.*

12. * Quod si eiusmodi homines propter publica negotia, quae gerunt, vel ob alias honestas causas non poterunt omnino vacare Exercitiis, oportebit accipere quod possunt, ut scilicet aliquas saltem horas quotidie meditationi tribuant. Et tunc etiam poterunt manere in domo sua, ita ut instructor adeat ad ipsos suis temporibus: quod aliquando melius esse posset, quam ut ipsi domum nostram veniant ad instructorem, praesertim cum sunt personae illustriores, quia sic facilius res celatur.

Locus remotus pro Exercitiis.
* *Annot. 20.*

13. Illud tamen longe utilius, * si possent in aliquod praedium aut coenobium secedere, ut fecit Beatus P. Noster Ignatius in monte cassinate. In ipsis autem Exercitiis ita procedendum erit, ut res ac tempus postulabit. Nam, si minus temporis spatium quotidie impendant medita-

tioni, eo magis proroganda erit prima hebdomada, et confessio generalis, et reliqua. Si vero plures horas meditando insumant, poterunt ista omnia celerius expediri, ut magis vel minus accedatur ad consuetam formam Exercitiorum.

His quando electiones dandae.

14. His autem electiones non sunt dandae, nisi forte deliberare vellent de officio vel dignitate aliqua suscipienda vel deponenda, aut etiam de vitae statu iis, quibus integrum est. Monendi autem sunt ut saltem horis illis, quibus meditationi vacant, ab omnibus aliarum rerum cogitationibus se expediant quantum fieri potest.

De rudibus et illitteratis.

15. Si sint rudes et illitterati, non erit multum temporis cum eis insumendum, nec tradenda sunt eis integra Exercitia, sed servandus est modus, qui indicatur in annotatione 18 ex viginti.

De feminis.

16. Ad hoc autem caput pertinent etiam feminae, quarum aliquae interdum expetunt Exercitia, atque ideo cum iis idem modus servari debet, qui cum rudibus, nisi esset aliqua tam bono iudicio et ita capax rerum spiritualium, tantumque otii domi haberet, ut exacte omnia aut maiorem partem facere possit; tunc enim nihil impediret etiam haec fieri. Sed illud observari deberet, quod prudentiae est, ut ipsae in ecclesiam nostram veniant ad accipiendas meditationes; et ita caute procedatur, ne ulla suspicio aut scandalum sequatur. Quam etiam ob causam fortasse expediet ut non dentur meditationes in scriptis, sed voce, ne homines existiment aliquas esse epistolas.

Quod si scripto utendum erit, fiat omnino discrete.

Caput X. — De modo tradendi Nostris Exercitia.

Pro Societatem ingredientibus.

1. Quod ad Nostros attinet, primum quidem iis, qui Societatem ingrediuntur, omnino debent dari Exercitia omnia integra, et iuxta formam in libro praescriptam. Cum enim hoc sit unum ex experimentis, quod Beatus P. Ignatius requirit, requiritur etiam ut fiant plane ut iacent, excepta tamen electione, idque singulas meditationes singulis pagellis descriptas quotidie afferendo; neque enim liber ipse dari debet hac prima vice.

Exa. c. 4 n. 10.

Pro iam provectis.

2. Praeterea in progressu temporis, cum contigerit ut se colligant ad facienda Exercitia, debebunt haec ipsa aliquoties, ut bis vel ter, facere, si non integre, saltem ea quae sunt primae hebdomadae, et aliquot meditationes ex sequentibus, ut de regno Christi, incarnatione, tentatione Domini, institutione Sanctissimi Sacramenti, passione, et illa quae est de amore excitando, prout opportunum fuerit et tempus concesserit.

Causa Nostros exercendi in Exercitiis. *P. 4 c. 8 n. 5.*

3. Quod propterea faciendum est, quia, cum deinde Exercitia aliis daturi sint, omnino oportet ut ipsi ea prius bene nota et perspecta sibi fecerint. Quam etiam ob causam oportet, ut praeter meditationes bene intelligant ac teneant usum quarumdam regularum et annotationum, v. g. annotationes viginti initio libri Exercitiorum positas, examina, additiones decem in fine primae hebdomadae, regulas electionum, discretionis spirituum, et alia eiusmodi. Et ideo legere debebunt librum, et bene intelligere, ac, de quo dubitabunt, quaerere ab eo, qui eis tradit Exercitia.

Quid, post repetitiones.

4. Caeterum postquam ea, ut dictum est, aliquando fecerint et repetierint, reliquo deinde tempore dum nondum ita exercitati erunt in usu meditationum, etsi in quotidianis meditationibus potest quisque pro sua devotione vel necessitate ea meditari, quae Dominus suggesserit, ex Evangelio, Scripturis, vel alia (re tamen pro securiore directione ac utilitate maiore cum Praefecto rerum spiritualium aut cum Superiore communicata); tamen cum agitur de tempore aliquo certo meditationibus et secessioni tribuendo, quod nos communiter Exercitiorum vocabulo appellamus, quia fere expedit ab aliqua purgatione inchoare, convenit ut aliqua Exercitia purgativa non praetermittant, ut de morte et de peccatis, praesertim reflectendo ad ea, quae in Religione admiserint.

Ne dentur alia Exercitia scripta.

5. Neque tamen expedit dare in scriptis Exercitia ista accommodata religioso statui, ut Exercitia Beati P. Nostri Ignatii integra, uti sunt, conserventur, nulla re addita vel transformata: ac praeterea quia etiam ipsi maiorem sine dubio gustum et motum sentient ex iis, quae ipsimet invenerint, quam quae ab alio ita minute enucleata acceperint. Sed tamen instructor potest aliquam instructionem aut lucem dare, et tamquam in via ponere, monendo eum, qui exercetur, ut ipse sibi applicare consuescat; ut v. g. in fundamento, postquam cogitaverit finem hominis, actuet hunc finem in eo statu, in quo nunc est, ut, quoniam iam non potest esse indifferens ad divitias et paupertatem, applicet hanc indifferentiam ad eas materias, quae occurrunt in Societate; et sic de aliis.

Exercitia primae hebdomadae cum Nostris.

6. Notandum est etiam primam hebdomadam debere in Nostris, si semel exacte Exercitia fecerint, ordinarie satis brevi tempore expediri, ita ut etiam interdum minori spatio quam tridui, vel etiam aliquando bidui expediri possit, si ita videatur, ut gradus fiat ad secundam hebdomadam, in qua, ut plurimum, diutius immorandum est. Quare hoc potissimum ex institutoris iudicio pendere debebit, qui, * si viderit aliquem maiore purgatione indigere, poterit et debebit eum diutius in ea retinere, ante omnia conando ut eum inducat ad desiderandam sui ipsius reformationem perfectam.

*Annot. 4 ex 20.

Materia reformationis quae?

7. Materia autem, circa quam haec reformatio versari debet, haec fere est: passiones non bene domitae; mali habitus; perversae inclinationes, ut ad honorem et aestimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates etc.; tentationes ab extrinseco provenientes, praesertim vehementes et crebrae; deinde etiam ministeria Societatis, ut concionari, audire confessiones, habere scholam; denique omnes actiones, quas aliquis componere et ordinare velit, ut comedere, dormire, studere, agere cum externis vel cum Nostris, et alia.

Sui cognitio in primis necessaria.

8. Quare hoc primum curari debet in eo, qui facit Exercitia, ut quam maximam sui ipsius acquirat cognitionem, percurrendo tempus anteactum, et occupationes vel officia, et in iis perpendendo tum multitudinem defectuum suorum, tum etiam gravitatem ratione status et obligationis, tum denique etiam considerando causas, et origines, et radices eorum vitiorum.

Pro spirituali reformatione

9. Ad quam etiam reformationem valde utile est ut in fine primae he-

confessio generalis utilis.

bdomadae fiat confessio generalis de toto tempore Religionis, non quidem semper, quoties Exercitia repetuntur, sed cum aliquis peculiariter motus a Deo vellet instituere novam vitam, seque perfectius reformare. Hoc enim usu compertum est magnopere multis profuisse, et valde iuvisse ad cognitionem sui et emendationem.

Quando aliae meditationes addendae.

10. Quod si viderit instructor eum, qui exercetur, hac ratione iuvandum ad eum finem consequendum, qui intenditur; poterit etiam aliquas meditationes statui cuiusque vel necessitati praesenti accommodatas addere, ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de causis cur vota renoventur, et de ipsa formula votorum nostrorum, de divinis beneficiis, de periculo tepiditatis, et huiusmodi. Interdum etiam ex Summario Constitutionum, praesertim ex praecipuis Regulis, quibus religiosa fere perfectio continetur, ut 11 et 17 et similes; et in universum eae sint materiae, quae ad timorem et amorem Dei, ad sui ipsius odium, virtutis studium, rerum visibilium contemptum, aeternarum desiderium, atque charitatis ardorem augendum pertinent.

Modus meditandi pro parum instructis.

11. Ad faciliorem etiam introductionem eorum, quibus vel non est facultas, vel non vacat per se invenire, poterit via aperiri ad mysteria vitae et passionis Domini, si nonnullae veritates theologicae proponantur, v. g., cum de incarnatione agitur, si causae eius et fructus explicentur; aut cum de passione, si causae acerbitatis eius; si etiam insinuentur modi eam meditandi, v. g. ad compatiendum, ad imitandum, ad admirationem; et sic de aliis.

Quid, cum provectioribus.

12. Postremo, qui sunt iam provectiores in rebus spiritualibus, et meditando magis exercitati, de quibus parte 6, capite 3, § 1, iis, si interdum ad spiritum colligendum et fervorem hauriendum se recipiunt, vel ad aliquod opus aggrediendum, ut missionem aut aliquid eiusmodi, cum nec eadem sit omnium dispositio nec una mensura, non videtur quidquam praescribendum circa materiam; sed possunt ea meditari, quae sibi utilia putaverint ad eum finem consequendum, quem intendunt. Credendum est enim quod ex notitia, quam ex Exercitiis Beati P. Nostri Ignatii antea iam habebant, et ex unctione Spiritus adiuti, inoffenso pede, immo magna cum utilitate per hanc viam current.

Electio Nostris minime danda.

13. Quod attinet ad electionem status, ea non est Nostris danda in Exercitiis. De electione autem negotii aut actionis alicuius consultare non est proprium Exercitiorum; sed potest fieri etiam extra Exercitia omni tempore et occasione; et ideo in hac etiam diligenter instruendi sunt Nostri, ut sciant bene uti regulis eligendi ad indagandam Dei voluntatem et beneplacitum, ut cum Superiores debent statuere de re aliqua dubia, maxime si non possint cum suis consultare, ut dicitur 16 regula Provincialis; et denique in rebus omnibus, quas coram Deo constituere ac definire oporteat, semper admodum iuvat illa praxis, quae in eligendo praescribitur, de qua infra prolixius agemus, et inde peti poterunt, quae Nostros iuvare possint ad intelligendam Dei voluntatem in omni eiusmodi re iuxta cuiusque rei qualitatem.

Caput XI. — De prima hebdomada in universum.

Exercitia in quatuor hebdomadas distributa. *Annot. 4 ex 20.

1. Omnia Exercitia a Beato P. Nostro Ignatio in quatuor hebdomadas distributa sunt. * Quae quidem hebdomadae non tam numero dierum, quam materiae genere distinguuntur ; et ideo non necesse est ut septem vel octo dierum circulus in singulis consumatur, sed sufficit ut illi affectus vel fructus inveniantur, qui in unaquaque exquiruntur.

Quid singulae hebdomadae contineant.

2. Prima continet considerationem peccatorum, ut eorum foeditatem cognoscamus vereque detestemur cum dolore et satisfactione convenienti. Secunda proponit vitam Christi, ad excitandum in nobis desiderium ac studium eam imitandi: quam imitationem ut melius perficiamus, proponitur etiam modus eligendi vel vitae statum, qui sit maxime ex voluntate Dei, vel, si iam eligi non possit, dantur quaedam monita ad eum, in quo quisque sit, reformandum. Tertia continet passionem Christi, qua miseratio, dolor, confusio generatur, et illud imitationis desiderium una cum Dei amore vehementius inflammatur. Quarta demum est de resurrectione Christi, eiusque gloriosis apparitionibus, et de beneficiis divinis, et similibus, quae pertinent ad Dei amorem in nobis excitandum.

In 1 hebdomada sunt media animae purgandae.

3. Igitur, in hac prima hebdomada proponuntur media, quae ad animam purgandam per contritionem et confessionem pertinent, et ad veram poenitentiam in nobis gignendam iuvare possunt. Quare huc omnia dirigere debet, qui facit Exercitia, ut peccati malitiam suamque abiectionem et vilitatem agnoscat, eamque ex animo intime sentiat. Quam ob causam expediret ut hoc tempore, si Sacerdos sit, ex hoc spiritu humilitatis abstineat a quotidiana celebratione (nisi devotio, aut profectus spiritualis, aut aliqua obligatio ad id impellat), ut postea, generali confessione peracta, maiori cum praeparatione, fiducia ac reverentia ad Sacrificium altaris redeat.

Hebdomada 1, cum sit basis caeterarum, numquam omittenda.

4. Notandum etiam hanc primam hebdomadam esse fundamentum ac basim caeterarum, et ideo numquam praetermitti debere. Unde, etiam si quis alia Exercitia huius hebdomadae, aut etiam omnia integra fecisset, et denuo ea repetere vellet, tamen hinc incipiendum esset, quamvis brevius expediri posset.

Quid ante Exercitia faciendum.

5. Igitur postquam aliquis in eum locum venerit, ubi Exercitiis vacaturus est, ea ipsa die debet instructor ad eum adire, et, priusquam tradat fundamentum, debet ei explicare aliquas ex annotationibus, nempe primam et quintam, et ex decima septima illam admonitionem de animo aperiendo, item ex vigesima id quod dicitur de utilitate secessus in loco separato. Quod etiam opportunitatem ei dabit, ut eum moneat de iis, quae supra, capite 2, diximus eum esse monendum, cum ea tamen dexteritate, quam ibi diximus, nempe ut non omnia simul, sed quantum prudentia dictabit.

De 1 annotatione ante fundamentum.

6. Annotatio autem illa ante fundamentum, quae incipit : *In primis ut per huiusmodi* etc. expediet magis hoc tempore ut non proponatur ita in genere, quando quis incipit Exercitia ; sed in discursu Exercitiorum, si quid dubium vel obscurum occurrat, aut ob aliquam eius, qui exercetur, diffidentiam videatur opportunum, tunc ei explicari poterit.

Caput XII. — De fundamento.

De consideratione ultimi finis sive fundamenti.

1. Primus ingressus in hanc primam hebdomadam sit per considerationem ultimi finis; quae consideratio ideo dicitur fundamentum, quia est basis totius aedificii moralis et spiritualis.

Dividi potet in tres partes.

2. Potest autem dividi in tres partes: primo in finem, propter quem homo creatus est; secundo in media ad consequendum hunc finem; tertio in difficultatem eligendi hoc vel illud medium, cum ignoremus quid magis aptum sit ad huius finis consecutionem; omnis autem error in hac parte non possit esse non damnosus et periculosus. Ex quo nascetur etiam quartum, ut homo ponat se in illa omnimoda indifferentia et aequilibrio.

Indifferentia magni momenti.

3. Haec autem indifferentia est maximi momenti: et admonendus est, qui se exercet, quanto altius hoc fundamentum iecerit, tanto firmius futurum aedificium; idque etiam indicavit Beatus P. Noster Ignatius annotatione decima quinta et decima sexta ex viginti.

Meditatio fundamenti, ne videatur aridior, iuvanda.

4. In danda hac meditatione, maxime quia nonnullis, cum nondum assueverint orationi, videri potest aridior, addi poterunt aliquae excursiones ad meditandum, ut in eo quod dicitur creatum esse hominem, potest simul cogitari, a Deo esse creatum de nihilo, et simul quot et quanta in creatione habuerit, et praeterea quomodo semper ab illo in esse conservetur.

Quis scopus huius meditationis.

5. Sed horum consideratio non tam dirigenda est ad gratitudinem, ut fit cum considerantur beneficia Dei, verum ad scopum huius fundamenti, nempe quod illa omnia a Deo data sint, ut perveniremus ad illum ultimum finem. Unde etiam potest homo in hac meditatione reflectere cogitationem ad seipsum, quomodo hactenus habuerit se ad finem et ad media, quantum aberraverit quod creaturis abusus sit, quae illi adiumento esse debuerunt; ut iam quasi in generali iaciat fundamenta ad cognoscendam deformitatem vitae suae, quod postea uberius et magis particulariter faciet in meditatione peccatorum.

Tempus huius meditationis quale.

6. In meditatione huius fundamenti liber Exercitiorum non praescribit certas horas, ut fit in Exercitiis sequentibus; sed, ut facili initio inchoemus, unusquisque pro viribus et pro devotione sua ad id tempus sibi assumat; vel, si opus sit, instructor ei praescribat.

Firmiter animo haereat haec meditatio.

7. Debet autem curare ut cognitio huius veritatis, quae in fundamento tractatur, quam maxime menti infigatur: quoniam, ut fundamentum fabricae totam ipsam sustinet, ita haec veritas influit in omnia Exercitia, et praesertim in ipsam electionem status, quae tota fere hinc pendet. Et ideo, quo melius haec meditatio successerit, eo etiam melius reliqua succedent.

Caput XIII. — De duplici examine.

Quid faciendum instructori tempore meditationis fundamenti.

1. Dum durat meditatio fundamenti, debet instructor exercitantem aliquoties visitare, et semper ei aliquid novi in scriptis afferre, quia sic videtur quodammodo levari taedium et melius etiam percipi quae singula proponuntur.

Examen particulare quando dandum.

2. Igitur in primo congressu post datum fundamentum datur examen particulare, in quo tradendo significandum est in quovis homine unum aut alterum vitium sive peccatum

esse solere praecipuum, et quod in eo sit quasi causa et radix aliorum.

Vitiorum exstirpatio.

3. Et licet in aliquo plura essent praecipua, expedire tamen ut unum deligatur, ad quod exstirpandum toti incumbamus, ut, eo superato, ad aliud et aliud deinceps peculiarem hunc conatum et studium transferamus.

Perutile examen particulare.

4. Huic igitur rei serviet examen particulare, cuius usus, etsi post peracta Exercitia esse debet toto vitae tempore, nunc tamen inchoatur, tum ut aliqua eius peritia acquiratur, tum etiam hoc examine uti oportet circa Exercitia et eorum additiones.

Huius examinis usus commendandus. ***Cassianus Collat. 5 c. 14.***

5. Est autem multum commendandus huius examinis usus propter magnam eius utilitatem, praesertim ad consequendam animi puritatem, ut docet Cassianus Collatione 5, et S. Bernardus saepe. Itaque in fine Exercitiorum, cum discedenti dantur praecepta vitae bene instituendae, hoc in primis inculcandum est. Additiones autem illae quatuor dictandaene sint an verbo tantum explicandae, prudentiae instructoris relinquatur.

Quando et quomodo dandum examen.

6. Deinde eadem die et sequenti datur examen generale et quotidianum. Non autem datur per modum meditationis, sed instructionis cuiusdam, et ut homo incipiat aperire oculos ad cognoscenda peccata vitae praeteritae.

Aliunde petenda species peccatorum.

7. Quod vero attinet ad examen generale, non est dubium quin aliae etiam multae sint peccatorum species, quae hic non ponuntur; sed vel hic ea tantum peccata attinguntur, quae frequentius accidunt, reliqua autem peti possunt ab aliis auctoribus, qui ex professo de hoc agunt; vel hoc examen pro iis tantum conscriptum est, qui iam paulo magis spirituales sunt, et ab aliis gravioribus peccatis abstinent, in haec autem frequentius incidere solent. Itaque non fuit mens Beati P. Nostri Ignatii tam brevi tractatione omnia peccata comprehendere, sed tantum, ut dictum est, pios animos admonere de iis, quae frequentiora sunt.

Examen quotidianum.

8. Porro examen quotidianum, quod quinque puncta complectitur, dictetur prout iacet. Ad illud autem faciendum iuvat illa lux, quam praebet examen generale per illam distinctionem peccatorum, quae fiunt cogitatione, locutione et opere.

Caput XIV. — *De primo exercitio primae hebdomadae.*

Quis ordo in tradendis Exercitiis.

1. Circa ordinem tradendi Exercitia, sequendus est is, qui ponitur in ipso libro Exercitiorum, nempe ut prima hora fiat exercitium trium potentiarum, secunda autem peccatorum, tertia vero et quarta repetitiones utriusque; si autem addatur etiam quinta hora, fiat de inferno. Sin fiant tantum quatuor horae, hoc exercitium de inferno differendum erit in diem sequentem; quo eodem die possunt dari etiam alia exercitia de morte, de iudicio, cum suis repetitionibus. Tertio die proponenda erit eadem materia, sed cum aliquibus novis punctis, ut, in materia peccati, proponendo effectus, quos facit in animo, aut aliquid eiusmodi; sic enim tollitur taedium, et materiae profundius penetrantur.

Primum exercitium trium potentiarum.

2. Porro primum exercitium illud est, quod appellatur trium potentiarum, non quia in aliis etiam non exerceantur hae tres potentiae; sed voluit Beatus P. Noster Ignatius in hoc quasi aditu et principio omnium Exercitiorum viam monstrare, quae

in meditando tenenda est, nempe: ut per memoriam adiuvaretur ratio ad discurrendum sive ratiocinandum; per discursum autem excitaretur voluntas et affectus; idque actuare voluit in materia peccati, quae prima occurrebat ad meditandum.

Quid in primo exercitio explicandum.

3. Itaque in hoc primo exercitio sunt singillatim explicanda, Exercitia sumenti, omnia quae in sequentibus exercitiis futura sunt usui: qui scilicet modus servandus ut cum attentione et sine capitis laesione perseverari possit; et quomodò se animus colligere, collectumque tenere debeat; et, quod licet adhibendus sit intellectus ad cogitandum, maior tamen habenda est cura affectus et interioris gustus, quam ut multi conceptus, quantumvis pulchri et acuti, formentur, et alia eiusmodi.

Praeludia quaenam sint declaranda.

4. Hic etiam declaranda sunt praeludia, quorum usus praescribitur in omnibus Exercitiis: et in primis quid sit compositio loci, quae nihil aliud est, quam fingere sibi et quasi videre oculis imaginationis locum illum, in quo res, quam meditamur, gesta est: ut stabulum in quo Christus natus est, aut coenaculum grande stratum, in quo Apostolorum pedes lavit, aut montem in quo passus est.

Ad quid iuvet loci compositio.

5. Hac enim loci compositione valde iuvamur ad attentionem et motionem animae, quae hoc modo, quasi alligata phantasia rei illi certae, alligatur ipsa quoque quodammodo ne evagetur; aut, si quando divertat, habet ad manum quo se facile colligat, et revocet in situm illum suum, in quo se ab initio composuit. Unde S. Bonaventura in prooemio de Vita Christi: *Tu,* inquit, *si fructum ex his sumere cupis, ita te praesentem exhibeas his, quae per Dominum Iesum Christum dicta et facta narrantur, ac si tuis auribus audires et oculis ea videres toto mentis affectu diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis.*

In quo locum habeat.

6. Atque hoc quidem locum habet in meditatione rerum corporearum; nam in rebus incorporeis, ut est peccatum et similia, alia quaedam est instituenda compositio loci, de qua dicitur satis clare in libro Exercitiorum in exercitio trium potentiarum.

Quid in compositione loci vitandum.

7. Denique in hac loci repraesentatione vitandum est diligenter ne nimis in ea fabricanda immoremur, vel nimiam vim capiti faciamus; quia non consistit in ea fructus praecipuus meditationis, sed est tantum via et instrumentum ad ipsum fructum. Nec est dubium quin aliqui maiorem in hac re habeant facilitatem, in quibus videlicet acrior est vis potentiae imaginativae. Alii vero, quibus hoc difficilius est, non ita laborare debent, ut caput obtundant, quo ipsam meditationem impedirent.

Caput XV. — De aliis exercitiis primae hebdomadae.

In secundo exercitio de quo monendus exercitans.

1. In secundo exercitio, in primo puncto monendus est exercitans, ne descendat ad examinanda peccata singillatim, ut fieri solet cum quis sè ad confessionem parat, hoc enim postea facturus extra meditationem; sed hoc tempore in genere tantum proponat sibi sua peccata, eorumque multitudinem et magnitudinem, ut concipiat confusionem et dolorem. Ad hoc autem confert percurrere loca, negotia et personas, ut hic dicitur.

Qui usus repetitionum exercitiorum.

2. Tertium et quartum exercitium constat ex repetitione primi

et secundi. Harum autem repetitionum usus est valde utilis; saepe enim fit, ut, cum eiusmodi materiae primum cogitantur, intellectus pascatur illa rerum novitate, ac curiositate quadam; postea vero, cum speculationem moderamur, magis aperitur via internis affectibus, in quibus potissimum consistit fructus. Quare in his repetitionibus vitandi sunt longi discursus, sed tantum proponere sibi oportet et quasi percurrere quae prius meditati sumus, et in iis immorandum voluntate et affectu: et haec etiam est causa, cur plura hic colloquia sint, quam in prioribus exercitiis.

Intelligentia tertii exercitii primae hebdomadae.

3. Quod autem dicitur in libro Exercitiorum in tertio exercitio primae hebdomadae, repetitionem hanc faciendam de iis, in quibus antea maiorem consolationem aut desolationem senserimus; ita intelligendum est, ut praecipue repeti debeant ea, quae lumen aut fervorem attulerunt: sed etiam expedit illa puncta repetere, in quibus ariditatem sensimus; quia saepe contingit ut deinde in ipsis maiorem consolationis copiam sentiamus. Immo etiam bis repeti potest idem, si magna sentitur consolatio aut alius bonus et spiritualis affectus, et hoc potissimum in prima hebdomada.

Praeter quinque, alia possunt addi.

4. Praeter quinque haec exercitia Beati P. Nostri Ignatii, possunt addi alia, ut in fine quinti exercitii dicitur, ut de aliis peccati poenis, de morte, de iudicio, vel de aliis cruciatibus inferni: et quidem haec rarissime omittenda videntur, quia multum habent momenti ut avocetur animus ab inordinato amore rerum harum visibilium, et in his meditationibus concipit anima timorem sanctum Domini, ut pariat spiritum salutis.

Quando facienda colloquia.

5. In fine cuiuslibet exercitii semper fieri debet colloquium, ut in libro Exercitiorum praescribitur: nec tamen prohibetur quin iuxta cuiusque devotionem etiam in principio et in medio alia colloquia et petitiones fieri possint; immo etiam aliquando expedit. Proprius tamen locus est in fine, cum anima ex meditatione magis elevatam se sentit; illa enim sunt aptissima colloquia, quae formantur ex affectu interiori varia, ut ipse affectus varius est.

Varii modi agendi cum Deo.

6. Interdum enim homo agit cum Deo ut filius cum patre; interdum, ut servus cum Domino; modo, ut amicus cum amico; modo etiam, ut reus cum iudice; aliquando etiam petens aliquod donum; aliquando gratias agens de beneficiis acceptis; alias accusando se ipsum; alias communicando cum eo familiariter.

Intelligentia tertiae annotationis ex 20.

7. In quo notandum quod dicitur in tertia annotatione ex viginti, haec colloquia, quando fiunt cum Deo aut cum Sanctis, requirere maiorem reverentiam, quam ipsas meditationes et speculationes. In particulari vero colloquium secundum ad Christum, ut impetret a Patre, explicandum erit rudioribus, hoc intelligi, non ut est Deus, sed ut homo mediator et advocatus, ut interpellet pro nobis.

Additiones primae hebdomadae quando dandae.

8. Additiones, quae in libro Exercitiorum ponuntur in fine primae hebdomadae, dandae sunt pridie quam incipiantur Exercitia (nempe meditatio, quae dicitur trium potentiarum, et reliquae) quia in iis agitur de multis, quae adiuvant meditationem. Decima tamen additio posset differri in sequentem diem, quia non est adeo necessarium ut detur illo die. Deinde

sequentibus diebus dandae sunt reliquae additiones, et regulae de discernendis spiritibus, quae conveniunt primae hebdomadae, et quae convenire videbuntur exercitanti; quas tamen non erit semper necesse scripto dare, sed id instructoris iudicio permittitur.

Additiones exacte servandae.

9. Hae additiones curandum est ut exacte serventur, quia ex ipsis valde pendet fructus spiritualis Exercitiorum; quamquam ex altera parte caveri etiam debet omnis excessus, et habenda est ratio personarum et complexionum, ut, si qui essent natura melancholici, non debent nimium coarctari, immo potius dilatandus est eis animus; et idem de personis imbecillioris valetudinis, et insuetis ad hos labores; et ideo opus est prudentia et discretione. Experientia enim ostendit quibusdam profuisse quod eis concederetur aliqua laxitas in his regulis servandis; aliis autem profuit severitas et rigor, semper tamen mixtus suavitate.

Caput XVI. — De confessione generali.

Quando ad generalem confessionem excitandus.

1. Sive, qui se exercet, versetur in primis quinque exercitiis, sive alia adiungantur, cum iam id satis consecutus videbitur, quod in hac hebdomada ut finis proponitur, nimirum cognitionem intimam peccatorum et veram contritionem, et ad id serio conatus et divinae gratiae cooperatus tam per exercitia, quam per additiones iudicabitur; moneri debet ut se ad generalem confessionem disponat. Et, nisi instructori nimium fatigatus videatur, poterit adhuc pergere in meditando per unam aut alteram horam aliquid, quod ad compunctionem peccatorum faciat, vel, si id magis expedire iudicetur, aliquid legendo ad eum finem.

Indicandae utilitates confessionis generalis.

2. Ut autem hoc diligentius et accuratius faciat, indicandum est ei quantae sint utilitates huius confessionis generalis, de quibus utilitatibus agitur in ipso libro Exercitiorum post examen generale. Quod si nulla alia esset, hoc certe satis esse deberet, quod experimur homines plerumque aut sine examine sufficienti aut sine debito dolore, nullo vel valde infirmo melioris vitae proposito, ad confessionem accedere, ac propterea ad consequendam pacem conscientiae, et ad tollendos scrupulos, qui, si non antea, saltem in puncto mortis animam excruciare et in periculum salutis aeternae adducere solent, multum prodest semel se ab omnibus ante actae vitae peccatis abluere.

Quae diligentia servanda in huiusmodi confessione.

3. Quam etiam ob causam, etsi cavendum est a nimia anxietate in facienda hac confessione, ne semper deinde maneant scrupuli ac reliquiae, ut quibusdam contingit; tamen ex altera parte studendum et conandum est, ut ita diligenter atque accurate fiat, ut postea secura esse possit anima se fecisse quod in se erat: nam sine hoc numquam frui poterit illa pace animi et tranquillitate conscientiae, quam diximus. Ideo, praeter proprium studium et diligentiam ipsius, qui Exercitia suscipit, iuvandus est etiam aliqua via et methodo, nempe directorio aliquo ad bene confitendum, cuiusmodi iam multa exstant bona et apta, si opus fuerit, et pro cuiusque indigentia.

Quibus Navarri Summa legenda.

4. Aliquando etiam, praesertim insignioribus hominibus, proderit dare legendam Summam Navarri ubi agit de statibus, ut attente conside-

rent quae ad suum statum pertinent. Sic enim melius videbunt in quibus defecerint, quae si Nostri per se proponerent, fortasse non tantam iis fidem haberent, et possent putare eos esse nimios in urgendis conscientiis.

Cui facienda confessio generalis.

5. Hanc generalem confessionem, ut plurimum, magis expedit non fieri ei, qui tradit Exercitia; si tamen, qui suscipit, ei confiteri mallet pro sua devotione vel Sacerdotum penuria, aut aliae causae ita exigerent, nihil impediret quin etiam ipsi fieri posset.

Caput XVII. — De fine primae hebdomadae.

Primae hebdomadae tempus quando contrahendum aut prorogandum.
** Annot. 4 ex 20.*

1. Quoniam, ut supra dictum est, * Exercitiorum hebdomadae non dierum spatio definiuntur, sed ex effectu, qui in eis praetenditur; ideo huius primae hebdomadae tempus vel contrahi vel prorogari poterit, prout citius vel tardius quisque contritionem, devotionem vel meditandi modum assecutus fuerit. Alii enim celerius, alii serius eo perveniunt. Illud tamen notandum, eos homines, qui multum proficiunt in via spiritus, et qui iam ab aliquo tempore sacramenta frequentant, aut qui multum cupiunt statuere de modo vitae suae, in quo magis Deo Domino servire possint, non esse diu detinendos in hac prima hebdomada. Immo, si fieri possit, quatuor aut quinque diebus absolvere eam debent. Contra vero faciendum in iis, qui non ita dispositi sunt. Hi enim, ut peccata sua defleant, et ut peccati turpitudinem ac foeditatem agnoscant, debent diutius in his exerceri, mutando subinde rationem victus somnique et alia genera poenitentiae, ut habetur in Exercitiis notabili tertio post additiones primae hebdomadae.

2. Qui, absolutis exercitiis primae hebdomadae, ad reliqua progressurus est, postquam generaliter confessus fuerit et communionem sumpserit, saltem per unum diem vacare debet ab illo labore tam intenso meditandi. Interim tamen posset in mente versare parabolam illam filii prodigi, applicando eam ad seipsum, aut aliquid eiusmodi. Porro ad communionem est ita etiam disponendus, ut ad eam accedat cum reverentia, et fide, et gustu, et ob eam causam danda est ei aliqua meditatio ad hoc apta.

Caput XVIII. — De secunda hebdomada; et primo de fine, qui in ea praetenditur.

Scopus exercitiorum primae hebdomadae.

1. Finis et scopus, qui exercitiis omnibus primae hebdomadae praefixus est, hic praecipue est, cognoscere quod erravimus ab ea via, quae nos ducere debebat ad ultimum illum finem, cuius causa creati sumus; et consequenter dolere de tali et tanto errore, et concipere intensum desiderium redeundi in illam viam, et in ea semper perseverandi.

Finis secundae.

2. In hac autem secunda hebdomada finis est proponere sibi Christum Dominum ac Salvatorem nostrum, ut veram viam, iuxta illud, quod ipse dixit: *Ego sum via, veritas, et vita: Nemo venit ad Patrem nisi per me.* *Ioan. XIV, 6.*

Ipse enim est exemplar a Patre hominibus propositum, cuius imitatione emendemus et componamus mores nostros corruptos, et dirigamus pedes nostros in viam pacis. Quare, cum Christi vita sit perfectissima, et ipsa idea virtutis et sanctitatis, se-

quitur ut, quo vita nostra propius ad eum imitatione accesserit, ipsa quoque perfectior sit, immo et propius accedat ad ultimum finem suum, ideoque eo etiam felicior sit.

Secunda hebdomada respondet viae illuminativae.

3. Propter hanc causam haec secunda hebdomada respondet viae illuminativae, quia Christus est sol iustitiae, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et ad hoc venit, ut illuminaret sedentes in tenebris et umbra mortis. Et, quoniam peccata et pravae affectiones obtenebrant animam, eamque impediunt et retrahunt a Christi imitatione, ideo haec prius eradicanda ex corde erant primis illis exercitiis et meditationibus.

Quaenam dispositio in facientibus haec exercitia requirebatur a S. P. N.

4. Dispositio, quam Beatus P. Noster Ignatius requirebat in iis, qui facturi essent exercitia huius hebdomadae, est, ut ostendant fervorem ac desiderium progrediendi ulterius ad deliberandum de statu vitae. Quare, qui hoc nollet vel tepide vellet, etiamsi cuperet progredi in meditationibus, melius esset eum differre ad unum aut alterum mensem. Hoc enim negotium eiusmodi est, ut, nisi cum fervore spiritus suscipiatur, non possit habere bonum successum; requirit enim magnum et fortem et constantem animum, qui ex augmento devotionis proveniat.

Quando quis non est admodum capax.

5. Verum est, quod si quis esset, a quo nihil magnum sperari posset, quia non esset admodum capax, vel impeditus esset statu matrimonii, posset pro eius captu aliquid addi de sequentibus hebdomadis, ut dirigatur in statu, in quo est, ad bene vivendum in eo.

Cum fame relinquendi.

6. Caeteros autem melius est relinquere cum fame, ut sciant adhuc sibi restare aliquid, quod faciant. Contingit enim saepe, ut hac dilatione experientia ipsa apertius eis detegat suas necessitates et infirmitates; quod facit, ut deinde ardentiores et magis dispositi redeant.

Caput XIX. — De primis quatuor exercitiis secundae hebdomadae.

Primum exercitium secundae hebdomadae quid sit.

1. Primum exercitium in hac secunda hebdomada est de Regno Christi, quod tamen non computatur inter meditationes, quia prima est de incarnatione Domini. Est igitur quasi fundamentum quoddam, aut prooemium totius huius tractatus, et summa ac compendium vitae et operum Christi Domini in eo negotio, quod ei commiserat Pater, de quo Isaias: *Opus eius coram illo.* Et ipse Dominus: *Opus, quod dedisti mihi ut faciam.* Et addit quidnam id esset: *Clarificavi te super terram; manifestavi nomen tuum hominibus.* Vocat autem omnes homines in societatem tanti et tam gloriosi operis, unumquemque iuxta suum gradum. Ex quo iam incipit apparere diversitas graduum in imitatione Christi.

Isa. LXII, *11.*

Ioan. XVII, *4, 6.*

Quae dispositio necessaria.

2. Dispositio autem, quae requiritur in anima eius, qui facit Exercitia, haec est, ut, quantum est ex sua parte, tendat in id, quod perfectius est, si Dominus dederit gratiam et vires. Unde aperte colligitur ex hoc iam loco animam incipere praeparari et disponi ad electionem status, quae postea suo loco expressius proponetur. Sic enim mirabili quodam artificio Spiritus Sancti hic anima excitatur ad perfectionem, ut deinde hanc eamdem perfectionem eliciat et indaget in omnibus sequentibus meditationibus, incarnationis, nativitatis et aliarum; et ita perfectionis semina, quae hic sparguntur, per illas deinde me-

ditationes latenter crescant et promoveantur, donec in tempore electionis suum fructum ferant. Atque hoc bene notandum est instructori pro sua directione, non quod de hoc monere debeat exercitantem, sed potius sinat res ipsas per se in eius anima operari vimque suam exercere.

Cui danda haec meditatio.

3. Neque hoc tamen impedit, quin haec meditatio, sicut etiam quae deinde sequitur de duobus vexillis, tradi possit etiam iis, qui non sunt facturi electionem, quoniam etiam hi ea iuvari possunt; siquidem in genere tantum agunt de iis, quae ad maiorem Dei gloriam ab unoquoque fieri possunt in Dei obsequio pro cuiusque capacitate.

Quare in secunda hebdomada addatur unum praeludium.

4. In hac secunda hebdomada notandum est addi hic unum praeludium. Nam, cum in prima hebdomada primum praeludium sit constitutio loci, hic ante constitutionem loci ponitur quaedam repraesentatio historiae seu mysterii quod meditandum occurrit. Hoc autem non ita intelligendum est, ut tunc immorari debeamus in meditando illo mysterio; sic enim nihil differret praeludium a meditatione; sed ita est accipiendum, ut in primo illo praeludio proponatur historia generatim et quasi tota in communi, ut sciatur materia, de qua tunc cogitandum est, et anima incipiat in ea actuari et ad eam elevari; deinde vero in ipsa meditatione incipiat in singulis eius partibus immorari, easque ponderare et penetrare. Ut cum quis coniicit oculos in tabulam aliquam pictam, in qua sit varietas rerum pictarum, prius unico intuitu omnia confuse cernit, et scit quid in ea tabula contineatur; postea vero figit oculos in singulis particularibus rebus, quae ibi pictae sunt, easque singillatim melius et accuratius perpendit.

Unde sumenda puncta harum meditationum.

5. Quod autem attinet ad puncta harum meditationum, sumenda erunt in fine libelli Exercitiorum, ubi mysteria vitae Christi ordine posita sunt, distincta fere singula tribus punctis; etsi simplicioribus, qui ea non legerint aut legere non possint in Evangeliis, explicatius tradi oportebit, addita brevi declaratione, ut dicitur secunda annotatione ex 20. Unde, quod in meditatione incarnationis et nativitatis etiam dicitur de contemplandis personis et earum verbis et operibus, intelligi debet referendo ad illam, quam diximus, distributionem, quae in fine libri ponitur, nempe cogitando haec in singulis punctis, ut occurrunt ordine suo; non autem quod necessarium sit omnes prius personas totius mysterii, deinde omnia verba eiusdem, ac demum opera separatim meditari; hoc enim, praesertim in quibusdam meditationibus, pareret confusionem.

Cur meditatio in punctis.

6. Quare hoc tantum voluit Beatus P. Ignatius, regulam dare in singulis punctis, quo meditantis intentio ferri debeat, primum quidem in ipsas personas, quae in illo puncto occurrunt, tum ad verba, si prius verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita, absoluto uno puncto, transeatur ad aliud, eumdem ordinem in eo servando.

Alia praeterea addi possunt puncta.

7. Caeterum, etsi hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur quin possint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes et affectus personarum interiores, tum etiam virtutes, et praeterea modus et finis mysteriorum quae occurrunt, causa item et effectus, tempus, et reliquae circumstantiae, ut foecundior

sit meditatio, et maior eius fructus.

CAPUT XX. — De quinto exercitio secundae hebdomadae, quod est applicatio sensuum.

De quinto exercitio, videlicet de applicatione sensuum.

1. Exercitium quintum, quod est applicatio sensuum, est facile valde et utile, imaginando nos videre personas et audire verba aut strepitum, si qui fit, vel tangere aut osculari sive loca sive personas, quod tamen fieri debet cum omni reverentia, et modestia, ac timore. Olfactum Beatus P. Noster Ignatius refert ad odorandam fragrantiam animae ex donis DEI, et gustum ad gustandam eius dulcedinem, quod utrumque significat praesentiam quamdam rei vel personarum, quas meditamur, cum gustu et amore earum tenero.

Intelligentia illius notandi, post medit. de incarn. et nativ., faciendam esse applicationem sensuum.

2. Quod autem hic dicitur, facta meditatione incarnationis et nativitatis, faciendam deinde separatim hanc applicationem sensuum, intelligendum est, idem deinceps fieri debere in reliquis meditationibus vitae Christi. Quod non ita accipiendum est, quasi hanc applicationem debeamus habere seiunctam ab omni materia meditationis, sed ut praecipuus scopus circa mysterii considerationem sit sensuum applicatio.

In quo differt applicatio sensuum a meditatione.

3. Differt autem applicatio ista sensuum a meditatione, quoniam meditatio est magis intellectualis, et magis versatur in ratiocinatione, et omnino est altior; discurrit enim per causas illorum mysteriorum et effecta, et in eis investigat attributa DEI, ut bonitatem, sapientiam, charitatem et reliqua. At vero applicatio non discurrit, sed tantum inhaeret in illis sensibilibus, ut in aspectu, et auditu, et reliquis eiusmodi, quibus fruitur et delectatur cum profectu spirituali.

Eius duplex utilitas.

4. Est autem eius duplex utilitas: interdum enim, cum anima non potest profundiora speculari, dum in his immoratur, paulatim disponitur et elevatur ad illa altiora. Interdum autem contra, anima iam impinguata, fervens devotione ex cognitione illorum mysteriorum altiorum, descendens deinde ad haec sensibilia, in omnibus invenit pastum, et consolationem, et fructum ex abundantia amoris, qui facit ut minima quaeque ac vel ipsi nutus magni fiant, et materiam amoris et consolationis praebeant.

Unde sumenda Christi mysteria.

5. In mysteriis Christi tradendis debet instructor ea desumere ex ipso libro Exercitiorum in fine, ubi, ut dictum est, descripta sunt cum suis punctis. Quare, qui magis versati sunt in meditando, iis satis erit dictare vel dare in scriptis puncta ut ibi habentur, admonendo ut semper eamdem formam teneant, quam prima die. Cum aliis autem minus versatis oportebit ad particularia magis descendere, accommodando praeludia ad materiam, et introducendo eos, ut sciant sibi proponere personas cum suis circumstantiis, tum earum verba et facta etc.

CAPUT XXI. — De meditationum horis, lectione spirituali, et eo, qui exercetur, visitando.

Exercitanti quando danda relaxatio.

Ex Notabili in die secunda secundae hebdomadae.

1. Si, qui se exercet, fatigatus videatur, immo, etiamsi non adeo fatigatus sit, tamen, ut melius durare possit, expedit ut detur illi aliqua relaxatio in horis meditandi; et tunc omitti poterit meditatio, quae fit media nocte, et retineri aliae quatuor horae.

De lectione in secunda hebdomada.

2. Potest etiam in hac hebdomada et sequentibus post absolutas meditationes reliquo tempore legi aliquis liber, sed eiusmodi, qui pietatem potius nutriat, quam intellectum novitatibus exerceat, ut sunt aliqua ex operibus S. Bernardi, vel Gerson de Imitatione Christi, vel Granata. Si vero liber hic contineret aliquem tractatum de Christi mysteriis, non expediret ut ea legerentur, de quibus postea faciendae sunt meditationes, sed de quibus iam factae sunt, vel quae eo die sunt faciendae.

Ex Notabili primo secundae hebdomadae post meditationem primae diei.

Quando visitandus qui exercetur.

3. Quod attinet ad visitandum eum, qui exercetur, semel saltem esset visitandus in die, excepto tempore electionis, quo tempore solent incidere frequentiores desolationes et perplexitates, quae crebriorem visitationem requirunt.

Caput XXII. — De electione, quanti momenti sit, et quis ordo in hac materia servandus.

Electionis difficultas.

1. In omnibus Exercitiis nullus est difficilior locus, aut qui maiorem dexteritatem et discretionem spiritualem requirat, quam electionis; quoniam hoc tempus expositum est diversis motibus animi et saepe etiam erroribus, cum homo non solum a malo vincatur, sed plerumque etiam boni et recti imagine fallatur.

Attendenda electionis necessitas et gravitas.

2. In hac ergo materia illud ante omnia intelligendum videtur et ante oculos tenendum, quanti referat eligere statum vitae. Nam si homo, ut rationalis, debet omnino suis actionibus ponere finem congruentem rationi, christianus autem debet omnia opera sua dirigere ad finem supernaturalem; si haec ergo in singulis actibus fieri debent, quanto magis in capiendo statu, ex quo scilicet consequuntur fere omnia opera vitae nostrae, ita ut, si finis ipsius status sit vitiosus, ea etiam, quae ad finem consequuntur, oporteat esse vitiosa?

Indifferentia ad electionem.

3. Deinde, ut in corpore animantis plura sunt membra, neque omnia membra sunt oculus aut omnia pedes, ut ait S. Paulus, ita in hoc corpore Ecclesiae oportet esse varios gradus et status. Huius autem divisionis et partitionis auctor est Spiritus Sanctus, ad quem pertinet singulis suum locum tribuere. Unde Apostolus eodem loco: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ex quo constat, ut famuli a suo Domino suo quisque operi ac muneri destinantur, sic homines a Deo: ac proinde non debere hominem impedire in se ipso id, quod Deus in eo et de eo agere vult; sed oportere ut ei fideliter serviat in quacumque re eius maiestas voluerit.

I Cor. XII.

I Cor. XII, 4, 5, 6.

Utilitas talis electionis.

4. Accedit etiam propria utilitas, eaque magna, quoniam pertinet ad salutem aeternam. Nam, etsi Deus nemini negat auxilium necessarium ad salutem, tamen non est dubium quin iis multo abundantius gratiam suam et lumen atque opem communicet, qui non se in aliquem vitae statum ex libito suo intruserunt, sed eum elegerunt, quem praemissa diligenti consideratione putarunt esse iuxta divinum beneplacitum.

Dei, non autem nostra sequenda voluntas.

5. Denique, si nos in tanta re nostro iudicio ac placito gubernare velimus, facile in maximos et maxime perniciosos errores incidemus; si vero Dei voluntatem exsecuti fuerimus, ille, ut Pater et Creator noster, nihil

de nobis statuet quod nobis utile et salutare non sit, immo vero etiam aptum et accommodatum nobis; quoniam ipse noscit figmentum nostrum.

Haec omnia suggerenda.

6. Haec igitur et alia in hanc sententiam, non solum instructori utilia erunt, ut in hoc negotio magnum studium adhibeat; sed multo magis ei, qui facit Exercitia, ut videat quo animo aggredi debeat rem adeo necessariam.

Partitio sequentium capitum.

7. Igitur, ut in hoc tractando aliquis ordo servetur, primo dicemus quales esse debeant, qui ad electionem admittuntur; secundo, quales ii, qui eos dirigunt; tertio, quae sint res, de quibus est electio; quarto, quae in ea regulae servandae; quinto, quis sit ordo et praxis electionis faciendae.

Caput XXIII. — Quales esse debeant qui ad electionem admittuntur.

Quinam ad electionem admittendi.

1. Circa primum, apertum est non omnes esse admittendos ad electionem status. Qui enim iam tenent statum determinatum, ut coniugati aut Religiosi, non debent de hoc agere, sed tantum iuvari debent ut in suo quisque statu ad perfectionem tendat pro mensura gratiae, quam ei Dominus Deus concedet. Qui autem adhuc statum non habent, non tamen omnibus indifferenter dari debet electio, ut habetur in septima parte Constitutionum, capite 4, littera F, ubi dicitur quod non nisi paucis, iisque huiusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur. Igitur qui vel incapaces essent huius perfectionis, cuiusmodi sunt leves natura et inconstantes, quos in primis explorare oportebit nec ullo modo admittere ad electionem, aut quos constet habere passiones quasdam indomitas aut malos habitus, qui videantur incorrigibiles, non essent admittendi, nisi tam certa signa essent peculiaris cuiusdam gratiae, ut haec omnia suppleret.

Necessarium est desiderium et petitio.

2. Secundo, praeter naturam et mores aptos, requiritur etiam ut ille, cui datur electio, eam ipse desideret et petat. Et hoc omnino necessarium est; et nullo modo alioquin dari debet, multo autem minus ingeri et obtrudi non cupienti. Nam praeterquam quod, qui sic affectus est, omnia, quae ei dicentur, cum suspicione accipiet et ideo iis iuvari non poterit; est etiam ea causa, quod in electione facienda multae et magnae incidunt difficultates, etiam cum voluntas bona et fervens est; quare multo erunt maiores, cum voluntas languet, et ideo numquam eas superare poterit.

Electurus sit ab omni affectu liber.

3. Tertio, valde expedit, ut, qui ingreditur electionem, studeat esse liber ab omni affectu inordinato et plane ad omnia indifferens, ad hoc vero unum inclinatus, ut sanctum Dei beneplacitum sequatur, quodcumque illud esse cognoverit. Quare, si cerneretur eum nimis propendere ad divitias, minus autem ad paupertatem, non esset bene dispositus, nec sperandus esset bonus exitus in electione. Ille enim affectus, aversus a via perfectiori et ad imperfectiorem conversus, intellectum traheret ad excogitandas rationes tali affectui consentaneas. Ac cum, ut dici solet, quidquid recipitur recipiatur ad modum recipientis, facile fieret, ut existimaret illam esse Dei voluntatem, quae est ipsius voluntas. Oportet igitur ut perveniat ad tertium gradum humilitatis, qui ponitur in libro Exercitiorum, aut saltem ad secundum,

cui comparando serviunt meditationes de vexillis, et de tribus classibus et aliae, de quibus infra dicetur: et ideo esset in iis meditationibus diutius retinendus, ut paulatim disponatur ad hoc aequilibrium animi, partim conando propria diligentia, partim id a Deo petendo ferventibus orationibus. Quod si ad hanc resignationem et indifferentiam non pervenerit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda est. Et tunc, si ita expedire videbitur, procedendum in reliquis exercitiis faciendis, ut, si fieri potest, per ea ad maiorem maturitatem perducatur, vel post breve tempus finis eis imponendus.

Quaenam optima dispositio ad electionem.

4. Quarto, omnium optima est illa dispositio, ut non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, sed, quoad fieri potest, voluntatem suam semper inflectere conetur ad id, quod perfectius est. Nam licet re ipsa non id electurus sit, quia fortasse Deus eum non vocat ad talem statum, tamen nihil ei nocebit, immo plurimum proderit tale desiderium, ac proinde in his Exercitiis semper proponitur via perfectior, tamquam magis optanda et a Deo petenda. In quo valde notanda est sententia quaedam Beati P. Nostri Ignatii, quae inventa est in quodam eius scripto, ubi ita ait: Debere instructorem ita disponere eum, qui est in Exercitiis, ut omnino resignatus sit, tam ad consilia sequenda, quam ad praecepta; immo vero, quantum in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si id maius Dei obsequium fuerit. Et addit: maiora utique signa requiri ad statuendum quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare praecepta, quam ut viam consiliorum ingrediatur; quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus est; at vero in illo statu magna ostendit esse pericula.

Ultima dispositio ad electionem.

5. Ultima est ea dispositio, quam idem Beatus P. Noster Ignatius eodem loco praecipit, nempe: ut qui facit electionem colligat se totum intra se, et toto tempore, quo durat haec deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre aut audire, quod non de sursum sit. Quibus verbis duo indicantur: primum, ut anima non sinat se distrahi ad alias cogitationes, sed hoc unum agat, et huic uni intenta sit, caeteris omnibus negotiis a se reiectis. * Alterum est, ut in hac deliberatione non admittat rationes, quae non sint e coelo, id est, nullas admittat, quae sapiant carnem et sanguinem aut aliquid humanum ac terrenum, quia omnia manare debent ex uno illo principio, quod est desiderium gloriae Dei et exsequendi eius voluntatem. Hic enim est verus ille sumptus ad aedificandam turrim, de qua est in Evangelio; et hoc magnam animae fiduciam affert quod Deus non sinet eam decipi; quia cum eum in toto corde et in veritate quaerat, numquam se Deus ab ea avertet, cuius scilicet tanta est bonitas et amor in suam creaturam, ut etiam occurrat saepe non quaerentibus. Quod licet ita sit, et ea sit perfecta electio, ad quam solius Dei amor impellit; tamen, si praecipuus quidem esset amor Dei, sed praeter illum aliquid etiam accederet, quod eodem inclinaret, modo non repugnans Dei legi ac voluntati, et ex sua natura bonum, ut puta consolatio propria et quies spiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid eius-

* *Annot. 16 ex 20.*

Luc. xiv, 28.

modi, non propterea improbanda esset electio. Haec tamen oporteret semper minus esse praecipua, et minus praecipue movere, et haec ipsa ad Dei amorem referri.

Caput XXIV. — Qualis esse debeat qui dirigit electurum.

Officium dirigentis electurum. 1. Circa secundum, officium eius, qui tradit Exercitia, in hoc particulari negotio est cooperari motioni divinae, eamque non praeire, sed sequi; et ad hoc disponere animam eius, qui facit Exercitia, removendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones atque inclinationes inordinatas. Non debet eum movere vel ad unam vel ad aliam partem, ut dicitur in 15 annotatione ex prioribus. Etsi enim ex natura sua licitum est, ac meritorium etiam, hortari ad perfectiora; tamen, ut eiusmodi deliberationes solidius fiant et sine ulla humana persuasione, multo melius est permittere ut solus Deus cum sua creatura tractet, nec aliquis tertius intercedat: et hoc maxime in Exercitiis, ubi se anima ad hoc ipsum disponit. Ratio huius est, quia electio tantae rei, ut est status vitae, non debet niti persuasione aut inductione humana, sed sola Dei voluntate; alioqui metuendum esset illud, quod Dominus dixit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* (*Matth. xv, 13.*) Et cum in eiusmodi via, per se ardua et deinde daemonum invidiae exposita, sine dubio secuturae sint multae tentationes ac difficultates; non potest ullum auxilium ac sublevatio exspectari ab homine, qui nos induxit, nisi levemus oculos nostros in coelum, et dicere possimus: Dominus solus dux meus fuit; quoniam iuxta Apostolum (*Phil. ii, 13.*) sperandum est eum, qui dedit velle, daturum etiam perficere, et confirmaturum usque in finem.

Indifferentia etiam dirigentis electurum. ** Annot. 15.* 2. Ex quo colligitur * eum, qui dirigit in hac electione, debere ipsum quoque suo modo indifferentem esse, ut fideliter peragat opus, quod ei commissum et creditum est, idque tantum respiciat et cupiat, ut Dei voluntas et beneplacitum compleatur, nihil apponens de suo spiritu proprio: hoc enim est immittere falcem in messem Dei. Et praeterea posset aliquando praebere materiam tentationum exercitanti, quia maneret semper aperta daemoni haec porta, suggerendi quod hominis instinctu ad Religionem inductus esset. Persuadeat autem sibi illud tutum fore ac sine periculo, quod indagaverit iuxta regulas sanae electionis. Tantum diligens sit in sublevando ac dirigendo quem Dominus eius curae ac fidei commisit.

Eiusdem vigilantia. 3. Vigilet in detegendis fraudibus et paralogismis daemonis, quoniam ex falsis principiis, qualia ille suggeret, sequetur non nisi falsa conclusio.

Ut debet ingredi in electionem. 4. Animadvertat etiam contingere saepe ut quis ingrediatur in electionem cum optima dispositione, et tamen in ipso articulo eligendi insurgat in ipso aliquis sinister affectus, qui omnia perturbet, et suffocet bonum semen: et ideo cautus sit et industrius ad haec omnia tum providenda, tum praecavenda.

Caput XXV. — Quae sint res de quibus est electio.

Electio sit de re bona. ***Ex introductione ad eligendarum rerum notitiam.*** 1. Circa tertium, illud certum est rem omnem, quae sub electionem cadat, oportere esse bonam, sive sit negotium aliquod particulare, sive status totius vitae.

Electio status.

2. Electio autem status versatur circa duo: sitne manendum in praeceptis, an progrediendum ad consilia.

Si consilia sequenda, quid agendum.

3. Si consilia sequenda, num in Religione, an extra eam. Quamquam enim vix iam extra Religionem servari possunt, tamen potest esse talis natura, ut non sit valde idonea ad communitatem vitae et obedientiam, et tamen possit servare paupertatem et castitatem.

Si in Religionem ingrediendum, quaenam eligenda.

4. Tertio, si in Religione, restat etiam in particulari, quis Ordo eligendus; quia alios vocat Dominus ad maiorem solitudinem, alios ad iuvandos proximos, et ipsa naturalis complexio vel corporis vel etiam animae alia alii instituto aptior est.

Temporis electio.

5. Quarto, electa peculiari Religione, deliberatur etiam de tempore et de modo id exsequendi.

Quid cavendum in electione Religionis.

6. In eligenda hac autem vel illa Religione cavendum est, primo, ne eligatur aliqua iam corrupta, vel in qua non vigeat observantia. Secundo, inter illas ipsas, in quibus viget observantia, praeferenda est ea, cuius institutum sit perfectius: in quo diiudicando est optima doctrina S. Thomae 2. 2, quaest, 118, art. 6, et habenda est maxime ratio personae, non solum iuxta vires et propensionem, sed etiam iuxta dotes et talenta quae habet, propter maius Dei obsequium.

Difficultas vocationem exsequendi.

7. In tempore autem exsequendi divinam vocationem est interdum peculiaris difficultas; quoniam in his, quae repugnant sensui, solet humana infirmitas procrastinare quantum potest, et causas morarum innectere, seque ipsam decipere, quaerendo rationes differendi. Quare optimum est hanc ipsam difficultatem profligare in Exercitiis, et cogitare quod ait S. Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Imitanda est etiam promptitudo Apostolorum, relictis statim retibus et patre; valetque illa ratio: Si aliquando, cur non modo? et si non modo, fortasse numquam. Nunc enim recens est Dei motio, et eius auxilium, postea vero facile fieri potest, et fit quotidie, ut refrigescat hic spiritus, et sic multo difficilius erit resistere pugnae carnis et diaboli. Et haec de electione consiliorum.

Quid, si eligat servare praecepta.

8. Si quis vero eligat servare praecepta, restat adhuc consultandum, in quo statu, aut in qua ratione vivendi ea servet; quae singula discutienda sunt, ut eo melius et cum maiori luce vita instituatur.

In aliis particularibus utendum iisdem regulis.

9. Denique in aliis particularibus negotiis, ut in suscipienda aliqua re vel non suscipienda, utendum est his iisdem regulis, sumendo scilicet eam partem ipsarum, quae sufficit pro qualitate rei. Modus autem seu regula etiam in his omnibus particularibus actionibus est omnia metiri ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates, maxime temporales, ut intentio semper in Deum recta sit, nec inflectatur ob aliquid terrenum.

Caput XXVI. — De tempore triplici ad electionem recte faciendam.

Tria tempora electionis.

1. Circa quartum, declaranda sunt tantum tempora electionis faciendae, quae habentur in libro Exercitiorum; nam, his bene cognitis, nihil fere aliud desiderari posse videtur. Tempora autem dicuntur, quia cum tales anima motiones sentit, quales ibi describuntur, tunc aptum est tempus et opportunum electioni. Ac de primo quidem tempore pauca sunt di-

cenda, cum scilicet adeo clare constat de DEI voluntate, ut ne dubitari quidem de ea possit, pro cuius exemplo ponitur vocatio Matthaei et Pauli. Et, quamvis iam non contingant eiusmodi vocationes ita miraculosae, tamen et legimus et videmus quasdam, quae quodammodo ad eas videntur accedere, tanta claritate et satisfactione spiritus, tamque certa illustratione divinae voluntatis, ut ne in has quidem videatur cadere posse dubitatio. Sed haec vocatio nimis extraordinaria est, nec cadit sub regulam, et ideo nec a DEO petenda aut exspectanda est: et ob hanc etiam causam, cum tam raro accidat, non multum est in huius primi temporis consideratione insistendum, et obiter dumtaxat declarandum ei, qui facit Exercitia.

Secundum tempus magis ordinarium.

2. Secundum igitur tempus est magis ordinarium; cum scilicet animus inspirationibus et motionibus internis agitur, iisque tam efficacibus, ut sine ullo intellectus discursu, aut fere nullo, voluntas feratur ad DEI servitutem et ad perfectionem.

Tertium tempus.

3. Tertium tempus est, cum intellectus ratiocinando, et ponderando rationes pro una et altera parte, veritatem clarius aspicit, et veluti lumen voluntati praefert, ut voluntas id demum eligat, quod omnibus perpensis melius fuerit iudicatum.

CAPUT XXVII. — Comparatio secundi temporis faciendae electionis cum tertio.

Differentia voluntatis et intellectus in electione.

1. Itaque, etiamsi hae duae potentiae animae ita coniunctae sint, ut una sine altera in eligendo operari non possit; est tamen haec differentia, quod in primo et secundo tempore voluntas praecedit, intellectus vero sequitur, et ab ea trahitur sine ullo suo discursu aut cunctatione; in tertio autem praecedit intellectus ipse, tamque multas rationes voluntati proponit, ut eam exstimulet et impellat in eam partem, quam iudicat meliorem. Et quidem, hoc supposito, quod motio illa sit immediate a DEO, sine dubio excellentior via est et altior, cum voluntas divinitus illustrata praecedit ac trahit intellectum; quia etiam Aristoteles, ut refert S. Thomas, ita ait: Illis, qui moventur secundum instinctum divinum, non expedire consiliari secundum rationem humanam, quia moventur a meliori principio, quam sit humana ratio. Sed posterior via, nempe per ratiocinationem et discursum, est securior et tutior.

Quid in primo et secundo tempore.

2. Pro notitia autem primi et secundi temporis, quando scilicet, ut dictum est, anima afflatu divino permovetur, declarandum est exercenti se quid sit consolatio et quid desolatio, de qua utraque agitur in tertia et quarta regula discernendi spiritus.

Quid sit consolatio.

3. Haec autem consolatio non est habitus, sed veluti spiritualis passio data supernaturaliter, cuius natura est ut, dum praesens est, facile exerceantur actus virtutis, immo cum delectatione et gustu et cum inflammatione affectus; contra vero facit ut opera carnis desipiant, et insuavia videantur. Eius partes vel modi varii sunt: ut pax et quies quaedam interior, gaudium spirituale, lumen et clarior cognitio rerum divinarum, lacrimae, mentis elevatio in DEUM, spes in DEO fixa, sensus rerum aeternarum, conversio ad coelestia, calor sancti amoris, et si qui sunt similes alii effectus vel affectus, qui sunt omnes a spiritu bono.

Quid desolatio.

4. Desolatio contra est tristitia, perturbatio animi, spes in rebus vel personis, amor rerum inferiorum, ariditas, depressio et evagatio mentis in res huius mundi, quae sunt omnia a spiritu malo.

Quae observanda in his temporibus electionem facturo.

5. Hoc igitur posito, ad cognoscendum utra ex duabus partibus, de quibus consultatur, magis placeat Deo, debet homo in se ipso notare et animadvertere, quando sentit consolationem, ad quam partem eum inclinet consolatio et tranquillitas animae; et contra desolatio, cum eam sentit, ad quam partem eum magis inclinet. Et cum his temporibus contrariis videat se moveri ad contrarios effectus, debet pro certo habere nasci id ex principiis contrariis. Proprium enim est spiritus mali invadere animam tempore desolationis, eamque obruere pusillanimitate, et tristitia, et torpore; contra vero proprium est boni spiritus afferre animae laetitiam, et tempore laetitiae cum ea tractare et in eam influere. Uterque enim dat ex eo quod habet et quo abundat, ut constat ex regulis discretionis spirituum, praesertim quae huic secundae hebdomadae conveniunt, quae valde opportunae sunt hoc tempore, et sine illis fere ambulabitur in tenebris.

Similitudo S. P. N. Ignatii.

6. Est etiam altera quaedam praxis huius rei, quam ponit Beatus P. Noster Ignatius illa similitudine eius, qui praesentat principi suo genus aliquod cibi, ut exploret quam ei arrideat. Sic anima cum profunda humilitate, et ferventi amore, ac desiderio gratificandi Deo, offerat ei diversis temporibus modo unam modo alteram rem, observans quaenam ex illis a Deo magis accipiatur et admittatur, dicens semper: Domine, quid me vis facere? Quod non solum ore aut leviori mentis affectu, sed toto corde, et multis cordibus, si tot haberet, ei dicendum et sentiendum est.

Optimum signum Dei vocantis ad perfectionem.

7. Porro inter alia indicia divinae voluntatis vocantis ad statum perfectiorem illud est optimum, si anima sentit sibi promitti tantum pecuniae spiritualis, quantum necesse sit ad aedificandam hanc turrim evangelicae perfectionis; id est, si sentit labores huius vitae, qui aliis ita graves videntur, et ipsimet antea ita videri solebant, nunc leviores et faciliores reddi sic, ut voluntaria paupertas, vel abnegatio propriae voluntatis, castitatis observantia, et reliquarum virtutum exercitatio, iam non adeo gravis ei videatur, ut de se ipso scribit S. Augustinus in libris Confessionum. Secundum est indicium, si hae cogitationes pergunt semper movere ad bonum. Satanas enim, licet ab initio dissimulet, in progressu tamen non potest diu se celare, quin incipiat depromere suum venenum.

De signis boni et mali spiritus.

8. Denique de eiusmodi signis boni vel mali spiritus optime et valde dilucide agitur in regulis discretionis spirituum posterioribus libri Exercitiorum: agit etiam Gerson in libro de probatione spirituum, et S. Bonaventura de processu relig. c. 18.

Quando ad tertium tempus progrediendum.

9. Atque haec hactenus de primo et secundo tempore electionis: in quo, si ita constet de divina voluntate, ut anima plane confirmetur et stabiliatur, nec desideret maiorem certitudinem, potest hic conquiescere; sin vero non sufficiat, poterit progredi ad tertium tempus.

Caput XXVIII. — De modo priore et posteriore bonae electionis faciendae.

Quot modis tempus tertium distinguatur.

1. Tertium tempus in libello Exercitiorum duobus modis distinguitur, qui vocantur modus prior et modus posterior bonae electionis; prior sex punctis, posterior quatuor regulis continetur. Si ergo in priori non fiat electio, veniendum est ad posteriorem, qui est ultimus modus, qui in hac materia tradi possit.

Quid in his modis eligendi requiratur.

2. Pro his autem duobus modis bene eligendi, sicut etiam omni tempore quo durat electio, requiritur tranquillitas animae, quoniam tempore turbationis non est locus electioni, cum scriptum sit Eccli. ii, 2: *Ne festines in tempore obductionis.* Quare, qui hanc tranquillitatem in se non sentiret, satius esset ut progrediatur in meditationibus, donec tempestas deferveat et redeat serenitas, quoniam, dum turbida est aqua, nihil in ea perspici potest.

Posita animi tranquillitate, quid faciendum.

3. Supposita ergo hac tranquillitate, proponenda sunt ex una parte commoda, ex altera parte incommoda provenientia ex ea re, de qua agitur, et singula bene aestimanda et examinanda, ut videatur quaenam praeponderent.

Rationes unde petendae.

4. Tantum illud observandum et actuandum hic, quod supra attigimus, nempe has rationes, quae ad deliberationem adhibentur, debere omnes proficisci ex illo principio divini obsequii; nec admittendos esse in hac consultatione respectus humanos, aut terrenas cogitationes.

Electio tertii temporis alias confirmat.

5. Notandum est etiam, quod hi duo modi, quibus tertium tempus distinguitur, non solum tunc adhibendi sunt, cum in secundo tempore nihil conclusum est; sed, etiam si facta sit electio, confert ad eam magis confirmandam et stabiliendam. Si enim anima certa esset quod illa motio secundi temporis esset a Deo, sine dubio nihil ei esset amplius requirendum; sed, quia Satanas transfigurat se aliquando in Angelum lucis, ideo haec generalis regula esse debet: valde periculosum esse, cum homo vult se gubernare tantum per motus voluntatis et sensus quosdam interiores, non adhibendo considerationem debitam. Et ideo probatio et examen fieri debet per lumen; quia, ut dicit Apostolus: *Omne quod manifestatur, lumen est.* Hoc autem lumen post lumen fidei est etiam ipsa humana ratio, adiuta tamen et illuminata lumine fidei, quae ipsa quoque a Deo est; et non potest unum repugnare alteri, quia necessarium est ut verum vero consonum sit.

ii *Cor.* xi, *14.*

Ephes. v, *13.*

Aliud signum mali spiritus.
* *Ex reg. 13 ad motus animi discernendos.*
Ioan. iii, *20.*

6. Itaque hoc etiam signum est spiritus mali, quando refugit hoc * examen, quia amat tenebras, et non vult venire ad lucem, ut non arguantur opera eius. Hanc igitur ob causam hic modus eligendi securior est, quia ratio, fide illuminata et Ecclesiae catholicae doctrina instructa, suo officio fungitur; et, cum totas vires suas et quidquid potest exponat in inquirenda Dei voluntate, fideliter facit quod in ipsa est.

Experientia suae infirmitatis.

7. Si vero ad has rationes adiungatur etiam experientia, quam quis habeat suae infirmitatis, ut manifeste sentiat salutem suam in saeculo exponi magno discrimini, non est dubium quin securius etiam res procedat.

Maius animae lumen.

8. Quod si praeterea rationes istae confirmentur per aliqua signa secundi temporis, quae superius diximus, nempe pacis, consolationis et gu-

stuum, tum vero anima maiorem etiam satisfactionem et claritatem accipit.

Quid si secundo tempore fit inclinatio.

9. Quaeret aliquis, quid faciendum sit, si forte contingat ut secundo tempore in aliquam rem inclinemur, tertio vero tempore in alteram contrariam vel dissimilem. Respondemus esse diligenter rem examinandam per regulas discernendi spiritus et per rectam rationem, et aestimandum pondus rerum moventium utroque modo. Quod si constaret clare quod ratio adstipuletur electioni tertii temporis, securius est eam sequi, quia non est certum an motio illa secundi temporis sit a DEO, et tunc maxime cum ratio aliud suadet. Contra vero, si rationes, quae tertio tempore movent, essent debiles, motiones autem secundi temporis, bene examinatae iuxta regulas, videntur esse a DEO, et recta ratio eis non repugnat, tota electio secundi temporis est praeferenda: licet enim prius clare non constaret per eam de DEI voluntate, tamen, rebus melius agitatis et discussis, accedente rationis testimonio potest fieri ut constet.

CAPUT XXIX. — De praxi et ordine electionis.

Praxis electionis.

1. Restat nunc ultimum, nempe tota praxis et ordo proponendi electionem, et manuducendi eum, qui facit Exercitia. In primis igitur hoc valde notandum est, quod etiam supra indicamus, iam tum ab initio huius secundae hebdomadae incipere disponi animam per meditationem illam de Regno Christi, quae mentem erigit a terrenis et fluxis ad Salvatoris imitationem desiderandam; quae quidem dispositio alenda est semper deinceps in eo, qui se exercet, excitando eum et dirigendo ad id, quod perfectius est, per reliquas meditationes, ut nativitatis, circumcisionis et alias, in quibus ita instruendus est, ut concipiat desiderium assimilandi se filio DEI, et praeterea quam maximam possit erga eum gratitudinem, qui tanta nobis dedit, et tanta pro nobis fecit. In hac autem contemplatione de Regno Christi existimandum non est verba illa: *Attestans coram infinita bonitate tua* etc., voti vim habere, cum annotatione 14 ex 20 sit peculiaris admonitio ne quis, vacans Exercitiis, voto se facile obstringat.

Quarta vel quinta die inchoanda meditatio electionis.

2. Deinde quarto vel quinto die inchoantur meditationes electionis per illud exercitium pueri IESU, cum remansit in templo, in quo, ut dicitur in libro Exercitiorum *, coepit dare exemplum huius evangelicae perfectionis, quando, Patre putativo et naturali Matre relictis, voluit occupari in iis, quae aeterni Patris essent.

* *Praelud. circa elect. statuum.*

Exercitans disponendus ad electionem.

3. Igitur ad disponendam animam electioni faciendae, post hanc meditationem datur primo exercitium duorum vexillorum, deinde eodem die meditatio de tribus hominum classibus, quae ad hoc tendit, ut iuxta eas, qui in Exercitiis est, se examinet, et cognoscat affectum suum erga res mundanas; et, si in prima vel secunda classe se deprehenderit, conetur sibi vim facere, ut se transferat in tertiam.

Pro intelligentia maiori trium classium.

4. Ad maiorem autem intelligentiam harum trium classium, notandum est hoc in omnibus supponi: modum illum, quo pecunia illa acquisita est, non esse illicitum, ita ut obliget ad restitutionem. Nam alioquin non posset homo indifferens esse ad eam retinendam vel relinquendam, quod tamen dicitur in tertia classe.

Est ergo hic modus, ut quando, v. g., aliquis ex nimio studio lucri, vel ex aliquo alio affectu humano et vitioso negotiatur.

Alia notanda.

5. Secundo, notandum primam et secundam classem ita inter se differre, quod utraque habet quidem voluntatem quandam infirmam et remissam exuendi affectum ad rem illam; sed prima classis nulla umquam adhibet media, nec cogitat de mediis; secunda vero aliquid amplius facit, quia adhibet quidem aliqua media, sed quae ipsi placent, non autem iuxta DEI voluntatem ac beneplacitum; et ideo videtur sibi parata omnia alia facere, praeter illud, ut privetur re illa quam amat. Tertia porro ad hoc etiam parata est, si DEO ita placeat, idque tantum inquirit, an placeat.

Finis meditationis trium classium.

6. Et sic patet totam hanc meditationem eo tendere, ut ostendat animae quam turpe et perversum sit, si non solum exuere nolit inordinatas cupiditates, sed si velit quidem eas exuere, sed eo modo velit, quo ipsi libeat, et se non resignat in manibus DEI. Ex quo apparet illam esse voluntatem admodum debilem, quia vere vult et non vult.

Aliae quoque similitudines effingendae.

7. Unde, quia res haec tanti momenti est, praesertim ad disponendam animam electioni iam vicinae, posset etiam, qui Exercitia sumit, ad maiorem claritatem, praeter hanc similitudinem trium mercatorum, effingere sibi alias similitudines eiusdem tenoris, ut, v. g., si essent tres aegroti, qui sanari quidem omnes cupiunt, sed primus nolit adhibere medicinas ullas propter earum amaritudinem, nec abscissionem propter dolorem. Secundus velit quidem adhibere, sed quas ipse probet ac iudicet, non eas quae aptae sunt eius morbo, ut, v. g., si nollet abstinere a vino, aut similibus. Tertius denique se totum medico permittat, ut et diaetam imperet, et urat et secet ipsa etiam membra, si opus sit.

Quandonam electionem facturo proponendi tres gradus humilitatis.

8. Porro simul cum his duabus meditationibus, quas diximus, nempe de duobus vexillis et de tribus classibus, vel, si ita melius videatur, sequenti die, post meditationem de transitu Christi a Nazareth, et de eius baptismo, proponuntur electionem facturo tres gradus humilitatis, ut, quemadmodum dicitur in libro Exercitiorum, toto die eos animo verset; simul tamen unum vel duo mysteria vitae Christi eodem die, sicut in reliquis diebus, meditanda sunt. Nam hi tres gradus non dantur pro certa hora alicuius meditationis, cum non contineant nisi unum punctum praecipuum, scilicet desiderium attingendi tertium illum gradum humilitatis, quod toto die mente revolvendum est extra meditationem, immo etiam in meditatione opportuno tempore, adhibito triplici illo colloquio de vexillis, ut ibidem dicitur.

CAPUT XXX. — De ipsa electione iuxta rationem secundi temporis.

Praeludium electionis declarandum.

1. His peractis, accedendum iam propius est ad electionem, et in primis declarandum praeludium electionum, quod fere coincidit cum fundamento posito ante Exercitia; et ideo, qui bene illud meditatus fuerit, nullam in hoc habebit difficultatem.

Exploranda exercentis voluntas.

2. Interim instructor exploret voluntatem exercentis se, an habeat indifferentiam, de cuius necessitate supra locuti sumus; et, si magis propendere ad imperfectiorem statum animadverterit, explicet ei illud notabile, quod est in Exercitiis post

tres classes, ut scilicet, qui sentit affectum repugnantem paupertati reali, petat a Deo ut ipsum potius inclinet in illam partem. Cuius ratio est, quia virga incurva flectenda est in contrariam partem, ut deinde, manens in medio, fiat recta; quod praesertim locum habet in hac materia, cum illa pars sit securior, et hoc nihil impediat vel Dei voluntatem vel libertatem nostram. Hoc ergo supposito, pergendum est in meditationibus mysteriorum Christi, quae sunt in libro Exercitiorum, et simul vacandum electioni; ad quam dirigendam danda sunt tria illa tempora recte eligendi, voce vel scripto, ut magis videbitur instructori.

Quomodo electio peragenda.

3. Electio autem ita peragenda est, non ut electurus meditetur tria illa tempora toto tempore meditationis; sed post peractam unamquamque meditationem, vel in aliqua eius parte, * cum animus iam quietus est, tunc tempus proprium est agendi et ratiocinandi circa rem propositam. Et ideo diligenter curandum est ut meditationes, quemadmodum diximus, de Christi vita diligenter fiant suo tempore. Nam si quis, omissis suis meditationibus, vellet se totum dare cogitationi de electione status, non bene faceret, idque ei damnum afferret; quia per meditationes anima corroboratur, et illuminatur, et elevatur a terrenis, unde fit aptior ad Dei voluntatem et cognoscendam et amplectendam, et ad superanda omnia impedimenta; et contra, si cessaret a meditando, obscurior fieret et infirmior.

** Ex tertio tempore bonae elect.*

Miscenda electioni meditatio.

4. Quare, ut dictum est, dandum est suum tempus meditationi divinarum rerum, quae pro varietate mysteriorum occurrunt; et suum deinde tempus electioni, ne, si anima tota occupetur in hoc negotio, haec una cogitatio exsugat et exhauriat quodammodo succum et florem devotionis, et ita reddatur languidior.

Peculiaris modus in electione tenendus.

5. Quod si adhuc magis in particulari quaeratur quomodo hoc faciendum sit, dicendum quod, si in secundo tempore eligendi versetur, debet, qui deliberat, sine ulla sua ratiocinatione aut discursu adhibito, dum facit meditationem aut colloquia, et in summa dum constitutus est ante Deum, proponere oculis mentis suae viam consiliorum, et observare an sentiat in anima sua motus aliquos consolationis aut desolationis. Deinde proponere sibi viam mandatorum, et hoc idem circa eam observare.

Non est necessaria particularis meditatio.

6. Nec est ad hoc necessaria particularis meditatio, ut paulo ante dictum est, sed sufficit hoc facere dum versatur in meditationibus et orationibus consuetis. Et hoc idem faciat extra tempus meditationis, proponendo hoc modo dicto, et observando motus praedictos; nihil discurrendo per se, sed tantum audiendo vocem Domini, et se ad eam audiendam et ad motum illum accipiendum disponendo quantum poterit: maxime renovando saepe resignationem et desiderium cognoscendi divinum beneplacitum, et hoc semper curando, ut cesset omnis propria voluntas aut inclinatio.

Exigenda ratio motionum exercitantis.

7. Cum autem venerit instructor, exigat ab eo rationem huiusmodi motionum; et, si boni vel mali spiritus signa deprehendat, utatur regulis de discernendis spiritibus, sed iis praecipue, quae secundae hebdomadae conveniunt; et declaret ei quantum satis esse iudicabit ad ipsum dirigendum, vel erigendum si opus fuerit.

Et, si bene procedere hac via videbit, alia meditatione proposita hortetur ut eamdem viam teneat circa electionem propositam, ut experiatur an durent eaedem motiones, an aliae contrariae succedant; quod si contrariae occurrerint, conetur discernere per praedictas regulas quae sint bonae, quae malae.

Caput XXXI. — De electione iuxta priorem et posteriorem modum.

Quid, si hoc tempore non conficitur electio.

1. Si hoc secundo tempore non conficitur electio, quia qui exercetur nullam notatu dignam motionem in se sentit, vel sentit in utramque partem; adhibendi sunt modi tertii temporis, prior et posterior, qui declarandi erunt, ut, cum priori modo aliquid constituerit, idem deinde expendat posteriori: et, si idem resultet ex utroque, id bonum signum est bonae electionis.

Una detur meditatio tertio tempore.

2. Hoc autem tertio tempore poterit dari una tantum meditatio ex iis, quae secunda hebdomada proponuntur, cum sua repetitione, ut reliquum tempus impendatur electioni. Idque videtur innui in libro Exercitiorum per exemplum contemplationis baptismi, quae ponitur quinta die. Quamquam, cum hoc non praecipiatur, credi potest quod permittitur instructori ut unam vel duas in die det meditationes, ut viderit exercitanti magis profuturum, pro difficultate quam sentiat, et prout indigeat tempore ad faciendam hanc discussionem.

Notet scripto rationes.

3. Monendus etiam erit ut notet scripto rationes, quae se offerunt pro utraque parte, idque seorsim. Nam rationes omnes cuiusque partis simul collectae magis veritatem ostendunt, et maiorem vim habent ad movendum. Has vero cum instructore conferre debebit, ut ab eo melius dirigi possit.

Non obruendus exercitantis animus.

4. Porro illud etiam cavendum instructori, ne in hoc negotio, per se tam difficili et laborioso, nimis obruat exercitantem, nec semper eum stimulet et fatiget; quin potius sinendus est aliquando respirare, ne semper affligatur, aut absorbeatur tristitia aut taedio, et desperatione abiiciat se ipsum. Quod tunc maxime metuendum est, cum, praeter propriam infirmitatem et repugnantiam carnis, accedunt etiam daemonum impugnationes; difficile est enim relevare eiusmodi cor, cum semel conciderit.

Ut sustinendus qui non prompte vocationi divinae respondet.

5. Immo vero, etiam si quis cerneretur minus prompte respondere divinae voluntati, nec se vincere ut deberet, sustinendus tamen patienter esset, et exspectandum, ut paulatim et quasi pedetentim superet obices illi oppositos. Et in hoc etiam imitandus mos divinae bonitatis, cui cooperamur, quae omnia suaviter disponit, et longanimiter exspectat animae moras in veniendo ad eum.

Tempore electionis nullum votum emittendum.

6. Denique hoc etiam advertendum, quidquid eliget secundo vel tertio tempore, ne votum ullum emittat, ut dicitur annotatione decima quarta, et praesertim in secundo tempore. Saepe enim in illo calore vel consolatione fiunt vota, quae deinde displicent. Et hoc praesertim servandum cum iis, qui natura sunt ferventi et praecipiti, vel parum stabili. Sed tamen, si electio facta esset maturo consilio, ut cum magna claritate et indiciis haud obscuris divinae vocationis, praesertim si aetas aut natura hominis non esset suspecta, et hic suam electionem voto firmare cuperet, ut se melius muniret

contra oppugnationes carnis et mundi et Satanae; non potest instructor nec debet eius devotionem impedire, sicut nec ad id ulla ratione impellere.

Caput XXXII. — De oratione post factam electionem.

Quid post electionem factam peragendum.

1. Ultimum est in hac electione id, quod in libello Exercitiorum ponitur in ultimo puncto, ut homo post conclusam electionem ad orationem se conferat. Quo tempore si senserit mentem suam confirmari in electione iam facta, sentiendo in se motiones aliquas vel illustrationes desuper immissas, ita ut Deus approbare videatur quod factum est, et promittere vires ad exsequendum; id est optimum indicium, et haberi debet tamquam sigillum totius electionis.

Quid, cum electio a malo spiritu tentatur.

2. Si vero motiones, vel affectus, vel illustrationes intellectus eiusmodi essent, quae infirmarent electionem factam; et, examinatae iuxta regulas supra positas, viderentur a malo spiritu, vel saltem essent dubiae, non est mutanda electio.

Quid, si sit a bono spiritu.

3. Si autem clare apparent esse a bono spiritu, signum est discursum non fuisse bonum, et electionem denuo faciendam.

Quid, si in oratione nihil notabile acciderit.

4. Quod si in hac oratione nihil in utramvis partem notabile accideret, nec in affectu nec in intellectu, et voluntas eligentis in suo proposito perseverat; non est electio in dubium revocanda, sed ita putandum est voluisse Deum per discursum rationis voluntatem suam inveniri.

Caput XXXIII. — Quid agendum instructori, cum sentit eum, qui electionem facit, hallucinari.

Quid, cum exercens hallucinatur.

1. Caeterum illud quoque interdum contingere solet, ut, Exercitia sumens, hallucinetur in electione facienda; et licet Deus illum vocet ad vitam perfectiorem, ipse tamen, vel propter daemonis deceptionem vel propter propriam infirmitatem, imperfectiorem eligat, idque a Spiritu Sancto esse putet, nec ab eo dimoveri possit.

Erigendus est.

2. Tunc igitur prudentiae est ut instructor non multum reluctetur (quod frustra faceret), sed neque ex altera parte confirmet electionem factam, ac potius ostendat sibi non valde satisfecisse, sed sperare quod progressu temporis Dominus ei clarius indicabit voluntatem suam, et sic eum relinquat aliquantum dubium et incertum de tali electione. Deinde etiam instruat quomodo disponere se debeat, ne aditum claudat divinae luci.

Multi extra Exercitia veritatem agnoverunt.

3. Saepe enim experientia monstravit quosdam, qui ipso conflictu Exercitiorum succubuerant, deinde extra Exercitia commodius veritatem agnovisse; idque ex iisdem principiis, quae hauserant in ipsis Exercitiis: sive quia daemon acrius oppugnat in illo articulo electionis; sive quod natura ipsa (praesertim in iis, qui timidiores sunt et pusillanimes), ut in illa quasi agonia quodammodo opprimitur et suffocatur, ita, cum deinde quodammodo respirat, est melius disposita ad ratiocinandum et percipiendum lumen Dei; sive denique, quia experientia deinde cognoverunt se non eam vitam posse in saeculo tenere, quam fortasse in Exercitiis vel ipsi finxerant vel eis daemon persuaserat.

Caput XXXIV. — De iis, qui iam statum habent.

Methodus reformationis vitae.

1. Post tractationem de electione ponitur a Beato P. Nostro methodus

quaedam de emendatione seu reformatione vitae; quae doctrina maximi momenti est pro iis, qui iam sunt in statu immutabili, vel saltem quos Deus non vocat ad mutationem status. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abusus, qui, etiamsi non sint peccata, saltem sunt origo multorum malorum.

Fructus huius doctrinae.

2. Hac vero doctrina id agitur, ut multi, qui iam uxorem et familiam habent, licet in saeculo maneant, suo tamen modo perfectionem sectentur, ad quam nos quoque invitare et perducere eos debemus ex vocatione nostra, itaque passim iubent Constitutiones nostrae. Nec est dubium quin, si proximos iuvare conaremur ac dirigere ad hanc formulam, quae hic expressa est, valde insignis fructus sequeretur. Itaque hoc omnibus operariis Societatis valde commendatum esse deberet.

Quis modus tenendus in iuvandis firmum statum habentibus.

3. Cum his igitur hunc modum tenere oportet, ut, praeter Exercitia ordinaria de mysteriis vitae Christi, dentur etiam illa de duobus vexillis, et tribus hominum classibus, immo etiam praeludium electionum. Haec enim, licet non adeo necessaria sint, ut iis qui de toto vitae statu deliberaturi sunt, non potest tamen dubitari quin valde sint utilia ut animentur ad eam perfectionem, cuius ipsorum saltem status ac conditio est capax.

Tertius modus eligendi iis utilior.

4. Caeterum secundus modus eligendi non valde ad hoc negotium pertinet, sed potius tertius modus, eiusque membrum utrumque. Res autem instituenda ita est, ut singula puncta discutiantur, v. g. de familia vel de expensis; et, post deliberationem factam de uno puncto, transeatur ad aliud in singulis autem maius vel minus tempus insumatur, ut fuerit negotii gravitas vel difficultas. Aliquando enim una hora aut etiam plures in uno puncto insumendae erunt, aliquando autem plura puncta in una hora concludentur.

Caput XXXV. — De tertia hebdomada.

In tertia hebdomada stabilitur vitae melioris electio.

1. In tertia hebdomada stabilitur et confirmatur electio vitae melioris iam facta et voluntas serviendi Deo, proposito tanto et tali exemplo, nempe passione Domini et Salvatoris nostri. In ea enim omnes eius virtutes multo insignius atque excellentius elucent, et efficacius nos invitant ad sui imitationem. Itaque magnus hic thesaurus reconditus est. Unde videmus Sanctos omnes in hac potissimum parte se exercuisse, ut apparet ex libris, quos scriptos reliquerunt. Et ideo in hoc etiam oportet meditantem diligenter instrui, quoniam hic esse deberet ordinarius animae cibus.

Idem ordo harum meditationum, qui in secunda hebdomada.

2. Ordo et discursus harum meditationum est idem, qui in praeterita hebdomada, nempe intuendo personas, dicta et opera. Debet tamen, iis praesertim, qui non adeo sunt exercitati, aperiri via in hac materia per illa puncta, quae communiter tradi solent, quis patiatur, quid patiatur, a quibus, et propter quos.

Quomodo in compositione loci quis se statuat.

3. In compositione loci debet, qui meditatur, ita se constituere, quasi praesens esset mysterio illi dum ageretur; et quidem ac si gestum esset propter se solum, iuxta formam illam Apostoli: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Itaque debet anima ita se respicere, quasi ipsa causa fuerit tantorum dolorum et ignominiarum, quas Dei filius perpessus est; deinde videre, quidquid bonorum spiritualium, quidquid gratiae, et quod

Gal. II, 20.

ab aeternis malis liberata sit, quod aeterna bona se consecuturam speret, haec omnia ex Christi meritis sibi provenisse; immo etiam considerare Christum, dum illa pateretur, habuisse ante oculos et nos et nostra peccata in particulari omnia, et pro iis orasse, eorumque remissionem et gratiam nobis impetrasse.

Affectus curandi.

4. Quamquam autem affectus compassionis est valde bonus, debetque et peti cum instantia, et desiderari cum humilitate, et excipi cum gratia; debent tamen simul etiam curari alii affectus, qui sunt utiliores ad profectum nostrum spiritualem.

Primus, odium peccati.

5. Primus autem est, quanta res sit offendere Deum, quando ad satisfaciendum ei divina Sapientia dignum putavit adhibere ipsum Filii sui sanguinem et vitam. Ex quo etiam nascitur summum odium peccati, quod praesertim ab illa iustitia tam severis poenis vindicetur; quia, si hoc in viridi, quid in arido?

Secundus, cognitio bonitatis Dei.

6. Secundo, cognoscenda et veneranda est Bonitas et Sapientia Dei infinita, quae tam aptum medium invenit, ut hominum corda, amore suo liquefacta, ad se attraheret, iuxta Apostolum : *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus,* etc.

Rom. v, 8.

Tertius, spei confirmatio.

7. Tertio, hic etiam confirmatur spes nostra, quia, ut ait S. Augustinus, qui dedit quod plus est, nempe Unigeniti sui sanguinem, dabit et gloriam aeternam, quae minus est sine dubio. Et ideo hic Christi sanguis tenendus ut arrha et pignus tum divini amoris, tum futurae beatitudinis.

Quartus, amor in Deum.

8. Quarto, et omnium maxime, inflammatur amor in Deum, consideratione tantae bonitatis et tanti beneficii nobis dati, et dati tali modo.

Quintus, inflammatio ad imitationem Christi.

9. Quinto, sic etiam animantur omnes ad perfectam imitationem, ut ait S. Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Turpe enim esset et intolerabile, cum ille, ut nos pro nostra ipsorum salute doceret, non dedignatus sit tam humilia perpeti, si nos, quorum salus agitur, recusemus.

I *Petr.* II, 21.

Sextus, zelus animarum.

10. Denique, potest etiam et debet concipi magnus zelus animarum, quas videlicet Deus tanti aestimavit, et tanto affectu amavit, et tam magno pretio emit.

Usurpandae apte sententiae e Scriptura.

11. Iuvat etiam habere in promptu hac hebdomada aliquas sententias Sacrae Scripturae ad Domini passionem pertinentes, ex Psalmis vel ex Prophetis, et maxime ex Isaia, vel etiam ex Evangeliis aut ex Epistolis Pauli; quae vel magnitudinem dolorum ac cruciatuum Christi Domini indicent, vel eius bonitatem aut effectus mirabiles in hominum reparatione; quae extra meditationem valde proderunt ad cor excitandum, et etiam ad tollendam nescio quam satietatem, quae subrepere solet ex continuatione earumdem rerum. Haec autem loca Scripturae poterit instructor colligere, vel ab alio iam collecta suppeditare; sunt enim multa et passim occurrunt.

Caetera quaerenda ex libello Exercitiorum.

12. Caetera, quae ad hanc hebdomadam pertinent, scripta sunt in libro Exercitiorum clare et distincte in meditationibus et additionibus. In particulari autem, quae in fine huius hebdomadae traduntur de regulis ad victum temperandum, non est quod scripta dentur, sed verbo tantum explicentur, tum ob alias causas, tum quia non omnibus eodem modo proponendae sunt, sed adhibita discre-

Regulae victus.

tione pro cuiusque complexione et viribus, tam corporis quam animi.

Quando eae proponendae.

13. Notandum etiam, quod hae regulae non solum proponi debent hac hebdomada, sed antea etiam aliquo opportuno tempore; saltem, si tamen prius factum non est, hic declarentur. Fortasse enim in hunc locum dilatae sunt, ne prioribus hebdomadis nimis oneretur is, qui in Exercitiis versatur, tot documentis extra ipsas meditationes. In hac autem hebdomada multo pauciora sunt eiusmodi documenta, et sic magis vacabit instructori ea explicare. Expedit enim ut semper aliquid novi afferat cum illum, cui tradit Exercitia, invisit.

Caput XXXVI. — De quarta hebdomada.

Quarta hebdomada respondet viae unitivae.

1. Quarta hebdomada videtur respondere viae unitivae; tota enim exercetur in amore Dei et desiderio aeternitatis, cuius tamquam exemplar proponitur resurrectio Christi, eaque gaudia, quae etiam in hoc mundo eam consecuta sunt. Possent etiam hic addi aliquae meditationes de gloria paradisi, et de futura iustorum felicitate, cuius pignus accepimus in hoc mysterio resurrectionis Christi; quia iuxta Apostolum Deus nos etiam conresuscitavit et consedere fecit cum illo. Quare eo magis excitari debemus ad contemnenda terrena, et coelestia appetenda, iuxta illud eiusdem: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite; quae sursum sunt sapite* etc.

Ephes. II, 6. *Coloss. III, 1.*

Exercitium de amore Dei.

2. Exercitium de amore Dei est valde aptum ad amorem nostrum in Deum excitandum, et continet quatuor puncta foecundissima, et quae magnam materiam suppeditant ad meditandum. Potest autem duobus modis fieri: primo iisdem diebus cum aliis mysteriis resurrectionis, ita ut secundo die postquam coepta sint mysteria resurrectionis incipiatur etiam haec meditatio de amando Deo; eique quotidie una aut altera hora tribuatur, distincta a meditatione illorum mysteriorum. Alter modus est, ut absolvantur prius omnia illa mysteria, et deinde integer dies, aut duo dies huic uni meditationi assignentur.

Quid advertendum hanc meditationem facienti.

3. Est autem bene notandum et declarandum hanc meditationem aggredienti, quod in ea dicitur: amorem magis pendere ex operibus, quam ex verbis, et consistere in mutua quadam facultatum et omnium rerum communicatione. Per hoc enim intelligere debet, non sufficere sibi teneriorem quemdam affectum, quem in se sentiat, neque eo contentum esse debere. Verum est enim quod ait S. Gregorius: *Probatio amoris, exhibitio est operis; et amor ubi est, magna operatur; et ubi operari renuit, amor non est.* Nec aliud occurrit circa hanc quartam hebdomadam.

Caput XXXVII. — De tribus modis orandi.

Documenta utilia. Tres modi orandi.

1. Post Exercitia adduntur aliqua documenta aptissima et valde utilia profectui spirituali. Primo autem loco ponuntur tres modi orandi, non ut omnes, qui iam Exercitia peregerint, in eis exerceantur (nam hoc non necessarium est), sed ponuntur ad complementum doctrinae, et propter rudiores et minus capaces, qui scilicet non ita possunt habere perpetuos discursus in oratione, ut diutius haereant in una materia. Unde in Constitutionibus parte 7, capite 4, lit-

tera F dicitur: Exercitia plena non nisi paucis; primam hebdomadam, cum his tribus modis orandi, pluribus communicari posse.

Primus modus, discurrere circa praecepta Dei etc.

2. Primus ergo modus est discurrendo circa praecepta Dei aut Ecclesiae, et circa septem peccata capitalia, et tres potentias animae, et quinque sensus: et hoc non tam speculative, quam practice, v. g. cogitando in praeceptis quomodo male ea servaverit, et proponendo in posterum melius servare, et sic de reliquis.

Primus modus pro capacioribus.

3. Si vero hae materiae paulo altius elevandae essent, et exercitans capacior esset, hic modus praescribi posset. In praeceptis consideretur, primo, praeceptum ipsum in se quam sit bonum, et iustum, et sanctum. Secundo, quam utilis eius observantia. Tertio, quomodo antea observatum sit: et, si bene sit observatum, agendo gratias Deo; sin contra, dolendo, et petendo veniam. Quarto, proponendo in posterum perfectam et exactam observantiam, et petendo ad hoc gratiam per colloquium. Quo finito, si non expleta sit hora, transeatur ad aliud praeceptum eodem ordine.

Circa peccata.

4. In peccatis, primo videndo singula, quam mala sint et quam iuste prohibita. Secundo, quantum noceant, si non fugiantur. Tertio, quomodo adhuc fugerit, vel in posterum decreverit fugere.

Circa sensus.

5. In potentiis et sensibus cogitari potest, primo, quam nobiles et quam nobis utiles sint singulae, ut v. g. intellectus, et deinceps aliae. Secundo, ad quem finem datae. Tertio, quomodo iis usus sit Christus vel Beatissima Virgo. Quarto, quomodo nos usi simus, et dolendo quod male etc. Et idem de aliis potentiis et sensibus singillatim, et inter alia etiam de facultate loquendi, de virtute motiva et similibus.

Quid advertendum in hoc modo.

6. Est tamen advertendum, dum cogitamus quomodo usi simus his potentiis, vel, in meditandis praeceptis, quam male ea servaverimus, et maxime in meditandis peccatis, non ita debere institui meditationem, quasi examinare velimus conscientiam, ut fit cum nos praeparamus ad confessionem, vel etiam velimus de industria elicere contritionem (hoc enim pertinet ad primam hebdomadam) sed hic principalis intentio est cogitare ipsas materias, ex occasione autem fit reflexio ad nos ipsos: et ideo in generali tantum debet fieri haec reflexio, non multum descendendo ad particularia peccata.

Hoc genus orandi a S. Xaverio commendatum.

7. Hoc orandi genus dicitur Beatus P. Franciscus Xaverius commendare solitus omnibus animabus, quas tractabat, ita ut etiam poenitentiae loco iniungere soleret ut mane et vespere aliquod tempus huic impenderent.

Quamdiu immorandum in his meditationibus.

8. Quamvis autem in libro Exercitiorum dicatur tanto spatio esse immorandum, quo Oratio Dominica ter recitari possit; tamen, si quis in aliquo gustum inveniret vel utilitatem aliquam spiritualem, deberet ibi haerere diutius, etiamsi non posset absolvere omnia praecepta, iuxta id quod dicitur in quarta additione ad finem primae hebdomadae.

Quid in secundo modo orandi notandum.

9. In secundo modo orandi notandum est cum una vox non facit sensum, plures debere coniungi, ut: *Qui es in coelis,* aut *sanctificetur nomen tuum.* Aliae sunt voces, quae solae praebent materiam meditationis, ut *Pater* vel *noster*.

Orationes aliae. 10. Quod autem hic dicitur de his orationibus, idem intelligendum est de aliquibus Scripturae locis, ac praesertim Psalmis, e quibus aliqui eligi possunt, vel Psalmi toti vel eorum versiculi, qui uberrime pascunt et intellectum et affectum.

Quamdiu in modis orandi persistendum. 11. Notandum est etiam, cum, qui facit Exercitia, bene procedit in hoc orandi modo, ita ut eum satis tenere videatur; non esse necessarium ut multum in eo procedat, quia sufficit ut didicerit modum, quo deinde in posterum uti sciat. Quod idem intelligendum est de primo modo, nisi quod, cum ille habeat aliquanto maiorem varietatem, utile erit ut faciat unum exercitium circa praecepta, aliud circa peccata, aliud circa potentias animae, aliud circa sensus etc.

Tertius modus orandi. 12. Tertius modus orandi ita intelligendus est, ut in considerandis singulis vocibus alicuius orationis tantum tempus insumamus, quantum communiter una respiratio durare solet. Quod si quis pro sua devotione amplius morari vellet, poterit quidem; sed tunc potius ad secundum orandi modum pertinebit, quam ad hunc tertium. Iuvat autem hic modus ut assuescamus facere orationem vocalem cum attentione et devotione debita, ut servemus illud Apostoli: *Orabo spiritu, orabo et mente.* (*1 Cor. XIX, 15.*) Quare hoc exercitium est valde utile iis, qui obligati sunt ad horas canonicas vel ad alias orationes vocales.

Non excluduntur alii modi orandi. 13. Quamvis autem hi tres modi orandi hic tradantur, non existimandum est excludi alios modos, quos Spiritus Sanctus docere solet, et quos viri in spiritu exercitati secundum experientiam et secundum rationem et doctrinam sanam habere solent; vel quos quisque sibi utiles ad suum profectum ipso usu deprehenderit. Quod idem etiam de Nostris ipsis intelligendum est, accedente tamen semper approbatione et consensu Superioris vel Praefecti spiritualis, quibus quisque patefacere modum debet, quem in orando tenet, eoque magis, si paulum discedat ab ordinario modo. Caeterum tres hi modi, non solum alius aliis aptior erit pro personarum varietate; sed etiam persona eadem, pro varia dispositione animi vel corporis, aptior erit modo ad unum, modo ad alium: ut v. g., cum aliquis est fatigatus vel male habet, non erit bene dispositus ad longiorem meditationem et mentis excursum, et tunc magis iuvabitur secundo vel tertio modo. Quod intelligendum est non solum in hac quarta hebdomada, sed reliquo omni tempore.

Caput XXXVIII. — De regulis tradendis.

Cur positae regulae in fine Exercitiorum. 1. Regulae, quae additae sunt in fine Exercitiorum, non ideo positae sunt, ut omnibus proponantur; sed ut quisque eguerit, vel etiam desideraverit pro sua devotione.

De eleemosynarum distributione. 2. Quare illae, quae agunt de distributione eleemosynarum, non debebunt dari nisi iis, qui locupletes sunt, et qui solent aut possunt eleemosynas facere. Similiter quae agunt de scrupulis, non est cur dentur iis, qui nullis scrupulis agitantur.

Regulae ad catholicam doctrinam pertinentes. 3. Illae item, quae ad catholicam doctrinam pertinent, quamvis ad omnium pietatem confirmandam et fovendam valeant, iis tamen potissimum, qui in locis vel cum personis suspectis versantur; secundo loco omnibus etiam Operariis et iis, qui verbum Dei tractant, tradendae sunt;

quia directe pugnant contra sensa et dicta haereticorum nostri temporis.

*Caput XXXIX. — **Brevis explicatio nonnullorum, quae in Directorio de tribus viis attinguntur.***

De viis purgativa, illuminativa et unitiva.

1. Quoniam in hoc Directorio et in Exercitiis tradendis fit mentio viae purgativae, illuminativae et unitivae; et quod his respondent ordine suo hae quatuor hebdomadae: ideo visum est pro maiori notitia huius rei aliquid addere. Non enim hoc ita accipiendum est, ut intelligatur aliquis, peracta prima hebdomada, perfecte et plene purgatus; peracta autem secunda et tertia, perfecte illuminatus; et denique, absoluta etiam quarta, pervenisse ad plenam unionem cum Deo. Haec enim omnia indigent diuturno tempore, studio et exercitatione in exstirpandis vitiis, in passionibus edomandis, et in virtutibus acquirendis.

Prima hebdomada respondet viae purgativae.

2. Verum hoc indicatur, primam hebdomadam proportione quadam respondere viae purgativae; quoniam in ea nihil aliud agitur, quam ut peccata praeterita recogitentur et ponderentur, et concipiatur de eis quam maximus dolor et contritio, et timor aeternae poenae: ex quibus fiat, ut animus abstrahatur ab amore omnis rei terrenae, et fundetur in odio et detestatione peccati. Quae omnia pertinent ad purgationem animae.

Secunda et tertia hebdomada partim purgativae, partim illuminativae.

3. Similiter in secunda et tertia hebdomada, considerando exemplum Domini Salvatoris tum in vita tum in passione, et omnes virtutes, quae in eo tamquam in idea fulserunt, nos quoque discimus in quo consistat salus et perfectio hominis, et quae via sit ad aeternam beatitudinem consequendam. Et praeterea, cum anima purgata fuerit, fit habilis et apta ad recipiendas illustrationes divinas, et illapsum et influxum illius interni luminis; simulque gignitur in anima vigor quidam eiiciens omnem concupiscentiam, eamque ferventem faciens ad patiendam paupertatem, contemptum et omnem asperitatem, et excutiens omnem negligentiam; et disponens ad exsequenda bona opera vigilanter et strenue.

Quarta hebdomada respondet unitivae.

4. Denique in quarta hebdomada, primum ob resurrectionem et ascensionem Domini, in qua simul etiam meditari possumus futuram nostram gloriam, quoniam, ut ait Paulus, si Christus resurrexit, et nos resurgemus; deinde vero ex meditatione ad amorem in nobis excitandum, quae multiplex est, et varia puncta ac materias complectitur, efficitur ut anima uniatur Deo per amorem, qui concipitur meditando bonitatem Dei et eius beneficia, et quantum nostra causa egerit atque pertulerit; tum etiam per desiderium coelestis gloriae, per considerationem praesentiae Dei in omni re et in omni loco; gaudendo de eius perfectionibus, et optando placere ei soli, idque propter ipsum solum; et nunc eum laudando, nunc magnificando, nunc admirando eius altitudinem, et aliis similibus, quae, ut ante diximus, respondent viae unitivae.

Ratio duplex cur hae quatuor hebdomadae respondere dicantur tribus viis.

5. Haec igitur est ratio duplex, cur dicatur has quatuor hebdomadas respondere his tribus viis: primum, propter materias, quae in earum quaque tractantur, pertinentes ad has vias; et quia in eis iaciuntur initia singularum, quae deinde oportet prosequi cum tempore et cum studio, si velimus ad aliquam earum perfectionem pervenire: deinde etiam quia

discitur modus ac methodus, quam deinde servare debemus in prosequenda unaquaque harum viarum.

An semper in una permanendum, an ad priores redeundum.

6. Ex his ergo sequitur quod, etiam si quis aliquem gustum aut speciem huius viae unitivae in quarta hebdomada habuit, non propterea debet assidue in ea haerere, sed debet redire ad priores vias et sese diu et ordinarie continere, tum in passionum mortificatione, tum in virtutum exercitatione, et in aliis eiusmodi studiis consentaneis utrique viae: etsi nihil impedit, immo etiam saepe evenit, ut, dum aliquis versatur in una via, sentiat interdum aliquos affectus pertinentes ad aliam viam; nec sunt reiiciendi, modo, ut dictum est, non exerceantur ordinarie ante tempus.

Unde pendet mensura fructus.

7. Hoc enim negotium non ex spatio temporis, sed ex mensura profectus pendet. Nam, si quis temere aspirare vellet ad illam viam unitivam, esset magna confusio, quae impediret omnino profectum spiritualem, et insuper etiam esset res exposita periculis et illusionibus. Faceret enim perinde, ac si quis ex infima schola transire vellet ad primam, non transeundo per medias; aut si ex infimis gradibus scalarum saltu traiicere vellet ad summos, relictis iis, qui sunt interiecti. Sic igitur, antequam aliquis excerceat se ex professo in via hac, quam diximus, unitiva, oportet ut bene purgatus sit exercitiis vitae purgativae, et deinde etiam bene profecerit in via illuminativa. Ex huius enim defectu provenit, ut multi non ambulantes, sed saltantes in via Domini, post multum tempus diversosque labores, vacui virtutibus inveniantur, impatientes et iracundi, et cum aliis eiusmodi imperfectionibus.

Pendet ex electione Spiritus sancti.

8. Immo hic gradus ad altiorem viam, non tam ex electione nostra et voluntate ac conatu pendet, quam ex directione Spiritus Sancti, cuius mos est ascensiones istas in anima disponere, ut eat de virtute in virtutem: in quo tamen ad certiorem directionem et ad praecavendos errores, qui contingere possunt, consulendus est pater spiritualis, qui animam gubernat, et cum eius consilio in omnibus procedendum.

Caput XL. — Quae commendanda sunt ei, qui absolvit Exercitia.

Monita cum ab Exercitiis prodierit.

1. Ut, qui ex loco calido ad locum frigidum egreditur, facile fieri potest, ut cito frigefiat, nisi diligentem curam adhibeat retinendi calorem; ita qui, Exercitiis peractis, redit ad communem vitam et conversationem, nihil est facilius, quam ut fervorem ac lumen conceptum brevissimo tempore perdat; praesertim quia, quidquid boni acquisivit, nondum est confirmatum per modum habitus, sed est tamquam passio quaedam, quae facile remittitur, vel etiam tota amittitur. Quod cum contingit, omnis fructus et omnis labor Exercitiorum evanescit.

Quid ei primum commendandum.

2. Quare hoc primum commendandum est ei, qui Exercitia absolvit, ut magni aestimet hoc principium et quasi fundamentum vitae bonae et spiritualis, quod per Dei gratiam iecit in Exercitiis; idque a Deo accipiat tanquam beneficium, et quidem maximum; et omnia lumina, omnem cognitionem, quam in Exercitiis acquisivit, credat sibi a Domino Deo donata peculiari quodam amore, et ut talia ea conservare et tueri studeat. Praeterea timorem concipiat, ne, si deinceps non vixerit

ut intellexerit esse vivendum, gravius a DEO puniatur ob ingratitudinem; et quia, scienti bonum et non facienti, maius iudicium est ipsi.

Quid secundo loco.

3. Secundo loco, intelligat se adhuc nihil aliud fecisse, nisi quod bonum semen in eius anima a DEO seminatum est. Unde, nisi hoc semen foveatur, et excolatur, et ad maturitatem perducatur ut det fructum in tempore suo, per se quidem aut nihil aut parum est. Itaque hoc primum cavere debet, ne eiusmodi semen, vel a volucribus, id est, a daemonibus rapiatur, vel a spinis suffocetur, nempe a cogitationibus et cupiditatibus terrenis et vitiosis. Ideoque non solum peccata, sed etiam eorum occasiones evitet, et illa praesertim, ad quae ante Exercitia inclinatus fuit; nam contra haec potissimum se armare debet, quia facillime recidere potest.

Ad quid tertio hortandus.

4. Tertio, hortandus est ad conservandam et alendam devotionem iam conceptam piis et spiritualibus exercitationibus; inter quas haec potissimum commendari poterunt. Primo, ut conservet usum meditandi quotidie per dimidiatam horam aut etiam integram, si fieri poterit. Secundo, ut singulis diebus faciat examen conscientiae per quartam horae partem. Tertio, ut octavo quoque die confiteatur et communicet. Quarto, eligat aliquem Confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem huius spiritualis itineris, et cum eo tractet omnia, quae ad suam animam pertinent. Quinto, legat saepe pios libros, et habeat bonorum hominum conversationem, malorum autem fugiat summopere. Sexto, curet proficere quotidie in virtutibus, praesertim in humilitate, patientia et charitate. Et in summa, nitatur ipse quoque ad eam summam perfectionem, quam in suo statu et iuxta mensuram divinae gratiae acquirere poterit.

Praeter generalia monita, sunt alia pecuIiaria.

5. Haec autem sunt fere generalia monita, quae omnibus dari poterunt. Alia sunt deinde, quae iuxta cuiusque professionem aut statum, aut particularem indigentiam addi poterunt; immo haec ipsa augeri et intendi ex maiori aliquorum devotione et progressu spirituali. Quod facile advertet bonus et prudens instructor, adiutus gratia et lumine Domini et Salvatoris nostri DEI, cui sit gloria et honor in saecula. Amen.

INDEX GENERALIS.

SEQUENTES ABBREVIATURAE
SINGULAS TOTIUS INSTITUTI PARTES INDICANT.

Bul., ...	Bullarium.
Comp. priv., ...	Compendium privilegiorum.
Exa., c., n., ...	Examen, capita, numeros.
P., c., n., ...	Constitutionum partes, capita, numeros.
C., d., can., n., . . .	Congregationes, Decreta, Canones, numeros.
Cens. et praec., . . .	Censuras et praecepta.
Form., ...	Formulas.
R. Sum., ...	Regulas Summarii.
R. Com., ...	Regulas Communes.
R. Sac., Conc., etc., . .	Regulas Sacerdotum, Concionatorum etc.
Rat. St., ...	Rationem Studiorum.
Ord. Gen., ...	Ordinationes Generalium.
Instr., ...	Instructiones.
Industr., ...	Industrias.
Ex. Sp., ...	Exercitia Spiritualia.
Direct., ...	Directorium.

Numeri **I, II, III**, ... Vol. I, Vol. II, Vol. III.
Numeri **1, 2, 3**, etc. . . . . Pag. 1, 2, 3, etc.

De petendis vel admittendis eleemosynis.

Interrogatus, sincere respondeat; et Confessarius admoneatur ut eius conscientiam exstimulet. Quid, si non sincere respondet, *Exa. c. 2, A*, **II, 5**; *c. 3 n. 1, A*, **II, 6, 7**. Vide *Impedimenta*

Examen semestre Novitiorum. Quaenam a Novitiis singulis sex mensibus legenda et consideranda; de quibus interrogandi. Examen scripto constet. Cui ratio conscientiae reddenda et confessio generalis facienda, *Exa. c. 1 n. 13*, **II, 3**; *c. 3 n. 14*, **II, 7**; *c. 4 n. 38, 41*, **II, 15**; *c. 5 n. 4*, **II, 17**; *P. 1 c. 1, D*, **II, 28**; *R. 63-67 Mag., Nov.*, **III, 128**; *R. 13 Soc. Mag. Nov.*, **III, 133**. Ne a Novitiis Constitutiones, sed harum compendium legantur; alicui tamen, Superioris iudicio, omnes ostendi possunt, *Exa. c. 1, G*, **II, 4**; *P. 1 c. 4, E*, **II, 35**. Qui a studiis aut aliis locis Societatis, ubi diligenter examinati non fuerint, veniunt, etiam examinandi sunt, *P. 1 c. 4 n. 7*, **II, 34**.

Examen ante vota biennii. Interrogandi ante vota biennii an velint se duci sinere circa studia; et de indifferentia ad gradum et ad omnia; circa ingressum in Societatem, *Exa. c. 7 n. 3-5*, **II, 21**; *R. 80-84 Mag. Nov.*, **III, 130**. Admoneantur de effectu votorum, *R. 84 Mag. Nov.*, **III, 130**.

Examen Scholasticorum post studia. De examine Scholasticorum, studiis absolutis, *R. 85-87 Mag. Nov.*, **III, 130**. Interrogandi an sint firmi in vocatione ac votis Deo oblatis. Quae alia interroganda, *Exa. c. 7 n. 7, 8*, **II, 22**; *P. 1 c. 4 n. 7*, **II, 34**; *C. 9 d. 39 n. 4*, **II, 369**. Reddenda ab eis ratio vitae, a tempore quo ad studia missi sunt, *Exa. c. 4 n. 39*, **II, 15**; *P. 4 c. 10 n. 5*, **II, 73**; *R. 111 Prov.*, **III, 86**.

Examen Nostrorum in doctrina. **Examinis necessitas.** Scholastici, studiis absolutis, in omnibus Facultatibus, quibus operam dederint, examinentur, *P. 4 c. 6, L*, **II, 67**. Philosophi sub singulorum annorum finem examinentur, et qui Philosophiam universam vel partem illius ante ingressum in Societatem audierunt. Theologi item singulis annis examinandi, *C. 7 d. 33 n. 1, 2*, **II, 238**; *Rat. St. R. 19 § 1, 3, 5 Prov.*, **III, 160, 161**. Qui ante ingressum in Societatem aliquid Philosophiae aut Theologiae audivit, examinetur vel studia repetat, quod generatim potest illi ultro concedi, *C. 11 d. 24 n. 4, can. 5 n. 4*, **II, 383, 565**; *Rat. St. R. 19 § 5 Prov.*, **III, 161**.

Promovendi ad Sacerdotium, de Theologia morali examinentur. Qui immaturus tribunali poenitentiae ad Sacerdotium promovetur, non audiat confessiones antequam eodem modo probetur. Qui ad Societatem admittuntur Sacerdotes, idem examen subeant; iis exceptis, qui sine examine ad professionem 4 votorum admittuntur, *C. 13 d. 16*, **II, 409**; *Ord. Gen. c. 7 n. 4*, **III, 275**. Theologiae studiosi quotannis examen de Theologia morali subeant; et aliud de universa Theologia morali ante sacrorum Ordinum susceptionem, *C. 20 d. 25 n. 1*, **II, 475**.

Duratio. Metaphysici et Theologi tertii anni per horam examinentur; reliqui Philosophi ac Theologi media minimum hora (vel longiori tempore, si consuetudo fert Provinciae), *C. 11 d. 24 n. 1, 2, can. 5 n. 1, 2*, **II, 383, 565**; *Rat. St. R. 19 § 6 Prov.*, **III, 161**; *R. 23 Praef. St.*, **III, 171**. Ad sacros ordines promovendi per semihoram saltem examinentur, *C. 13 d. 16 n. 2*, **II, 409**; *Ord. Gen. c. 7 n. 4*, **III, 275**.

Tempus. Sub singulorum annorum finem fiet examen, *C. 7 d. 33 n. 1*, **II, 328**; *Rat. St. R. 19 § 6 Prov.*, **III, 161**.

Materia. Examen fiet de materia toto anno a Magistris tradita, iis exceptis, quae sub ipsum examinis tempus decurruntur, *C. 11 d. 24 n. 3, can. 5 n. 3*, **II, 383, 565**; *Rat. St. R. 19 § 6 Prov.*, **III, 161**. Ad Theologiam admittendi, examen de universa Philosophia subeant. *C. 16 d. 20*, **II, 429**. Non praescribendum ut Philosophi in fine anni examen de Mathesi per semihoram subeant, *C. 20 d. 25 n. 2*, **II, 475**. Ex quaestionibus illis, quae principia continent scientiae moralis, aliquae pro examine annuo Theologiae dogmaticae sunt seligendae, *C. 24 d. 24 n. 5*, **II, 522**. Vide hic *Examen ad gradum*.

Suffragiorum numerus, Auditores Philosophiae a 1.° ad 2.^{m} annum promovendi, si ex 4 ferant 2 suffragia; a 2.° ad 3.,^{m} si 3, *C. 22 d. 35*, **II, 492**. Metaphysici, ut ad Theologiam scholasticam admittantur, ex 5 suffragiis 3 ferant, *C. 8 d. 37 n. 6, can. 15*, **II, 355, 558**. Auditores Theologiae a 1.° ad 2.^{m} annum promovendi, si ex 4 ferant 2 suffragia; a 2.° ad 3.^{m} et a 3.° ad 4.^{m}, si 3, *C. 8 d. 37 n. 3, can. 12*, **II, 355, 558**. Ad Sacerdotium promovendi, ex 4 Examinatoribus a 3 saltem approbentur, *C. 13 d. 16*, **II, 409**; *Ord. Gen. c. 7 n. 4*, **III, 275**.

qualitas, Nemo a 1.° anno Philosophiae ad 2.^{m}, aut a 2.° ad 3.^{m} admittatur, qui mediocritatem non attigerit. Ad Theologiam audiendam nemo admittatur, qui mediocritatem non superaverit, *C. 7 d. 33 n. 1*, **II, 328**; *Rat. St. R. 19 § 1 Prov.*, **III, 160**. In Theologia nemo ad insequentem annum admittatur, qui mediocritatem non superaverit, *C. 7 d. 33 n. 2*, **II, 328**; *Rat. St. R. 19 § 3 Prov.*, **III, 160**. Ille attigit mediocritatem, qui ea, quae audivit, bene intelligit, et illorum rationem reddere potest; eam superat, qui cum satisfactione tueri potest quae a Magistris audivit, *C. 7 d. 33 n. 1, 2*, **II, 328**; *Rat. St. R. 19 § 1 Prov.*, **III, 160**.

modus. In omnibus Philosophiae ac Theologiae examinibus, iudicium Examinatorum non sit comparativum sed absolutum de requisito progressu ac capacitate, *C. 12 d. 22 n. 4*, **II, 394**; et scripto constet, *Rat. St. R. 19 § 7 Prov.*, **III, 161**; potest ferri et ex responsis examinati et ex praevia cognitione, *C. 22 d. 37 n. 3*, **II, 493**.

Privilegium. Metaphysicus potest iudicio Provincialis ad Theologiam admitti, quamvis mediocris, si praeclara ad gubernandum aut concionandum talenta habeat, *C. 7 d. 33 n. 1*, **II, 328**; *Rat. St. R. 19 § 8*

Prov., **III, 161.** Item Theologi mediocres possunt iudicio Provincialis, inconsulto Generali, ad annum insequentem admitti, si dicta talenta habeant. Excellentia talenti constet Consultorum et aliorum gravium virorum iudicio, *C. 8 d. 37 n. 5, can. 14,* **II, 855, 558;** *Rat. St. R. 19 § 8, 9 Prov.*, **III, 161.** Hac indulgentia et privilegio non utatur Provincialis nisi erga humiles et vere pios et mortificatos, *Rat. St. R. 19 § 10 Prov.*, **III, 161.**

Examen ad gradum. Examen ad gradum serio fiat statim post studia, et Romam mittatur. Nullus sine praevio examine promoveatur ad gradus, *Ord. Gen. c. 18 p. 1 n. 3, 4,* **III, 299;** *p. 3 n. 4,* **III, 303;** *Instr. 19 n. 1,* **III, 382.** Quot assertiones tuendae; quomodo examen faciendum, *Ord. Gen., c. 18 p. 3 n. 3, 4,* **III, 303;** *Instr. 19 n. 3,* **III, 383.** Theses a Superiore cum Praefecto Studiorum assignentur, 4 mensibus ad se parandum praescriptis; intra quos si examen non fiat, ab iisdem mutandae erunt conclusiones. Singuli (licet non necessario a singulis) tam in Philosophia quam in Theologia examinentur, *C. 8 d. 37 n. 4, can. 13,* **II, 855, 558;** *Instr. 19 n. 3,* **III, 383.** Examen sit, ut minimum, horarum duarum, in quo varia e praecipuis Philosophiae ac Theologiae capitibus percurrantur, *P. 5 c. 2 n. 2,* **II, 87;** *C. 7 d. 33 n. 3,* **II, 328;** *Rat. St. R. 19 § 11 Prov.*, **III, 161.** Pro examine ad gradum ex illis quaestionibus, quae principia contineant scientiae moralis, aliquae seligendae, *C. 24 d. 24 n. 5,* **II, 522.** Nemo ad professionem 4 votorum admittendus, nisi praemisso ad mentem Constitutionum et Congregationum examine, iis exceptis, quos eaedem excipiunt, *C. 20 d. 12 n. 8,* **II, 471.**

Examinatores erunt 4, *P. 5 c. 2 n. 2,* **II, 87.** Nemo ad professionem 4 votorum admittendus, qui non tulerit 4 Examinatorum 3 suffragia clara et minime dubia de doctrina necessaria ad professionem 4 votorum, *C. 8 d. 37 n. 3, can. 12,* **II, 855, 558.** Suffragium dubium est nullum, *C. 7 d. 33 n. 4,* **II, 329;** explicetur in eis an mediocritatem saltem attingat, qui doctrina necessaria caret ad professionem 4 votorum, *C. 8 d. 37 n. 1, can. 10,* **II, 354, 558.** Examinatorum ad professionem suffragia quo pacto ferenda. Cautela in hac re a Provinciali adhibenda, *C. 7 d. 97,* **II, 342;** *Rat. St. R. 19 § 13 Prov.*, **III, 162;** *Ord. Gen. c. 18 p. 3 n. 5,* **III, 303;** *Instr. 19 n. 2,* **III, 382.**

Doctrina ad professionem requisita. Doctrina sufficiens qualis dicenda, *P. 5 c. 2 n. 2,* **II, 87;** *Ord. Gen. c. 18 p. 3 n. 1,* **III, 302.** Exigitur doctrina, non comparative ad alios, sed absolute, qualem Decreta Congregationum requirunt; nec habita solum ingenii ratione, sed doctrinae praesentis, *C. 12 d. 22 n. 1,* **II, 393;** *Ord. Gen. c. 18 p. 3 n. 1,* **III, 328.** Habeat tantum eruditionis, quantum necesse foret ad Philosophiam ac Theologiam cum satisfactione docendam, *C. 7 d. 33 n. 3,* **II, 328;** *Rat. St. R. 19 § 11 Prov.*, **III, 161.** Aptitudo ad docendum intelligitur ubi idonei sint auditores ac disputantes, *C. 8 d. 37 n. 2, can. 11,* **II, 855, 558.** Aptitudo ad docendam Philosophiam intelligitur etiam de Physica moderna. Dubium de aptitudine ad docendam Physicam in iudicio exprimatur, *C. 21 d. 18,* **II, 480.** Physicam et Mathesim elementarem tradere possit qui approbatur in examine ad gradum. Doctrinae philosophicae capita pro examine ad gradum determinentur a Generali, *C. 22 d. 36,* **II, 492.**

Exempti ab examine ad gradum. Professores. Ab examine ad gradum excipiuntur qui Philosophiam et Theologiam cum satisfactione sint professi; qui actum generalem in Theologia habuerint cum satisfactione Patrum a Provinciali deputatorum, *Ord. Gen. c. 18 p. 3 n. 6,* **III, 303.** De inquirentibus argumentum, Vide *Actus.*

Doctores in Theologia. Theologiae Doctores, de quorum eximia eruditione nulla dubitatio est, examinandi non sunt; dubii vero examinandi, *C. 7 d. 96,* **II, 342;** si mediocritatem in doctrina excedant, ad professionem 4 votorum sunt idonei, *C. 11 d. 14, can. 6,* **II, 380, 565;** tunc sine examine ad professionem 4 votorum admitti possunt, quum iurare possint 4 e Nostris, idonei viri, tanta illos instructos esse doctrina, quanta requiritur in nostro Instituto ad professionem 4 votorum, *C. 23 d. 19,* **II, 504;** *Rat. St. R. 19 § 15 Prov.*, **III, 162.**

Legum et Iuris Canonici periti. Qui in Iure Canonico doctrinam sufficientem vel alia egregia Dei dona haberet, ex quibus, quod studio Theologiae deest, compensari posset, sine examine ad professionem 3 votorum, et aliqui viri insignes etiam ad 4 votorum (quamvis hoc extendi non debeat) admitti possunt, *P. 5 c. 2, B,* **II, 88;** *C. 7 d. 96,* **II, 342.** Iuris Canonici periti, quandonam ad professionem 3 votorum, quando vero 4 votorum admittentur, *C. 12 d. 23,* **II, 394.**

Insignes in Litteris Humanioribus; periti in linguis indicis; Insignes in Litteris Humanioribus quandonam ad professionem 3 vel 4 votorum admitti poterunt; item periti in linguis indicis, *C. 6 d. 15,* **II, 294;** *C. 7 d. 33 n. 6,* **II, 329.** Non est concessa, nec etiam professio 3 votorum, ignaris Philosophiae et Theologiae, ob peritiam linguarum indicarum, *C. 8 sess. 113.* Examinatores de linguis indorum, iurati ferant testimonium de ipsarum peritia sufficienti ad professionem, *C. 8 d. 40,* **II, 856.** Iuramenti Formula. Sufficit peritia unius linguae, quae non ut nativa a puero hausta sit, *C. 15 d. 11,* **II, 424.**

vel in lingua graeca et hebraica. Extenditur privilegium ad insignes in lingua graeca cum sufficienti notitia hebraicae, *C. 9 d. 32,* **II, 367.** Excellentia in Litteris Humanioribus vel in cognitione linguae graecae simul cum sufficienti notitia hebraicae, iuramento constet. Fiat Formula huius iuramenti, *C. 14 d. 17,* **II, 417.** Formula habetur, *d. 18,* **II, 417.** Insignes in Litteris Humanioribus vel in lingua graeca cum sufficienti

Sacramentorum ministratio.

7, 13, 15 Cons., **III, 137, 138;** *R. 1, 7 Admon.*, **III, 138, 139.** Vide § *Mediati.* Secretarius Societatis et Socius Provincialis nullam sibi gubernationis partem usurpabunt, nec auctoritatis speciem ostendent, *R. 46 Secr. Soc.*, **III, 61;** *R. 6, 7 Soc. Prov.*, **III, 89.**

Iurisdictio absente vel mortuo Superiore.

Mortuo vel absente Rectore vel Praeposito, nec nominato Superiore, succedit ipsi Minister, quamvis non sit Professus. Licet Superiori, Domo aut vita excedenti, si Provincialis cito moneri non possit vel alia gravis causa id suadeat, alium nominare, *C. 8 d. 20, can. 3*, **II, 349, 557.** Si Superior, etiamsi per unam seu integram diem, futurus sit absens, nec consuli possit, ille, qui constitutus sit Vice Rector aut Vice Praepositus, facultatem habet absolvendi et delegandi. Si nullus constitutus est Vice Rector aut Vice Praepositus, eamdem facultatem habet Minister, seu qui Domi praeest, *C. 12 d. 17 n. 1*, **II, 392;** *et act. 40; Ord. Gen. c. 6 n. 7*, **III, 274.** Omni Superiore deficiente in aliquo Collegio vel domicilio Europae, iurisdictio spiritualis et quoad disciplinam domesticam est penes Sacerdotem antiquiorem ab ingressu in Societatem. Quoad Provincias extra Europam provideat Generalis, *C. 17 d. 9*, **II, 435.**

Deficiente Provinciali, quis erit Vice Provincialis.

In Europa Provinciali defuncto quis succedat, si nullus Vice Provincialis a Generali vel ab ipso Provinciali designatus fuerit, *C. 4 d. 56, can. 22*, **II, 259, 544;** quid, si in Provinciis Europae remotioribus Provincialis fiat inutilis, *C. 9 d. 11, can. 7*, **II, 368, 560.** Mortuo Provinciali nec designato Vice Provinciali, non illi succedit Vice Praepositus nec Vice Rector maximi Collegii; sed alii, quibus id de iure competit, ac si ipsi non essent, *C. 9 d. 35, can. 10*, **II, 368, 561.** Quid, si Provincialis vel Visitator in Indiis fiat inutilis, *C. 9 d. 40, can. 8*, **II, 370, 560.** Vice Provinciales in Europa, Provincialium demortuorum munere fungentes donec a Generali provideatur, debent esse Professi 4 votorum, *C. 4 d. 56, can. 22*, **II, 259, 544;** item omnes Vice Provinciales, ii in primis, qui Vice Provinciarum stabiles Praesides sint, *C. 13 d. 12*, **II, 407.**

Facultates Vice Superiorum.

Vice Provincialium, Vice Praepositorum ac Vice Rectorum quaenam sint facultates et modus gubernandi, dum Provincialis aliique Superiores Romam aliove abeunt, *C. 12 d. 53*, **II, 402.**

Mediati et immediati Superiores.

Curanda a Superioribus immediatis obedientia erga mediatos, praesertim exemplo; et omnium subditorum erga se et alios Superiores et Officiales, *P. 4 c. 10 n. 8*, **II, 78;** *R. 91 Prov.*, **III, 82;** *R. 21 Praep.*, **III, 100;** *R. 20 Rect.*, **III, 109.** Liberrima esse debet communicatio per litteras cum Superioribus mediatis, *C. 21 d. 22*, **II, 481.** Vide *Epistolae.* Provincialis, quidquid agendum vel immutandum erit, quod ad immediatorum Superiorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit, *P. 4 c. 10 n. 4*, **II, 72;** *P. 8 c. 1 n. 4, 6*, **II, 114;** *P. 9 c. 6 n. 2*, **II, 138;** *R. 28 Prov.*, **III, 76.** Omnes Superiores subsunt directioni et correctioni Generalis, *P. 9 c. 2 n. 4*, **II, 129;** *c. 3 n. 11*, **II, 132;** *c. 6 n. 2*, **II, 138.** Officia Provincialis erga Superiores locales, praesertim in excipiendis subditorum querelis, *C. 6 d. 37*, **II, 310;** *Instr. 18 n. 7-10*, **III, 381.** Delatio primum fiat Superiori immediato, vel causa explicetur cur hic ordo invertatur, *C. 7 d. 12, can. 21*, **II, 319, 555.** In visitatione Domus vel Collegii. Superior postremus omnium visitandus, *R. 132 Prov.*, **III, 86.** Re a Superiore denegata, quomodo alius adeundus, *R. 23 Com.*, **III, 11.** Ostendendae Superiori proximo facultates et privilegia ab altiori concessae, etiamsi in epistola inclusae, *C. 23 d. 39*, **II, 509.** Observet Socius Provincialis, in iis potissimum qui gubernant, si quid Provincialis indigeat providentia, *R. 6 Soc. Prov.*, **III, 89.**

Syndicatus Superiorum.

Administrationis rationem a Provincialibus, Visitatoribus et Superioribus localibus exigere potest Generalis, *Bul.*, **I, 121;** *Comp. priv.*, **I, 592.** Totius administrationis ratio Rectoribus constet, ut eam reddere, quando et cui per Generalem constituetur, possint, *P. 4 c. 2 n. 5*, **II, 57.** Rector Provinciali, vel cui Generalis praescripserit, rationem sibi assignati muneris reddet, *P. 4 c. 10 n. 3*, **II, 72.** Curabit Generalis ut Rectores officii sui, eo modo, qui convenire maxime videbitur, rationem reddant sibi, vel Provinciali, vel alii cuipiam, qui ad eam exigendam potestatem habeat commissariam, *P. 9 c. 3 n. 4, 15, C*, **II, 131-133.** Provincialium et Superiorum localium syndicatus non adhibendus, cum iam provisum sit per ea, quae de huiusmodi ratione reddenda continentur in Constitutionibus et Regulis Provincialis, c. 14, et in Instructione Visitatorum, *C. 5 d. 33, 34*, **II, 270.** Mandat Summus Pontifex ut Provinciales visitentur et de suo officio rationem reddant, sive per Visitatorem, sive per Provincialem successorem, *d. 64 n. 2*, **II, 284.** De visitandis Provincialibus. Capita praecipuarum rerum, de quibus iidem, officio functi, reddituri sunt rationem, *Ord. Gen. c. 9*, **III, 277-279.** Superiores locales et Procuratores, officio defuncti, rationem domesticae oeconomiae reddent, *C. 8 d. 60 n. 4*, **II, 360.** Vicarius Generalis rationem reddet eorum, quae facta sunt post Generalis mortem, ad Congregationem pertinentia, *Form. Congr. gen. n. 7*, **II, 579;** *Offic. Vic. n. 5*, **III, 49.**

Errata Superiorum.

Errata Superiorum: 1, ignorant subditorum morbos; 2, negligunt; 3, fovent dissimulando; 4, augent placendi studio; 5, exasperant acriore correctione, *Instr. de sp. c. 1*, **III, 324, 325.** Radices horum malorum: 1, ignorantia Superiorum et oblivio muneris sui; 2, exigua cura interni cultus; 3, horae considerationis perfunctoria obitio; 4, in rebus externis occupatio; 5, ignoran-

---

ERRATA CORRIGE

In Vol. I.

	Errata	Corrige
pag. 126, col. 2, lin. 8,	nec non et.	nec non in Constitutionibus, decretis et
pag. 144, col. 2, lin. 2,	docendi	ducendi
pag. 169, col. 2, lin. 11,	obtinendam	obtinendi
pag. 188, col. 1, in margine,	cum medio.	cum dimidio.
pag. 262-264, col. 2, in margine.	**1745**	**1746**
pag. 360, col. 1, in margine,	**XIV**	**XVI**
pag. 362, col. 1, in margine,	Proemium	Prooemium
pag. 493, in titulo,	RESCRITUM.... EIUSDUM	RESCRIPTUM.... EIUSDEM
pag. 589, col. 1, lin. 10,	Loco citato,	Litt. Apost. edit. 1886,
pag. 603, col. 2, lin. 37,	1718	1818.
pag. 605, col. 1, lin. penult.,	443	433
pag. 614, col. 2, n. 349, lin. 13.	Rescr. et Ind. pag. 56 col. 2.	Litt. Apost. pag. 451 col. 1.
pag. 633, n. 404, lin ult.,	Rescr. et Ind. pag. 34.	Litt. Apost. pag. 425.
pag. 658, col. 2, lin. 5,	1882,	1882, Litt. Apost. pag. 427,
pag. 661, col. 1, n. 518, lin. 11,	admnistrationem,	administrationem,
» » col. 2, lin. 16,	*459 et 450*	*459 et 460*

In Vol. II.

	Errata	Corrige
pag. 11, col. 2, lin. 12, 13,	(immo quamvis perfuncti fuerit), vel in nonnullis earum,	immo quamvis perfuncti fuerint, in nonnullis earum
pag. 57, n. 5, lin. 11,	disponunt	disponuntur
pag. 93, col. 1, in margine,	b] *Inf.* c. 2, 3.	b] *Inf.* n. 2, 3.
pag. 96, n. 11, in margine,	h] P. 3 C. 1 n. 7.	h] P. 3 c. 1 n. 7.
pag. 166, col. 1, lin. 2,	Professi	professi
pag. 170, col. 2, d. 65, in margine,	*P. 4 c. 8, B.*	*P. 4 c. 14, B.*
pag. 208, col. 2, d. 69, in margine,	Artium	Artium et Theologiae
pag. 229, col. 1, d. 47, in margine,	*C. 14 n. 1.*	*c. 14 n. 1.*
pag. 285, col. 1, d. 67, in margine,	praescribenda.	perscribenda.
pag. 301, col. 2, d. 27 n. 2, in margine,	A sic electis	A sic electis Assistentibus
pag. 307, col. 1, d. 35 n. 5, in margine,	*prov. n. 23;*	*prov. n. 22;*
pag. 323, col. 1, d. 21, in margine,	de Missionariis	de Missionibus
pag. 339, col. 2, d. 84 n. 1, in margine,	ad questum	ad quaestum
pag. 346, col. 1, d. 10, in margine,	Procuratorum cogendae,	provinciales et Procuratorum cogendae more solito,
pag. 380, col. 1, d. 14, in margine,	etsi mediocres	si mediocritatem excedant
pag. 397, col. 1, d. 31, in margine,	Congr. Gen.	Congr. gen.
pag. 400, col. 1, d. 43, in margine,	nulli	Nulli
pag. 429, col. 2, d. 23, in margine,	debet.	debere.
pag. 449, col. 2, d. 12, in margine,	examinet.	approbet.
pag. 471, col. 2, d. 12 n. 7, in margine,	Domus Prob.	Domus tertiae Prob.
pag. 472, col. 2, d. 15, in margine,	in 2.°	2.°
pag. 506, col. 1, lin. ult.,	part. IX	part. IV
pag. 606, col. 2, in margine,	*C. 2 d. 16.*	*C. 2 d. 19.*

In Vol. III.

	Errata	Corrige
pag. 15, col. 1, Reg. 15, in margine,	*Instr. 3 n. 3.*	*Instr. 3 n. 2.*
pag. 23, col. 1, Reg. 1, in margine,	*P. 14 c. 6 n. 1.*	*P. 4 c. 6 n. 1.*
pag. 40, col. 1, n. 27, lin. 4,	generalis,	Generalis,
pag. 167, col. 2, Reg. 14, lin. 10,	moram	morum
pag. 178, col. 2, Reg. 7, in margine,	*P. 5 c. 1 n. 2.*	*P. 5 c. 2 n. 2.*
pag. 270, col. 2, n. 21, in margine,	*Instr. 13 c. 5.*	*Instr. 13 c. 3 n. 3.*